
37
27 B
22





VERITAS
RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

VERITAS
RELIGIONIS CHRISTIANÆ

CONTRA

Atheos Polytheos Idololatras Mahometanos & Judæos

Ex Devictis Hæresibus directè ejus Veritatem impugnantibus

DEMONSTRATA

PER

FR. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI

ORDINIS PRÆDICATORUM

In Bononiensi Universitate Controversiarum Fidei Professorem

NUNC



S. R. E. CARDINALEM.

TOMUS VII.

PARS V. ET ULTIMA.

De Hæresibus præsentis temporis.





ROMÆ, Typis Bernabò, & Lazzarini, MDCCXL.

SUPERIORUM PERMISSU.

ELENCHUS

Hæresum, quæ in hujus septimi Tomi Parte V. referuntur & confutantur.

CAPUT CVIII.

De Lutherana hæresi.

CAPUT CIX.

De Lutheri Discipulis, eorumque à Magistro necnon inter se discordia.

CAPUT CX.

De Anabaptistis.

CAPUT CXI.

De Calviniana hæresi.

§. III.

CAPUT CXII.

De Calvinistarum Sectis.

CAPUT CXIII.

De Anglicano Schismate.

CAPUT CXIV.

De Fidei statu Regni Angliæ post Henricum.

CAPUT CXV.

De Anti-Trinitariis & Socinianis.

CA-

CAPUT CXVI.

De Michaele Bajo.

CAPUT CXVII.

De Postello & Spinosa.

CAPUT CXVIII.

De Jansenistis.

CAPUT CXIX.

De Quesnelli erroribus.

CAPUT CXX.

De Quietistis, & Michaele Molinos.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Apostolici Palatii Magistro.

Phi. Archiepiscopus Theodosiæ Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

TRA-

TRACTATUS

De victoria adversùs hæreses.

CAPUT CVIII.

De Lutherana Hæresi.

§. I.

Ad Hæreses præsentes Præfatio.

I. DUM ob devictas Waldensium, Petrobusianorum, Arnaldistarum, Albigensium, Wichleffistarum, Piccardorum, Hussitarum & aliorum hæreses, qui proximis retrò quadringentis annis contra Catholicas veritates arma inferre conati fuerant, Ecclesiæ Christi gratulari, eique diuturnam pacem auspicari meditabar; ecce tragicum & lugubre mihi aperitur theatrum, quo omnes superiorum controversiæ totiès jam dijudicatæ & finitæ, & hæreses à Conciliis damnatæ, è sepulchro, veriùs ab inferis, rursùs excitatæ ac erutæ mihi repræsentantur, quæ magnam Europæ partem erroribus inundaverunt, & adhuc inundant. Grave quidem vulnus toti Ecclesiæ Arii perfidia infligere conata fuit, adeò ut S. Hieronymus Lib. adversùs Luciferianos dixerit: *Ingemuit totus Orbis, & Arianum se esse miratus est*: illa tamen solam Filii Dei Divinitatem directè aggrediebatur; quod & de aliis, ut de Sabelliana, Nestoriana, Eutychiana, quæ unam vel alteram fidei veritatem impugnabant. At quæ in præsens grassantur, omnium prædictarum, aliarumque

quotquot unquam extitere, vel in totum vel in partem colluviem effuderunt. Nec mirum: earum enim professores, omnia secula ante ipsos cæcutiisse, & Evangelium usque ad sua tempora fuisse opertum, ac se solos Evangelicos jactitantes, Concilia, Patres, Ecclesiam errasse contendunt: & cuique ex ipsis datum esse privatum spiritum intelligendi Scripturas, & Evangelia spargentes, quæ sibi placent credunt, quæ non placent non credunt, adeò ut alicubi tot sint Religiones quot capita.

II. Super hâc Ecclesiæ ac Religionis perturbatione lacrymas quas alibi & præcipuè in *Vera Ecclesia*, effudi, hic repeterem, nisi providæ misericordiæ Dei confisus certò sperarem, quando sibi visum fuerit, de hisce sicut de cæteris anteactis, Catholicam veritatem fore triumphaturam. Quovis tempore in exercitium bonorum Deus permittere mala consuevit; prioribus seculis ad tolerantiam Martyrum permisit tyrannorum persecutiones, & successivis temporibus, ut credentium fides magis eluceret, & ut adversùs eas præliari edocerentur, hæreses permittere consuevit. *Oportet* (inquit Paulus 1. Cor. 11. v. 19.) *& hæreses esse, ut & qui probati sint, manifesti fiant in vobis*. Circa populum suum Israel reliquit Gentes, ut morem bellandi adversùs eas addiscerent. Sic Judic. 3. v. 1. dicitur: *Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, & omnes qui non noverant bella Chananæorum: Ut omnes discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi*; Quæ ad præsentem causam trahens S. Augustinus Lib. 16. de Civit. Dei cap. 2. ait: *Multa quippè ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callidâ inquietudine exagitantur, ut adversùs eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & instantiùs prædicantur, & ab adversario mota quæstio, discendi existit occasio*. Hoc est bonum, quod ex malo hæresum elicit Deus: *Neque enim* (loquens de hæresi Manichæorum tunc grassante idem S. Doctor in Enchiridio cap. 10.) *Deus Omnipotens, quod etiam infideles fatentur, rerum cui summa potestas, cùm summè bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeò esset omnipotens & bonus, ut benè faceret & de malo*. Ut enim dicit Lib. 7. Confess. cap. 19. *Improbatio Hæreticorum facit eminere, quid Ecclesia sentiat, & quid habeat sana doctrina*.

III. Ex his apparet, unam ex præcipuis causis, cur Deus permiserit hæreses identidem contra Ecclesiam præliari, fuisse, ut Catholicorum segnitiem in studio Scripturarum, & Fidei veritatibus evolvendis à torpore excitaret. Confirmat hoc S. Augustinus L. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 1. dicens: *Sed ideò Divina providen-*

videntia multos diversi erroris hæreticos esse permittit, ut cùm insultant nobis, & interrogant nos ea quæ nescimus, vel sic excutiamus pigritiam, & Divinas Scripturas nosse cupiamus. Propterea & Apostolus dicit „ Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant inter vos „: *Illi enim Deo probati sunt, qui benè possunt docere, sed manifesti hominibus esse non possunt, nisi cùm docent: docere autem nolunt nisi eos qui doceri quærunt. Sed multi ad quærendum pigri sunt, nisi per molestias & insultationes hæreticorum quasi de somno excitentur, & de imperitia sua erubescant sibi, & de illa imperitia sua periclitari se sentiant.* An hæc una ex causis fuerit, cur Deus modernis hæresibus Ecclesiam suam jactari permiserit, & adhuc permittat, Ipse novit. Initio disputationum feruntur Catholicis Doctoribus hæretici, & præcipuè Lutherus, insultasse, quòd ad Scripturas provocati Metaphysicis subtilitatibus ac sophisticis ratiunculis responderent. At in decursu excitatâ (si in aliquibus fortè erat) segnitie, tot eximiæ doctrinæ Viri cumulatis Scripturæ textibus in eos insilierunt, ut nescientes quid opponerent, ad hanc audacem temeritatem delapsi sint, ut veram intelligentiam Scripturarum sibi solis suoque spiritui privato reservatam dicant; Cæteros omnes, Concilia, Patres in ea exponenda errasse, ac desipuisse.

IV. Hoc asserere non erubuit recentium hæresum præformator Lutherus, qui Lib. contra Regem Angliæ, & ad Cap. 1. ad Galatas ait: *Divina Majestas mecum facit, ut nihil curem; si mille Augustini, mille Cypriani contra me starent. Augustinus & Cyprianus, sicut omnes electi errare potuerunt, & erraverunt. At ego certus sum dogmata mea habere me de Cœlo. Dogmata mea stabunt, & Papa cadet invitis omnibus portis inferi, & potestatibus aeris, terræ & maris* &c. Rursùs Lib. ad Civit. Germaniæ: *Quisquis*, inquit, *obedierit mihi, is procul dubio non mihi, sed Christo obedit, & qui mihi non obedierit, is non me, sed Christum contemnit. Ego enim scio, & utique certus sum, quid, & quorsum ego loquor & doceo.* Præterea concione ad populum Dominica *donec venerit*, ait: *Fui primus, quem Deus in hunc campum misit. Is quoquè fui, cui Deus hoc primum revelavit ad prædicandum vobis.* Et post pauca: *Tam copiosè à nobis prædicatum est Evangelium, ut nec Apostolorum quidem tempore tam clarum unquam fuerit. Spiritus Sanctus unxit me, & misit ad evangelizandum.* Ita quasi alter Isaias loquitur de se Lutherus. At quo spiritu ad suum pseudo-Evangelium abreptus fuerit, in Vera Ecclesia passim ostendi, & ex infra dicendis apparebit.

V. A doctrina Ecclesiæ Catholicæ Romanæ tanquam apostati-

ca traducenda, Lutherus, & quotquot ipsum sequuti sunt, convertuntur ad ejusdem Ecclesiæ disciplinam & mores in quocumque illius statu falsis calumniis deturpandum: quod præter dicta in Vera Ecclesia Tomo 1. cap. 14. §. 4. & alibi, ea, quæ vel unus Danæus in præsenti Opere effutit, apertè demonstrant. His tamen respondebit Hieronymus Epist. 87. (aliàs 78.) ad Pammachium & Marcellam: *Quid maledictorum pannos hinc indè consuitis; & eorum carpitis vitam, quorum fidei resistere non valetis? Num idcircò non estis vos hæretici, si nos quidam assertione vestrâ crediderint peccatores; & os impietate fœdum non habebitis, si cicatricem potueritis in nostra aure monstrare? Quid juvat vestram perfidiam, vel prodest pellis Ethiopica & pardi varietas, si in nostro corpore nævus apparuerit?* Et Epist. 58. (aliàs 68.) ad Theophilum: *Scito*, inquit, *nobis nihil esse antiquius, quàm Christi jura servare, nec Patrum transferre terminos, semperque meminisse Romanam fidem Apostolico ore laudatam*. Iisdem Ruffinum Lib. 3. perstringit: *Scito, Romanam fidem, Apostolicâ voce laudatam, istiusmodi præstigias non recipere, etiamsi Angelus aliter annuntiet, quàm semel prædicatum est, Pauli auctoritate munitam non posse mutari*.

VI. Superest, ut Catholicum meum Lectorem admoneam, ne terreatur, dum videt recentes hæreses à duobus & ultra seculis jam exortas, nedum non esse extinctas, sed in dies magis extendi, ac novis erroribus augeri, adeò ut in aliqua regione apud non paucos vix fides de Deo locum obtineat. Ne terreatur, inquam, sed in Christo Jesu confidat, qui licèt dormire videatur, & Petri navim fluctibus jactari permittat, super eam tamen vigilat, nec mergi sinet. Nam & Discipulis cum eo in navi existentibus Matth. 8. v. 24. *Motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus*. Cùm autem eum dormientem viderent *suscitaverunt eum dicentes: Domine salva nos, perimus... Tunc surgens imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna*. Priùs tamen illos increpavit dicens: *Quid timidi estis modicæ fidei?* Sed quare? quia cùm ipse esset cum eis, etsi dormiret, timuerunt; dormientem non posse, quod poterat vigilans, putabant. *O veraces discipuli!* (exclamat Origenes apud S. Th. in Catena Aurea super Cap. 8. Matthæi) *Salvatorem vobiscum habetis, & periculum timetis? vita vobiscum est, & de morte solliciti estis?* Irruentes igitur hæresum fluctus ac Petri naviculam mergere minitantes non timeamus. Christus nobiscum est: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*: promisit ipse dum ascenderet in Cœlum apud Matthæum cap. 28. v. 20. Quod promisit retroactis seculis implevit. Quasi dormiens per tria secula, Gentilium persecutio-

cutiones passim irruere permisit; at uno verbo compescuit. Succedentibus seculis Arianos aliosque furere toleravit; at suo imperio tandem extinxit. Permisit persecutiones tyrannorum, ut elucerct constantia Martyrum: permisit & permittit hæreses, ut qui probati sunt & electi, manifesti fiant. Alacres ergo pro veritate stemus, nec timeamus. Christus qui modò dormire aliquibus videtur, evigilabit, imperabitque ventis & mari, & fiet tranquillitas magna.

VII. Hactenus dicta S. Augustinus confirmet, qui Enarrat. in Psal. 57. ut Catholicos sui temporis à metu furentium circumcellionum Donatistarum averteret: *Non vos terreant*, inquit, *Fratres, quidam fluvii, qui dicuntur torrentes. Hyemalibus aquis implentur: Nolite timere, post paululum transit, & decurrit aqua, ad tempus perstrepit, mox cessabit: diù stare non possunt. Multæ hæreses jam emortuæ sunt. Cucurrerunt in rivis suis, quantum potuerunt decurrerunt, siccati sunt rivi, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint* „ Spernentur tanquam aqua decurrens „. *Sed non solùm ipsi: totum hoc seculum ad tempus perstrepit, & quærit quem trahat. Omnes impii, omnes superbi sonantes ad saxa superbiæ suæ, quasi aquis irruentibus & confluentibus, non vos terreant, hyemales aquæ sunt, semper manare non possunt: necesse est, decurrant in locum suum, in finem suum* &c. His ad solatium & certam fiduciam Catholicorum præjactis, videamus, quis primus hunc torrentem excitaverit, & per eum aquam decurrere fecerit.

§. II.

Lutheri ortus, conditio, ingenium.

I. PRimus, qui Ecclesiam hoc schismatis & hæresum torrente invasit, fuit Martinus Lutherus, Islebii in Saxonia sub Mansfeldensi Comitatu natus anno 1483. die 22. Octobris, die verè dignâ, ut nedum ex Catholico Calendario, sed ex omni hominum memoria, si fieri posset, deleretur, quæ tale monstrum intulit mundo; nisi Divina providentia ex opposito diem spectabilem & faustum effecisset. Ut enim olim eodem anno & die, quo acerrimus Divinæ gratiæ hostis Pelagius, ejusdem acerrimus vindex S. Augustinus, hic quidem in Africa, ille verò in Europa natus esse fertur: ita eodem anno mense & die, quo in plaga Septentrionali infans lucem aspexit, qui postea confirmatâ ætate Ecclesiæ magnam partem erat vastaturus, in plaga Australi alius in Mundum prodiit (Ferdinandus Cortesius) qui Ecclesiæ fines longè latèque

tèque ad populos incognitos esset expansurus. Ita Consalvus de Illescas: *Lutherus*, inquit, *in Mundum natus est, ut totum Mundum perturbaret, & infinitos Christianos sub Diaboli signa cogeret. Eodem tempore Ferdinandus Cortesius Vallis Marchio Medelini in Hispania natus fuit, ut infinitam barbararum nationum multitudinem tot seculis in miserrima Satanæ servitute detentam sub Jesu Christi signa colligeret. Et quemadmodum ab Aquilone, ut Divinum testatur Verbum, malum se se expansurum erat, ita ejusdem remedium ab Austro venire decuit. In Saxonia Monachus ad Ecclesiæ ruinam, & eodem tempore in Hispania ad ejusdem defensionem Christianus Eques natus fuit.* Imò eodem anno natus fuit S. Ignatius Lojola, qui in fundata à se Societate, Jesu Christi strenuus miles, futurus erat Ecclesiæ vindex, & Lutheri ejusque hæresis debellator.

II. Luthero nato *Martini* nomen inditum fuit. *Lotter*, seu, ut alii volunt *Lauter*, cognomen gentis suæ ab familiæ origine illi erat. Quia verò utrumque ei displicuit: Primum quidem, quòd Germanicâ linguâ *Scurram* significet: secundum verò quòd *Martin Lauter* numerum *666.* in Antichristo ab Apocalypsi designatum literis includeret, propterea se Martinum Lutherum, seu *Luther*, quòd eâdem linguâ *Purum* sonat, appellari voluit: In hoc imitatus Manichæos, qui ut ex Augustino Lib. de Hæref. cap. 42. suo loco dixi, non à *Mane* suo duce Manichæi, ne *Mania*, idest insania, nomen eis dedisse videretur, sed *Manichæi* appellari voluerunt, quasi Manna fundentes, ac si doctrina eorum sicut cibus ille Cœlestis esset, ac lapsa de Cœlo. At sicut mutarunt quidem nomen, sed retinuerunt insaniam: Ita Lutherus mutato cognomine impius Scurra, & Antichristi verus præcursor permansit.

III. Parentes ejus vilis conditionis fuere, Pater Joannes, Mater nomine Margarita, quam nonnulli ajunt, fricandis in publicis balneis hominibus operam locare consuevisse. De hac muliere etiam commemoratur, quòd Dæmon mangonis habitu à marito hospitio susceptus, cum ea congressus sit, è quo partum hunc conceperit. Quod inter alios in quadam epistola, obscuris tamen verbis, innuere videtur Erasmus; sed lubens omitto, ut & illud, quod in humeris ejus vidit Maximilianus Imperator, tum Corvos circa funus ejus crocitantes, & dæmoniacos eâ die, quâ mortuus est, à Dæmonibus animam ejus in Infernum comitantibus liberatos modò ut incerta prætereo. Hoc certum est, Luthero frequentem fuisse cum Diabolo familiaritatem, quod ex ipsius confessione ostendi in Vera Ecclesia Tom. 1. cap. 10. §. 2. num. 28.

IV. Exactis primis adolescentiæ annis, & positis in Magdeburgensi & Isenacensi Collegiis humaniorum literarum fundamentis,

Er-

Erfordiæ anno 1501. Philosophiam studio aggressus, anno 1503. ad Jurisprudentiam se applicuit, quod ad solvendos difficiles legum nodos aptus sibi videretur, & facundiâ & dicendi facilitate præditus in forensibus causis propugnandi laudem speraret. Sed hoc propositum non multò post reliquit. Vix enim à limine salutatis Juris principiis, cùm studiorum socio levandi animi causâ in campum progressus, repentinâ superveniente tempestate, socium ante pedes suos fulminis ictu extinctum vidit: fumo ipse afflatus, cæteroquin illæsus & sanus, B. Annæ, ut incolumis cœlesti gratia evaderet, in tantis angustiis votum nuncupavit: sed iteratâ tempestate & iterum præsenti periculo consternatus, de asylo, in quo tutus esset cogitare cœpit.

V. Terrore igitur magis, quàm piâ animi devotione motus, Eremitarum S. Augustini Ordini nomen dedit, Cœnobium Erfordiense anno 1504. quum jam ætatis annum vigesimum secundum attigisset, ingressus. Historiam hanc ipse narrat in Præfat. ad Lib. de Votis Monasticis, quem parenti suo, licèt illiterato, nuncupavit; ubi patrem suum sic alloquitur: *Annus fermè agitur decimus sextus monachatus mei, quem te & invito & ignorante subivi. Metuebas tu paterno affectu imbecillitati meæ, cùm essem jam adolescens secundum & vicesimum annum ingressus... Destinabas me vincire honesto & opulento conjugio... Tandem cessisti, & voluntatem Deo submisisti, sed nequaquam posito mei timore. Memini enim nimis præsente memoriâ, cùm jam placatus mecum loquereris, & ego de Cœlo terroribus me vocatum assererem: neque enim libens & cupiens fiebam Monachus, multò minùs verò ventris gratiâ, sed terrore & agone mortis subitæ circumvallatus vovi coactum & necessarium votum. Utinam, ajebas, non sit illusio, vel præstigium?* His Lutherus ipse ingenuè exponit, quo animo Monasterium ingressus sit, & quo in statu Monachali continuaret.

VI. Tam subitam Lutheri mutationem amici & familiares ejus, qui nullam in ejus inveniri pectore pietatis aut religionis scintillam agnoverant, vehementer admirati sunt. Sed nec ipse, quali animo esset, diù celare potuit. Post indutum habitum humili mendicationis applicatus officio, renuit, & Universitatem velut Magister Artium interpellans, eo & aliis vilibus officiis se se exemit. Vix exacto probationis suæ anno, licèt aliquam exhiberet pietatis speciem, doctrinæ tamen opinione elatus in talia identidem erumpebat; ut vel ex morbo comitiali, vel ex occulto Dæmonis afflatu loqui Fratribus videretur. Quam suspicionem auxit factum sequens. Cùm enim quâdam die in Missa legeretur Evangelium de Dæmonio à surdo & muto per Jesum Christum ejecto, Lu-

Lutherus qui aderat, repentè concidens exclamavit, *Non sum, non sum*. De hoc cum Dæmone fœdere & commercio ipse in scriptis suis, ut supra tetigi, sæpiùs gloriatus est. Unde in quodam sermone ad populum, se Diabolo familiarem esse ait, seque cum ipso plus quàm unum modium salis comedisse. Sacerdotio anno 1507. in Quadragesima initiatus, cùm tanquam fera & indomita bestia omnibus exosus videretur, è Cœnobio Erfordiensi, in quo quatuor annis moratus fuerat, ad Wittembergense translatus fuit anno 1508.; ibi post actus Academicos Lauream Doctoralem obtinuit, ac Theologiæ Professor creatus est. Quâ occasione ingenii sui acrimoniam, in disputationibus æstum, omnium cæterorum contemtum, ac præludia eorum quæ postea secuta sunt, cœpit ostendere.

§. III.

Initium & occasio hæresis Lutheri.

I. MAla hæreseos semina, etiam antequam ea in Ecclesiæ campum spargeret, animo & corde concepisse Lutherum, satis ostendunt declamationes populares, quas habuit Wittembergæ super præcepta Decalogi anno 1516. ut Tomo 1. ejus Operum videre est. In eis enim (præter cætera) de Sanctis, & modo colendi illos temerariè loquitur. Animo igitur ad incendium parato faces addiderunt quæ sequuntur. Leo X. Pontifex Maximus novas Indulgentias per Orbem Christianum prædicari jusserat, occasione fabricæ Templi Romæ, quam Julius II. in honorem S. Petri inchoaverat. Alberto Archiepiscopo Moguntino, & Magdeburgensi Brandeburgico Electori S. R. E. Cardinali has Indulgentias in Germania promulgari faciendi provincia demandata est. Is Delegatus munus id commisit Joanni Tetzelio Ordinis Fr. Prædicatorum Professori doctissimo, Quæsitori Fidei, fervido Concionatori, qui paulò ante similem delegationem pro Teutonicis Equitibus exercuerat.

II. Displicuit hoc Augustinianis, ut qui longo jam tempore in Germania id muneris obire consuevissent. Eis tunc in Germania Vicarii Generalis nomine Staupitius præerat, apud Saxoniæ Ducem Fridericum perquam gratiosus, qui hoc non ad sui tantùm, sed ad sui Ordinis contemtum factum interpretatus (ei quoque favente Duce Saxoniæ Friderico ob privatam in Moguntinum Archiepiscopum invidiam, eò quòd Moguntino in Archiepiscopatus Magdeburgici petitione fuisset posthabitus, tum etiam quòd Ec-

Ecclesiasticorum magnitudini & opibus invideret) turbas inter Fratres suos, eosque ad vindictam excitare cœpit Staupitius.

Igitur ingenio & moribus ad hæc paratum conspiciens Lutherum, illum elegit, eique mandavit, ut contra Indulgentiarum excessum prædicaret, eorumque, quibus eas publicandi munus demandatum erat, vitia & abusus populo ostenderet. Munus hoc, utpote suo acri ingenio arridens, lubenter suscepit Lutherus. Anno itaque 1517. contra modum, quo populis audierat prædicari Indulgentias, declamare cœpit. Ita liquet ex Epistola, quam ad Albertum Moguntinum Archiepiscopum eodem anno scripsit. In ea enim se concionantes, quos non audierat, minimè reprehendere ait, sed dolere, per vulgus spargi ac serpere audacem fiduciam, *quâ credunt infelices animæ, si literas Indulgentiarum redemerint, se securas esse de salute sua. Item quòd animæ de Purgatorio statim evolent, ubi contributionem in cistam conjecerint. Deindè tantas esse has gratias, ut nullum sit adeò magnum peccatum, etiam (ut ajunt) si per impossibile quis Matrem Dei violasset, quin possit solvi. Item quòd homo per istas indulgentias liber sit ab omni culpa & pœna.*

III. Subindè exclamat, quòd impium est ponere securitatem salutis in manu Episcopi per Indulgentias, cùm nemo nec per gratiam habitualem Dei sit securus; imo nos in timore & tremore semper operari salutem nostram doceat Apostolus Philipp. 2. v. 12. Et justus, inquit Petrus Ep. 1. cap. 4. v. 18. vix salvabitur, & apud Amos & Zachariam æquiparentur salvandi torribus de incendio ereptis. Deindè arguit Episcopos, quòd unicè Indulgentiis prædicandis intenti, opera pietatis & caritatis in infinitum meliora populo annuntiare desistant. *Cum Indulgentiæ prorsùs nihil boni conferant animabus ad salutem aut sanctitatem, sed tantummodo pœnam externam, olim canonicè imponi solitam, auferant.* Insuper Archipræsuli indicat, circumferri libellum sub ejus nomine, quo asseritur: *Unam principalium gratiarum esse donum Dei inæstimabile, quo reconcilietur homo Deo, & omnes pœnæ deleantur Purgatorii. Item quòd non sit necessaria contritio his, qui animas vel confessionalia redimunt;* idest qui Indulgentiâ muniti ad Confessionem accedunt, Archipræsulem rogans, ut libellum supprimat, & aliam prædicandi formam imponat. Hisce imposturis & mendaciis in hac Epistola verus minister Satanæ apostaticam suam prædicationem inchoat: nec his contentus, ad calcem Epistolæ adjecit 95. Conclusiones, quas legere est Tom. 1. Oper. ipsius edit. Wittemb. anno 1558. pag. 51., quibus quàm dubia res sit Indulgentiarum opinio, conatur ostendere.

IV. Non expectato Archiepiscopi responso, eâdem die, nempè pervigilio SS. an. 1517., præfatas Conclusiones proposuit in Templo magnifico Deo sub omnium Sanctorum invocatione Wittembergæ à Saxoniæ Duce dicato, typisque mandatas per totam Germaniam dispergendas curavit. Utque non solùm apud eruditos, verùm etiam apud plebem Indulgentiarum religionem elevaret, solemnem super eodem argumento concionem in eodem Templo habuit, ac typis mandavit. Hanc puto fuisse illam, quæ Tomo 1. illius operum pag.58. initio negotii de Indulgentiis facta primo loco ponitur.

V. Nascenti huic malo, ac vel in ipsis initiis furenti occurrere volens Tetzelius Francofurti, ubi Quæsitorem Fidei agebat, alias Theses opposuit, quas eodem Tomo 1. pag. 93. & pag. 96. videre est, quibus Novatoris fallacias & mendacia, & Romanum Pontificem, ac Indulgentiarum promulgatores à calumniis vindicavit. Verùm cùm hæc objicerentur ab æmulo, pertinaciam Lutheri magìs in sententia obfirmarunt. Imò ut refert Melancthon in Vita Lutheri, cùm Lutheri theses tanquam hæreticas Tetzelius igni tradidisset, parem contumeliam Wittembergæ octingentis exemplaribus Thesium Tetzelii inferendam procuravit Lutherus. Quod etsi publicè in foro peractum fuerit, Duce tamen, Magistratu, ac se inscio, imò ægrè ferente, patratum fuisse scribit Epist. 42. & 47. Hæc turbulenti schismatis exordia, quod anno sequenti 1518. in apertum flagravit incendium.

VI. Excitatæ hujus turbæ Staupitium non semel pœnituisse fertur; sed serò: quid enim ageret? jacta erat alea, telum ex arcu excussum revocare non licebat. Simile accidit Erasmo, qui cùm scribens adversùs Monachos, & ab istis parum honorificè tractatus, videns postea Lutheri furorem, ad Albertum Carporum Principem scripsit, si quæ secuta sunt tempora prævidisset, numquam se facturum fuisse, ut ejusmodi turbarum primus auctor extitisse videretur. Sed viri sapientis non est dicere *Non putaram*. Certè multorum opinio est, portam hanc ab Erasmo primò apertam, quam Lutherus postea totam effregit. Unde de utroque Germani hoc in ore habebant: *Erasmus innuit*, *Lutherus irruit*. *Erasmus parit ova*, *Lutherus excludit pullos*; *Erasmus dubitat*, *Lutherus asseverat*; ut in proloquium verteretur, *Aut Erasmus Lutherizat*, *aut Lutherus Erasmizat*. Erasmum Lutheranæ Sectæ adversum fuisse, tradunt non pauci.

VII. Verùm quis non adoret Divinæ Providentiæ consilia? Eodem tempore, quo permittit Diabolo operâ Lutheri in Germania Ecclesiæ partem à veritate seducere; disponit, ut ad partes Or-

Orbis remotissimas, quibus antea prorsus erat ignota, Religio Christiana & Catholica delata propagetur. Anno 1517. Lutherus Christianam fidem inter Christianos evertere aggressus est. Eodem ferè anno, aperto à Christophoro Columbo, & Americo Vespuccio aditu, variis præviis prodigiis, Mexicano & aliis Indorum Regnis Christiana fides primùm innotescere cœpit; sic ut pro exigua terræ particula, integri velut Mundi ad Christi Ecclesiam sint adjuncti, in eisque Christi fides longè latèque sit expansa. Ut enim torrens obstructo alveo limites suos egressus aliò erumpit, multòque liberiorem viam & canalem sibi facit: ita Ecclesia alicubi oppressa & quasi dejecta, alibi pulchrior & validior surrexit, ut fidem è nostro Orbe fugientem alter ille Orbis latis ulnis excepisse videretur. Cœptum opus Hispaniæ & Lusitaniæ Reges magnis sumtibus urgebant. Confluebant eò undique Christiani, ac viri Evangelici. Mox videre ibi fuit, eversis Idolis, Crucis signa vel in celsissimis montium jugis passim erecta, incruentum Missæ sacrificium, dum interim Templa erigebantur, sub arborum umbris passim celebratum, Summique Pontificis auctoritate Missionarios illuc in dies destinatos. Sic ut dum inter Christianos Crucis signum ab Altaribus ejici, Sacrosanctum Sacrificium aboleri, Romani Pontificis auctoritatem extingui contendebatur, ac generalis Ecclesiæ pernicies parabatur, omnia apud Idololatras & Barbaros puriora renascerentur. Ita jacturam, quam Lutherus & qui eum sequuti sunt & sequuntur Ecclesiæ machinati sunt & machinantur, copiosiori proventu compensavit Deus, & adhuc compensat.

VIII. Lutherus interim quamvis in sua pertinacia perstans, ac verè lupus gregem Christi dispergere in animo habens, ovinam speciem induens, conqueri cœpit, quòd pro veritate pugnans immeritò ab æmulis veluti Novator traduceretur. De hoc adest Epistola ad Staupitium, simulatâ humilitate & obedientiâ tecta. Scripsit etiam ad Leonem X. dolensque quòd ut hæreticus igne cremandus ab aliquibus accusaretur, ita epistolam claudit: *Quare, Beatissime Pater, prostratum me pedibus tuæ B. offero cum omnibus quæ sum & habeo. Vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba ut placuerit, vocem tuam vocem Christi in te præsidentis agnoscam. Si mortem merui, mori non recusabo; Domini enim est terra & plenitudo ejus, qui est benedictus in secula, Amen, qui & te servet in æternum, Amen, die S. Trinitatis Anno* 1518. Illusoriam tamen cæcam hanc obedientiam fuisse, ipse statim comprobavit, dum suas assertiones ad Leonem X. transmisit, præmissâ protestatione, se nihil in eis dicere & tenere, nisi quod Sacra Scriptura docet & Ecclesia tenet, solùmque se Scholasticorum placitis contradicere,

ideòque cuilibet assertioni suam declarationem & probationem inseruit, ut Tomo 1. ejusdem videre est, quibus adjunxit suam de Virtute Indulgentiarum erroneam sententiam. Uno verbo: se solum sapere existimans, Ecchium ac Sylvestrum Prieratem Palatii Apostolici Magistrum, qui contra ejus errores scripserant, & præcipuè de Indulgentiis, merito, & Potestate Papæ, superbè contemsit potiùs, quàm refutavit.

IX. Romam ad dicendam causam à Leone X. revocatus, ut se excusaret, facultatis Wittembergensis supplicatorias literas, tum ad Nuncium, tum ad ipsum Leonem X. interposuit, quibus præmissâ corporis valetudine, & itineris periculo, quæ non patiuntur eum facere quod deberet ac vellet, ac insuper de ejus in doctrina fidei integritate testimonio, addunt, si Lutherus à via veritatis aberrare deprehendatur, se primos fore, qui eum ejicerent, eique anathema dicerent. Qui tamen promissis non steterunt. Nam Wittembergæ Missa primò abrogata, aliique Lutheri errores successivè adoptati fuere.

X. Ut gliscenti malo Leo X. occurreret, Thomam de Vio Cardinalem Cajetanum Ord. Præd. Legatum misit; Ei in mandatis dans, ut invocato brachio seculari Martinum Lutherum apertè hæreticum citet ad personaliter coram se comparendum, eumque in potestate sua redactum sub fideli custodia retineat. Quòd si spontè ad petendam de suis erroribus veniam accesserit, & vera signa pœnitentiæ dederit, ad unitatem Ecclesiæ facultate Apostolicâ recipiat. Si verò in pertinacia sua perseverans, in potestatem ejus non venerit, ipsum cum suis sequacibus excommunicatum pronuntiet. Extant hæ literæ Tomo 1. Oper. Lutheri pag. 205. datæ 23. Augusti anno 1518. Indè subsequuntur Acta habita Augustæ eodem anno à Cardinali Legato cum Martino Luthero, ex quibus colligitur, Lutheri pertinaciâ rem infectam mansisse. Cùm enim Legatus urgeret, ut quæ scripserat & prædicarat sincero corde ejuraret, Lutherus se id non facturum reponebat, nisi priùs habitâ super eis disputatione, quam cùm Legatus admittere nollet, sed pro abjuratione, & obedientia Pontifici & Ecclesiæ insisteret, Lutherus autem repeteret, se colere & sequi Ecclesiam Romanam in omnibus suis dictis & factis, sed non posse ad revocationem compelli non auditum neque convictum, sed super illis audiendum esse judicium & sententiam celebriorum Universitatum Basileensis, Friburgensis, Lovaniensis, aut etiam Parisiensis. Cùmque nec ab hoc quâcumque lenitate ejus superba pertinacia flecti posset, res imperfecta remansit.

XI. Acta hæc à Luthero ipso scripta exhibentur Tom. 1. illius Oper.

Oper. pag. 208. ubi quantæ fuerit temeritatis, & impudentiæ in Præfatione ad Lectorem ipse prodit: *Nonne, mi Lector*, inquit, *quod ago tale est? Video Libellos edi, & rumores varios spargi de actibus meis Augustensibus. Quamquam verè nihil ibi egerim, quàm quòd & tempus & sumtus perdidi, nisi id satìs abundè fuerit operis, quòd novam audivi linguam latinam, scilicet, quòd veritatem docere, idem sit quod Ecclesiam perturbare, adulari verò & Christum negare, id est Ecclesiam Christi pacificare & exaltare*. Quis talem loquendi impudentiam audivit unquam? Indè Legati objectiones, & sua responsa enarrat; & tandem concludit, quòd cùm Legatus vocato Staupitio ageret multis, *ut ad revocationem induceret spontaneam.... Consulentibus amicis, cùm antea jactasset se se habere mandatum, ut & me & Vicarium incarceraret, dispositâ appellatione affigendâ, recessi, sat periculosam obedientiam me præstitisse arbitratus*. Ejus appellationes primò ad Papam, deindè ad Concilium extant Tomo 1. Operum Lutheri pag. 217. & pag. 231.

XII. A Legati potestate elapsus Lutherus, amenti furore æstuans, tanquam rabidus canis contra omnes etiam Principes, sed præcipuè contra Papam latrare cœpit: *Ubi estis* (ajebat) *ò Imperator & Principes? An tantam violentiam ferre potestis? Non veremini, ò Romani Antichristi, ne lapides & ligna pro vestrarum blasphemiarum horrore sanguinem sudent? Ego si peream, exitium meum vestrâ ruinâ nobilitabo*. Indè omnibus cœlestibus & terrestribus potestatibus ad sui defensionem evocatis contra Papæ, ut appellabat, tyrannidem, quem olim Christi Vicarium, modò Antichristum vocitabat, & cui suâ manu lethale vulnus se inflicturum minabatur: *Mea*, inquit, *doctrina dominabitur, Papa verò cadet. Pacem recusavit; bellum ergo habeat. Videbimus, uter prior lassus sit futurus, Papa, an Lutherus. Fatum inevitabile Papam ad ruinam trahit, nec quisquam ut Daniel dicit, in auxilium ejus veniet*. Ita falsò palàm vaticinabatur, clam verò angustiis animi exitum non videntis premebatur, tum insidias Wittembergæ sibi parari sciens, tum metuens, ne in aula Ducis ob læsos sua petulanti lingua nobiles viros gratiâ & patrocinio excideret.

XIII. Interim furente in dies ac suis erroribus multos per Germaniam seducente Luthero, existimavit Leo X. sui muneris debitum esse, huic malo Canonicis remediis occurrere. Si enim Paulus Titum (c.3. v.10.) Cretensem Episcopum monet: *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus*: quomodo Pastor universalis Ecclesiæ, cui totum gregem suum pascendum Christus commisit, vitare ac vitandum de-

decernere non debebat Lutherum, qui paternè pluriès monitus, subversus, nedum non resipuit, sed ovile Christi subvertere parabat? Anno igitur Christi 1520. 17. Kal. Julii publicâ Bullâ foribus S. Petri affixâ Lutherum ejusque 41. errores ut hæreticos damnavit, missis in Germaniam Commissariis, qui eam publicarent. Infrenduit hoc audito Lutherus, quòd à Papa Satanæ ipse esset traditus, unde multò acriùs quàm antea cœpit insanire & extrema omnia moliri. Imò cùm intellexisset, libros suos publicè fuisse crematos, vilis Monachus ad hoc inauditum facinus prorupit, ut ipse quoque Decretales & Juris Pontificii & Canonici Libros Wittembergæ suis adstantibus auditoribus publicè combusserit, hanc addens blasphemiam: *Quoniam tu conturbasti Sanctum Domini, ideò te conturbet ignis æternus*. Ac subindè impio abreptus furore exclamabat: ***Invadamus omnibus quibus possumus armis filium perditionis Pontificem, Cardinales, ac totam hanc sentinam Romanam: lavemus in sanguine ipsorum manus nostras***. Ecce quomodo insanus iste nebulo Satanæ magistri sui linguâ & calamo loquebatur.

XIV. Nimius essem, ac pium Lectorem offenderem, si omnia maledicta, quibus iste verè perditionis filius impetebat Pontificem, quem passim vocabat *Antichristum*, & Ecclesiæ doctrinam & sacrosanctas leges blasphemabat, ut verè dici possit, nullum ex hæreticis, quos hactenus recensuimus, in impudentia Luthero parem à Diabolo unquam excitatum fuisse; quod ejus scripta palàm faciunt, petulantiâ, superbiâ, impudentiâ, scurrilitate, irreverentiâ, animo ad concitandas seditiones parato, impudicitiis, blasphemiis, mendaciis, contumeliis præcipuè in Romanam Ecclesiam, ubique plena.

§. IV.

Lutheri errores.

I. COlluviem errorum, quibus Ecclesiam Christi fœdare conatus fuit Lutherus, non statim totam evomuit, sed successione quâdam datâ occasione illos publicandi in disputationibus, concionibus, & scriptis. In eis referendis ordinem servabo, quem tenet Alexandre in Hist. Sec. 15. & 16. cap. 2. art. 10. §. 2. Ab Indulgentiis & Purgatorio errandi initium fecit. De his anno 1517. disputationes 95. Wittembergæ exposuit, inter quas sequentes erant.

1. *Papa non vult, nec potest ullas pœnas remittere, præter eas, quas arbitrio, vel suo, vel Canonum imposuit.*

2. *Pa-*

2. *Papa non potest remittere ullam culpam, nisi declarando & approbando remissam à Deo, aut certè remittendo casus reservatos sibi.*

3. *Imperfecta caritas, seu caritas morituri, necessariò secum fert magnum timorem, qui satis est se solo, ut pœnam Purgatorii faciat, cùm sit proximus desperationis errori.* Hic error quartus est è damnatis à Leone X.

4. *Non videtur probatum ullis aut rationibus aut Scripturis, quòd animæ in Purgatorio sint extra statum meriti, seu augendæ caritatis, & quòd sint de sua beatitudine certæ & securæ, saltem omnes.* Est trigesimus secundus ex damnatis à Leone X.

5. *Thesauri Ecclesiæ non sunt merita Christi & Sanctorum.*

6. *Errant Indulgentiarum Commissarii ii qui dicunt, per Papæ Indulgentias hominem ab omni pœna solvi & salvari.*

7. *Qualem potestatem habet Papa in Purgatorium generaliter, talem habet quilibet Episcopus & Curatus in sua Diœcesi & Parochia specialiter.* Alias omitto apud ipsum Tomo 1. pag. mihi 51. &c. videndas.

II. Alias Conclusiones anno 1518. exposuit num. 50. in quibus hi extant errores.

1. *Remissio culpæ non innititur contritioni peccatoris, nec officio, aut potestati Sacerdotis. Innititur potiùs fidei quæ est in Verbum Christi dicentis* ,, Quodcumque solveris &c. ,, *Verum est enim, quòd non Sacramentum fidei, sed fides Sacramenti, idest, non quia fit, sed quia creditur, justificat.* Est undecimus è damnatis à Leone X.

2. *Quantumlibet incertus] sit, tam Sacerdos, quàm peccator de contritione, rata est absolutio, si] credit se absolutum. Certum est ergo remissa esse peccata, si credis remissa, quia certa est Christi Salvatoris promissio.* Idem repetit in Concionibus.

3. *Super contritionem ædificantes remissionem, super arenam, idest super opus hominis, fidem Dei ædificant.*

4. *Injuria est Sacramenti, & desperationis machina, non credere absolutionem, donec certa sit contritio.*

5. *Finge casum per impossibile: Sit absolvendus non contritus, credens tamen se se absolvi, hic est verè absolutus.*

6. *Sacerdos etiam levis ac ludens verè tamen baptizat & absolvit.* Uterque pars est Articuli 12. à Leone X. damnati. Utrumque tamen repetit in Concionibus Lutherus dicens: *Esto per impossibile quòd confessus non sit contritus, aut Sacerdos non seriò sed joco absolvat: si tamen credat se absolutum, verè est absolutus.*

7. *Sacramenta novæ Legis non sic sunt efficacia gratiæ signa,* quòd

quòd satìs sit in percipiendis non ponere obicem. Est primus Articulus ex damnatis à Leone X.

8. *Sicut venialia peccata non pertinent ad confessionem & absolutionem clavium, ita nec omnia mortalia. Si homo teneretur omnia peccata mortalia confiteri, & ab eis absolvi, teneretur simpliciter ad impossibile*. Est Art.8. ex damnatis. Idem repetit in Sermonibus.

III. Alias Conclusiones proposuit Heidelbergæ eodem anno 1718. mense Maii, ex quibus sequentes inter alias referam.

Prima est: *Opera hominum ut semper speciosa sint bonaque videantur, probabile tamen est ea esse peccata mortalia*. Item: *Justorum opera essent mortalia, nisi pro Dei timore ab ipsismet justis ut mortalia timerentur*. Rursùs: *Tunc verè sunt peccata apud Deum venialia, quando timentur ab hominibus esse mortalia*. Sunt Articuli 26. & 27. à Leone X. damnati.

Secunda est: *Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, & dum facit quod in se est, peccat mortaliter*. Est trigesimus primus à Leone X. damnatus.

3. *Non ille justus est qui multùm operatur, sed qui sinè opère multùm credit in Christum*.

IV. Concionibus eodem anno habitis Wittembergæ hæc inter alia effutiit.

1. Quòd *novi Auctores, ut M. Sententiarum, S. Thomas & horum imitatores tres partes faciunt pœnitentiæ, nempè contritionem, confessionem, & satisfactionem. Quæ distinctio deduci non potest ex Scriptura neque ex antiquis Christianæ Religionis Auctoribus*. Hoc Leo X. num.5. damnavit.

2. Quòd *ex nulla Scriptura colligi queat, Divinam justitiam sivè pœnam sivè satisfactionem exigere de peccatore. Propterea illius imaginariæ pœnæ nomen, quam Indulgentiæ excludunt, nemo explicare potest, neque quisquam novit, quidnam sit*.

3. *Frivolum est quod dicunt, numerum pœnarum & operum quibus satisfaciendum est pro peccatis, esse majorem, quàm homo in omnem vitam tum facere tum perferre queat, ob exiguum vitæ spatium, eoque necessarias Indulgentias*.

4. *Fœdus est error, quòd quispiam de peccatis se putet satisfacturum, quæ ex inæstimabili clementia Deus & semper & gratìs remittit, atque condonat, nihil à nobis invicem requirens, quàm ut imposterum benè vivamus*.

5. *Indulgentiæ admittuntur propter inertes & pigros Christianos, qui nolunt animosè neque bona facere, neque mala sustinere. Nam Indulgentiæ nihil promovent in melius... ideòque neque licitum est ad eas adhortari. Indulgentiæ neque præcepti sunt, neque con-*

consilii, sed ex illarum rerum numero quæ permittuntur.

6. *Quòd animæ per Indulgentias ex Purgatorio liberentur, nondum exploratum habeo, neque credo; tametsi Recentiores id asseverent, sed probandi facultatem non habent, neque ab Ecclesia sancitum est.* Hæc & alia Tomo 1. Concl. 1. de Indulgentiis à pag. 58. profert Lutherus.

Concl. 2. de Pœnitentia pag. 59. tergo sic loquitur. 1. *Contritio (sic enim cœpit vocari vera pœnitentia interior) duplici viâ paratur. Primò per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, quâ quis, ut dicitur, recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, damnum, fœditatem, multitudinem. Deindè amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, & alia quæ possunt tristitiam & dolorem excitare, spe satisfaciendi per opera bona. Hæc autem contritio facit hypocritam, imò magìs peccatorem, quia solùm timore præcepti & dolore damni id facit.* Hic est Articulus sextus à Leone X. damnatus, & à Conc. Trident. sess. 6. can. 8.

2. (pag. 60. tergo) *Verissimum est proverbium, & omni doctrinâ de contritionibus hucusque datâ præstantius: De cætero non facere: Optima pœnitentia, nova vita.* Est septimus à Leone X. damnatus.

3. (pag. 61. tergo) *Dum volumus omnia purè confiteri, nihil aliud facimus, quàm quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.* Hic est nonus ex damnatis à Leone X.

4. (ibid.) *Plus est à confitente requirendum, an credat se se absolvi, quàm an sit verè contritus.*

5. De Excommunicatione (pag. 62. tergo) *Excommunicatio est dumtaxat externa privatio communionis, non spiritualium Ecclesiæ bonorum, communiumque orationum.* Est Artic. 18. ex damnatis à Leone X.

6. (pag. 64. tergo de præpar. ad Euch.) postquam dixit, quòd *Pœnitentia potiùs post, quàm ante Sacramentum dignè peragitur*, subdit: *Magnus & perniciosus error est, si quis accedat ad Sacramentum, eâ nixus fiduciâ, quòd confessus est, quòd non est sibi conscius mortalis peccati, quòd orationes & præparatoria sua præmiserit. Omnes hi judicium sibi manducant & bibunt, quia his omnibus non fiunt digni neque puri. Imò per eam fiduciam puritatis pejus polluuntur: fiunt autem puri per fidem*, qui certissimè confidunt, se gratiam consecuturos. Art. 12. à Leone X. damnatus.

7. De Baptismo pag. 73. dicit: *Quòd Baptismus non totum peccatum tollit & abluit. Cœpta tantùm Christiana innocentia est, non etiam absoluta.*

8. *Ab impiis Doctoribus persuasi, sentimus, nos à Baptismo,*

seu Contritione sine peccatis esse. Item quòd bona opera non ad mortificanda peccata, sed ad cumulanda merita, & ad satisfaciendum pro peccatis valeant. Confirmant autem impiam hanc opinionem, qui vitas & opera Sanctorum impudenter prædicant, quasi ea proposita sint exempla, quæ nos imitari conveniat.

9. (pag. 74. tergo) *Tum vim suam Baptismus obtinet, & certò mihi remissa sunt peccata, cùm credo Deo promittenti; quòd nolit mihi imputare, quamvis maxima eorum pars adhuc in carne remaneat.*

10. *Quòd igitur sic sentis, si à peccatis recedas, & fœderis quod in Baptismo cum Deo junxisti, sis memor, tum remissa tibi esse peccata, in eò quidem non falleris, & rectè sentis.*

V. De perceptione Eucharistiæ pag. 76. *Sæpiùs*, inquit, *à me dictum est, non posse nec debere Christianos ad Sacramentum Altaris certo hoc Paschatis tempore cogi, sed liberum esse unicuique, quando & quoties velit hoc Sacramento uti.*

Et pag. 78. tergo. *Jam olim sic docui, in nostra Ecclesia unam speciem nemini exhibendam, sed ut is, qui Sacramento uti volet, aut integrum Sacramentum, ut à Christo institutum est, recipiat, aut prorsùs abstineat.*

VI. De Confessione auriculari, quæ fit coràm Sacerdote (pag. 77.) ait: *Eam Deus non præcepit, verùm Papa ad eam coegit homines.* Et infra: *Quamquam ad eam nemo sit cogendus, non tamen ideò contemnenda est propter absolutionem & Evangelii verbum, quod à Sacerdote audis* (non absolvente, sed absolutionem Dei annuntiante) *Non igitur admodùm sollicitus sis de eo quod tu dicis, sed major cura sit de iis, quæ audis ab illo altero, qui remissionem peccatorum Dei nomine tibi annuntiat. Neque multum refert, sivè is sit Sacerdos, aut publicus Ecclesiæ Minister, sivè quilibet Christianus. Nam verbum quod loquitur, non suum, sed Dei est.* Unde à quocumque sibi annuntietur, *non minoris illud æstimat, quàm si ipse secum locutus fuisset. Adeò in omnes angulos Divinum suum verbum Deus sparsit.* Hoc autem Dei verbum auditum sivè in confessione, sivè in concionibus in hoc solùm differre dicit, quòd in confessione *nonnisi ad suam personam refertur. In publicis autem concionibus in vulgus evolat promissio. Et quamvis ad te quoquè pertineat, non tamen ita certus de ea esse potes. Verùm hìc id in confessione ad te unum dicitur, ut prorsùs nihil de voluntate Dei erga te dubites.*

VII. Eodem anno 1518. edidit *Resolutiones disputationum de Virtute Indulgentiarum* in errorum suorum circa easdem probationem, quæ extant Tomo 1. Oper. ejusdem. In eo Libro præter recensitos circa Sacramentum Pœnitentiæ, & Indulgentias, errores, quos expressiùs firmat, addit sequentes, nempè:

Per

Per Scripturas probatur, non requiri aliquam satisfactionem pro peccatis.

Romana Ecclesia tempore Beati Gregorii non erat super alias Ecclesias (fol. 118. verso) Ibidem.

Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam ab ingressu Regni Cælestis. Est tertius à Leone X. damnatus.

Fol. 124. *Etiamsi Papa cum magna parte Ecclesiæ sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum aut hæresis contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum.* Est 23. à Leone X. damnatus.

Item fol. 132. *Nullus Sanctorum in hac vita sufficienter implevit mandata Dei, ergo nihil prorsùs fecerunt superabundans. Quare nec ad Indulgentias aliquid distribuendum reliquerunt.*

Fol. 133. *Opus bonum optimè factum est peccatum veniale.* Hunc num. 27. Leone X. damnavit.

VIII. Notet hìc Lector insanam Lutheri impudentiam. Libellum hunc tot erroribus scatentem, quibus Indulgentias & Romani Pontificis in eis ferendis auctoritatem, aliaque Ecclesiæ dogmata injuriosè impetit, ac contemnit, audet Epistolâ datâ ad ipsum Leonem X. Papam dirigere, eique nuncupare, humilis obedientiæ, ut eum captaret, speciem quidem præferens: *Beatissime Pater, prostratum me pedibus tuæ Beatitudinis offero cum omnibus quæ sum & habeo. Vivifica, occide: voca, revoca: approba, reproba, ut placuerit. Vocem tuam vocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam. Si mortem merui, mortem non recusabo.* Indè adjectâ protestatione, se nihil dicere aut tenere velle, nisi quod ex Sacris Literis, Patribus ab Ecclesia Romana receptis & hucusque servatis, & ex Canonibus, ac Decretalibus Pontificiis habetur & haberi potest. Quòd si aliquid dixerit quod probari vel improbari non possit, id se dixisse disputationis gratiâ salvo semper judicio Superiorum suorum.

IX. Verum quali animo esset, sequentibus prodit: *Unum illud addo & mihi vendico jure Christianæ libertatis, quòd opiniones B. Thomæ, Bonaventuræ, aut aliorum Scholasticorum, vel Canonistarum nudas sine textu & probatione positas, volo pro meo arbitrio refutare, vel acceptare secundùm consilium Pauli* ,, Omnia probate, quod bonum est tenete ,,. *Etsi scio quorumdam Thomistarum sententiam volentium, B. Thomam ab Ecclesia esse approbatum in omnibus, constat sanè, quantum B. Thomæ valeat auctoritas. Hác meá protestatione credo satis manifestum fieri, quòd errare quidem potero, sed hæreti-*

eus non ero, quantumlibet fremant & tabescant ii qui aliter sentiunt vel cupiunt. His detegit impudentem suam præsumtionem, & quàm ficto animo assertiones suas ad Summum Pontificem corrigendas dirigeret.

X. Hoc palàm fecit. Cùm enim eodem anno Sylvester Prierias Ord. Præd. Apostolici Palatii Mag. erronea ejus sophismata Leoni X. detexisset, indignatus Lutherus, & quasi Scholasticæ & Thomisticæ Theologiæ professorem eum contemnens, se in errore obfirmavit, responso ei dato. Cui cùm Sylvester replicasset *Epitomen Responsionis*, abjecto omni pudore & reverentiâ etiam erga Romanam Sedem (Tomo 1. fol. 188. verso) ita blasphemat: *Si Romæ sic sentitur & docetur, scientibus Pontifice & Cardinalibus (quod non spero) liberè pronuntio his scriptis, Antichristum illum verum sedere in Templo Dei, & regnare in Babylone illa purpurata Roma, & Curiam Romanam esse Synagogam Satanæ*. Et infra: *Itaque lege Lector, & geme, gloriam Romanæ Ecclesiæ eò cecidisse, ut hæc hæretica, blasphema, diabolica, tartarea venena, non modò intra se concipiat & alat, sed in Orbem quoquè propaget. Eant nunc qui gloriantur, Romanam Ecclesiam nunquam fuisse hæresi contaminatam. Unus hic Sylvester Arium, Manichæum, Pelagium, & omnes alios incomparabiliter superat.*

Si sic Roma credit, beata Græcia, beata Bohemia, beati omnes, qui se se ab ea separaverunt, & de medio istius Babylonis exierunt. Damnati verò omnes, qui ei communicaverint. Et ego quoquè si Pontifex & Cardinales hoc os Satanæ non compescuerint, & ad palinodiam adegerint, his testibus, confiteor me dissentire Romanæ Ecclesiæ: & negare eam cum Papa & Cardinalibus tanquam abominationem stantem in loco sancto. Extincta est in ea jamdudum fides, proscriptum Evangelium, exul Christus, mores plusquam barbarici. Una erat reliqua spes Scripturæ Sanctæ illibata auctoritas, & ejusdem recta saltem opinio, si nulla indulgentia. Jam & hanc Satan occupat, arcem Sion, & turrim David, hactenus inexpugnabilem.

Nunc vale infelix, perdita & blasphema Roma, pervenit ira Dei super te, sicut meruisti in finem. Nec tot orationibus, quæ pro te fiunt, nisi in dies pejor fieri voluisti. Curavimus enim Babylonem & non est sanata, relinquamus ergo eam, ut sit habitatio draconum, lemarum, larvarum, lamiarum, & juxta nomen suum confusio sempiterna Idolis avaritiæ perfidis, apostatis, cynedis, priapis, latronibus, simonibus, & infinitis aliis monstris ad os plena, & novum quoddam Pantheon impietatis. Hisce maledicis imposturis, ore verè Satanico omnes retrò Hæreticos impudentiâ superans, Ecclesiam Romanam suis erroribus resistentem impiè insectatur, ac suæ hæresi viam parat. XI. Igi-

XI. Igitur Romanâ Ecclesiâ sacrilegè abjuratâ, deinceps in omnem blasphemiam & errorem abrupit. Anno 1519. à Fratribus Minoribus de pluribus erroribus apud Episcopum Bambergensem delatus, eos epistolâ contumeliosâ ad ipsos datâ, quæ extat Tomo 1. fol. 238., pertinaciùs propugnavit. Hi autem erant. 1. *Quòd Deus præcepit homini impossibilia*. 2. *Deus exigit à quolibet Christiano summam perfectionem, & totum Evangelium*. 3. *Nulla sunt consilia, sed omnia Evangelii sunt præcepta*. 4. *Laico habenti auctoritatem Scripturæ plus est credendum, quàm Papæ, quàm Concilio, imò quàm Ecclesiæ*. 5. *Petrus non erat Princeps Apostolorum*. 6. *Papa solùm jure humano est Vicarius Christi*.

XII. Alios eodem anno Lipsiæ proposuit disputandos errores cum Ecchio, quibus ultra præallatos contra Indulgentiarum, & contritionis valorem, & Papæ auctoritatem, addidit istum: *In bono opere peccare hominem, & peccatum veniale non naturâ suâ, sed Dei misericordiâ solùm esse tale, aut in puero post Baptismum peccatum remanens negare, hoc est Paulum & Christum semel conculcare*.

In æstu autem disputationis effutiit sequentes. Primò (fol. 251.) *Certum est, inter Articulos Joannis Hus & Bohemorum multos esse planè Christianissimos & Evangelicos, quos non possit universalis Ecclesia damnare, velut ille: Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse aliis superiorem* (est 25. ex damnatis à Leone X.) Deindè approbat hanc Joannis Hus propositionem: *Papalis dignitas à Cæsare inolevit*. Unde totâ ferè disputatione sustinet, quòd *Primatus Romani Pontificis non est de jure Divino*. Secundò (fol. 267.) pertinaciter contendit, quòd *S. Petrus Primatum dumtaxat honoris, non verò Primatum potestatis habuit super cæteros Apostolos*. Tertiò (fol. 268.) Quòd *Divina Scriptura tota prorsùs nihil habeat de Purgatorio*.

XIII. Scripsit Epistolam contra Hieronymum Emserum, quæ habetur eodem Tomo 1. fol. 345. Insuper Apologiam in sui defensionem contra Ecchium (fol. 356. verso) solitâ impudentiâ, & omnium contemtu suos errores confirmans. Et pag. 364. versâ propugnat, *Confessionem Sacramentalem non esse de jure Divino*. Post Adæ peccatum solum nomen liberi arbitrii superesse: *Sicut*, inquit, *Civitas vastata, vel collapsa domus habet quidem nomen & titulum, quem priùs habuit & posteriùs habebit, non tamen idem potest quod priùs: ita liberum arbitrium*. Cum soli fidei sinè operibus tribuisset justificationem, tueri se conatur dicens, se non intendisse excludere opera bona, sed opera legis, quæ sunt noxia. Re verâ tamen ita soli fidei justificationem tribuit, ut etiam opera bona à causa justificationis excludat, eaque solum ponat veluti effe-

ctus



ctus & fructus. Nam in Comment. super Caput 22. Genesis S. Jacobum cap. 2. suæ Epistolæ Canonicæ dicentem: *Quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm*, ore sacrilego ita proscindit: *Abraham fuit justus fide, ante quam cognoscitur à Deo talis. Igitur malè concludit Jacobus, quòd nunc demùm justificatus sit post illam obedientiam: per opera enim tanquam per fructus cognoscitur fides & justitia. Non sequitur, ut Jacobus delirat: igitur fructus vivificant: sicut non sequitur: Ego agnosco arborem ex fructu. Igitur arbor ex fructibus fit bona. Facessant itaque è medio Adversarii cum suo Jacobo, quem toties nobis objiciunt; & multa de justitia operum blaterant, sed nihil intelligunt*. Sic ut delirantem Jacobum & Canonicam ejus Epistolam traducit, quia suo errori non consentit. Quis ad tantam blasphemiam non exhorreat?

XIV. Porrò qui adeò blasphemè de Apostolo & Scriptura Divina est locutus, mirum non erit, si de Romano Pontifice ejusque Bulla pari phrasi audiamus loquentem. Damnaverat Leo X. ut supra dixi, die 16. Junii 1520. ex scriptis & dictis Lutheri 41. Articulos, Bullâ ad hoc specialiter datâ. Huic damnationis judicio tantum abfuit, ut humilis se subjiceret, quin potiùs in suis erroribus pertinacior ei opposuit libellum, cui præfixit titulum *Adversùs execrabilem Bullam Antichristi*. Tom. 2. fol. 88. verso. Ubi inauditâ impudentiâ sic loquitur: *Protestor coràm Deo & Domino nostro Jesu Christo & Sanctis Angelis ejus, & toto Mundo, me dissentire corde damnationi hujus Bullæ, quam & maledico, execror, velut hostem sacrilegam, & blasphemiam Christi Filii Dei & Domini nostri. Amen. Deindè assero & amplector fiduciâ totâ spiritus mei Articulos per eam damnatos, asserendosque pronuntio omnibus Christianis, sub pœna æternæ maledictionis, & Antichristos habendos; quicumque Bullæ consenserint, quos & his scriptis conjuncto mihi omnium spiritu, qui purè Christum cognoscunt & colunt, pro ethnicis habeo & devito secundùm præceptum ejusdem Domini nostri Jesu Christi. Amen. Hæc mea revocatio esto, ò Bulla, verè bullarum filia*.

XV. Indè Papâ, Cardinalibus, & qui Ecclesiæ Romanæ adhærent, tanquam indoctis ac insipientibus, & verbo Dei resistentibus contemtis, concludit: *Verùm eorum temeritati oppono constanter invictum Paulum* (1. *Cor.* 14. *v.* 30.) „ Si alteri sedenti revelatum fuerit, prior taceat „. *Hinc clarè habes, Papam & quemvis alium majorem debere tacere, si alteri inferiori in Ecclesia revelatum aliquid fuerit. Hâc ego auctoritate nixus contemtæ Bullæ temeritate, cum fiducia Articulos defendendos suscipio, nullius nudam damnationem tanti facturus, etiamsi Papa sit cum tota sua Ecclesia, nisi Scri-*

Scripturis me erudierit. Ita infamis iste nebulo sibi revelatum dictitans (à Diabolo non à Deo), Papam,& quemcumque alium contrarium sententem, tacere jubet, & tanquam dogmata fidei suos errores pronuntiat, quorum primus est:

Hæretica sententia est, sed usitata, Sacramenta novæ Legis gratiam dare illis, qui non ponunt obicem. II. *In puero post Baptismum negare remanens esse peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare*. III. *Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam ab ingressu Cœli*. IV. *Imperfecta caritas morituri fert secum necessariò magnum timorem, qui se solo satìs est facere pœnam purgatorii, & impedit introitum Regni*. V. *Tres esse partes Pœnitentiæ Contritionem, Confessionem, Satisfactionem, non est fundatum in Scriptura Sacra, nec in antiquis Sanctis Doctoribus*. VI. *Contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem; hæc contritio facit hypocritam, imò magìs peccatorem*. Hi Articuli sunt sex priores à Leone X. damnati.

XVI. Eâdem insolenti temeritate alium edidit librum fol. 94. Tom.2. cui titulus: *Assertio omnium Articulorum Martini Lutheri per Bullam Leonis X. novissimam damnatorum*. In eo contumaciter propugnat, non solùm sex præfatos, sed reliquos omnes sequentes, à quibus referendis abstineo, cùm in ipsa Leonis Bulla legi possint. Neque hic stetit ejus impietas: ad facinus execrandum, & omnibus retro seculis inauditum (ut supra tetigi) processit. Totum nempè Jus Pontificium unà cum Leonis diplomate decimâ die Decembris anni 1520. publicè combussit. Mox sacrilegum facinus edito Libello qui extat Tom. 2. fol. 119. excusavit, Articulos triginta ex Juris Pontificii Libris velut absurdos & impios traducens, ipsisque gratum sensum per calumniam affingens, quasi omnes eò tendant, *Ut Papa sit & Deo & omnibus hominibus superior, ipsique etiam Deus & Angelus sint subjecti*. Addens, totius Juris Canonici summam nil aliud docere, quàm *Quòd Papa est Deus in terris, superior omnibus cœlestibus, terrenis, spiritualibus & secularibus: & omnia Papæ sunt propria, cui nemo audeat dicere. Quid facis?* Deindè Romanum Pontificem *Antichristum*, Romanam Ecclesiam *Synagogam Satanæ*, *Babylonem*, *Lupanar*, *Sedem Antichristi*, impius Hæresiarcha appellavit. Subindè responsum ad Librum Ambrosii Catharini Ordinis FF.Prædic., postea Episcopi Minoritani, evulgavit plenum blasphemiis, convitiis, & contumeliis in Romanam Ecclesiam, ejusque doctrinam, & præsertim in Romanum Ponti-

tifi-

tificem, in quem transfert visionem Danielis cap.8. de Antichristo.

XVII. Post scriptam ad Leonem X. inverecundam Epistolam, ad cujus calcem hæc verba apposita leguntur Tom. 2. fol. 63. *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis iniquitates ipsorum*: subjecit Librum omnium maximè blasphemum *De Captivitate Babylonica Ecclesiæ*. Ejus in limine pœnitere se profitetur, quòd *Indulgentias non penitùs rejiciendas* antea censuerit, sed beneficio Sylvestri, & Fratrum qui strenuè eas tutati sunt, intellexerit; *Eas aliud non esse, quàm meras Romanorum adulatorum imposturas, quibus & fidem Dei & pecunias hominum perderent*.

Displicere etiam sibi moderationem, quâ Papatum, quem Divini Juris esse negaverat, humani saltem juris agnovit. Nunc verò se scire, & certum esse, *Papatum esse Regnum Babylonis, & potentiam Nembroth robusti venatoris*. Propterea Librarios & Lectores orat, ut iis quæ de hac re antea dixerat, exustis, hanc propositionem teneant: *Papatus est robusta venatio Romani Episcopi*.

Dixerat olim conveniens fore, ut de utraque specie Eucharistiæ laicis porrigenda Concilium Generale statueret, hìc errorem ulteriùs provehit, dicens, utramque speciem ab omnibus, etiam laicis ex Christi præcepto esse sumendam, nec sub una integrum sumi Sacramentum. Unde fol. 66. ait: *Concludo itaque, negare utramque speciem laicis, esse impium & tyrannicum, nec in manu ullius Angeli, nedum Papæ & Concilii cujuscumque*.

XVIII. Deindè specioso solvendæ captivitatis Romano-Babylonicæ titulo, in atrociores blasphemias erumpens, dicit 1. *Non esse septem Sacramenta, & tantùm tria pro tempore ponenda, Baptismum, Pœnitentiam, Panem: & hæc omnia per Romanam Curiam in miserabilem captivitatem ducta... Quamquam si usu Scripturæ loqui velim, nonnisi unum Sacramentum habeam, & tria signa sacramentalia*.

2. *In Altari verum panem, verumque vinum absque hæresi credi posse. Transubstantiationem nullâ Scripturâ, nullâ ratione niti: Ecclesiam ultra mille ducentos annos rectè credidisse, nec unquam de ista transubstantiatione (portentoso scilicet vocabulo & somnio) meminisse Sanctos Patres donec cœpit Aristotelis simulata Philosophia in Ecclesia grassari, in istis trecentis novissimis temporibus, in quibus & alia multa perperam sunt determinata*.

3. *Impiissimum esse illum abusum, quo factum est, ut ferè nihil sit hodiè in Ecclesia receptius, ac magìs persuasum, quàm Missam esse opus bonum & Sacrificium. Qui abusus inundavit infinitos alios abusus, donec fide Sacramenti penitùs extinctâ, meras nundinas, cauponationes, & quæstuarios quosdam contractus è Divino Sacramento fecerint*

cerint &c. Hinc vestes sacras, ornamenta, cantus, preces, organa contemnit: Evangelium non finere, Missam esse Sacrificium, aut eam pro defunctis ac viventibus offerri. Contra Missam nedum hic, sed editis libris *De Missa privata & Angulari* impiè debacchatur.

4. *Missam secundùm substantiam suam nihil aliud esse quàm verba Christi* ,, Accipite & manducate ,, *seu Christi promissionem, & ideò ad eam dignè habendam nil aliud requiri, quàm fidem, quæ huic promissioni fideliter innitatur.*

5. *Periculosum, imò falsum esse, opinari pœnitentiam esse secundam tabulam post naufragium, & perniciosum errorem esse putare, per peccatum excidisse vim Baptismi, & navem hanc esse illisam, cùm semper firma maneat in Divina promissione quæ dicit* ,, Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit ,, *ut prorsùs non dubitemus, nos esse salvos postquam sumus baptizati. Nam nisi hæc adsit, aut paretur fides, nihil prodest Baptismus, imò obest, non solùm cùm suscipitur, sed toto post tempore vitæ. Si fides Baptismi adsit, hæc est vera pœnitentia, quâ à peccatis purgatur absque ullo pœnali opere & salvus fit.*

6. Impiè asseri, *quòd Sacramenta signa sint efficacia gratiæ, nisi hoc modo efficacia dixeris, quòd si adsit fides indubitata, certissimè & efficacissimè gratiam conferant.*

7. *Numquam irritum fieri Baptismum, donec desperans redire ad salutem noluerit. Baptizatum, etiam volentem, non posse perdere salutem suam quibuscumque peccatis, nisi nolit credere.*

8. *Neque Papam neque Episcopum neque ullum hominum habere jus unius syllabæ constituendæ super Christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu. Quidquid aliter fit, tyrannico spiritu fieri. Ecclesiæ legibus veram Ecclesiæ libertatem non modò captivari, sed pessumdari penitùs. Christianis nihil ullo jure posse imponi legum, sivè ab hominibus sivè ab Angelis, nisi quantum volunt. Papa super nos constituit leges? Quis dedit ei potestatem captivandæ hujus nostræ libertatis per Baptismum nobis donatæ? At nunc, tacitâ fide, infinitis legibus operum & cæremoniarum, extincta est Ecclesia, ablata virtus & scientia Baptismi, impedita fides Christi.*

9. *Vota prorsùs omnia tollenda atque vitanda, sivè sint Religionum, sivè peregrinationum, sivè quorumcumque: & manendum in libertate religiosissima Baptismi. Christianus enim nulli legi addictus est, nisi Divinæ.*

10. *Vota privatìm & arbitrio facta damnare non audet: benè tamen vota publica & perpetua, quæ Deus ulturus facit ut ea non fervent: ideòque Ecclesiæ sunt perniciosa. Votum enim est lex quædam cæremonialis & humana traditio, seu præsumtio, à qua Ecclesia per Ba-*

Baptismum liberata est. Vota nullum habent in Scripturis testimonium & exemplum, fideique, & Baptismo detrahunt.

11. *Opera quantumlibet sacra & ardua Religiosorum & Sacerdotum, in oculis Dei prorsùs nihil distare ab operibus rustici in agro laborantis, aut mulieris in domo sua curantis. Sed sola fide apud eum mensurari.*

12. *Si votum dispensari potest, quilibet frater cum proximo, & ipse secum, dispensare potest. Sin dispensare proximus non potest, nullo jure Papa potest.*

13. *Matrimonium non dirimitur, si alter altero etiam invito Monasterium ingrediatur, nondum consummato matrimonio.*

14. *Necesse non esse occulta peccata confiteri Prælato, aut Sacerdoti, sed sufficere ut frater fratri confiteatur. Et verba illa:* „ Quodcumque ligaveritis super terram ligatum erit & in Cœlis: „ & quodcumque solveritis super terram, solutum erit & in Cœlis „ *omnibus & singulis Christianis dicta esse.*

15. *Pontificem & Episcopos non habere jus reservandi sibi casus.*

16. *Circumstantias peccatorum cum matribus, filiabus, sororibus, affinibus, locorum, temporum, dierum, personarum, esse omninò contemnendas. Apud Christianos enim una est circumstantia, quæ est peccasse in fratrem.*

17. *Veram satisfactionem nil aliud esse, quàm innovationem vitæ.*

18. *Nullam esse rationem, ut Confirmatio inter Sacramenta divinitùs instituta numeretur. Satis esse pro ritu quodam Ecclesiastico, seu cæremonia sacramentali eam habere, similem cæremoniis consecrandæ aquæ &c. Cùm enim promissionem Divinam non habeant, Sacramenta fidei dici non possunt.*

19. *Matrimonium novæ Legis Sacramentum non esse, cùm illi desit Divina promissio, aliquid gratiæ Dei accepturus quisquis uxorem duxerit.*

20. *Nullum esse impedimentum matrimonii, quod non est in Scriptura expressum. Contracta contra leges Ecclesiæ matrimonia dirimi non posse. Impedimenta spiritualis affinitatis, disparitatis cultus, criminis, Ordinis, meras esse nugas, & hominum commenta.*

21. *Inter Sacerdotem & uxorem verum esse & inseparabile matrimonium, mandatis Divinis probatum.*

22. *Urgente amore juventutis, & quávis aliá necessitate, propter quam dispensat Papa, dispensare etiam posse quemlibet fratrem cum fratre, aut ipsum cum se ipso, raptá uxore de manu tyrannicarum legum; utcumque poterit.*

23. *Conjuges facto divortio ad cælibatum non esse cogendos.*

24. *Sa-*

24. *Sacramentum Ordinis Ecclesiam Christi ignorare, inventumque esse ab Ecclesia Papæ.*

25. *Characterem indelebilem, qui Ordinatis imprimitur, figmentum esse.*

26. *Christianos omnes esse æqualiter Sacerdotes, hoc est eandem in verbo & Sacramento quocumque habere potestatem: verùm non licere quemquam hác ipsá uti nisi vocetur. Sacramentum Ordinis nihil aliud esse, quàm ritum quemdam eligendi Concionatoris in Ecclesia: & eum qui non prædicat verbum nequaquam esse Sacerdotem. Quare eos, qui tantùm ad horas Canonicas legendas, & Missas offerendas ordinantur, esse quidem Papisticos, sed non Christianos Sacerdotes.*

27. *Ordinare tales Sacerdotes, & Ecclesias & Campanas consecrare, pueros confirmare, posse Diaconum, vel quemlibet laicum.*

28. *Unctionem Extremam Sacramentum non esse. Epistolam, in qua scriptum est* ,, Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros &c.,, *probabiliter asseri non esse Apostoli Jacobi, nec Apostolico spiritu dignam.*

29. *In rigore loquendo, duo tantum esse in Ecclesia Sacramenta, Baptismum & Panem, cùm in his solis à Christo institutum sit signum annexam habens promissionem gratiæ.*

30. *Pœnitentiæ Sacramentum, quod antea his duobus accensuit, signo visibili & divinitùs instituto carere, & aliud non esse, quàm viam ac reditum ad Baptismum.*

XIX. Hæc præcipua sunt, quibus titulo solvendi à captivitate Papæ populum Christianum, Diabolo sibi familiari & magistro docente, totam Ecclesiæ fidem & disciplinam evertere Lutherus parat, amplamque aperit viam ad libertatem carnis & sensus: sicut Diabolus hoc argumento *Cur præcepit vobis Deus?* in primis parentibus totum genus humanum decepit ac seduxit; ita Lutherus fidelis Diaboli minister, hoc simili argumento *Cur præcepit vobis Papa?* quasi Papa sub cæcitate captivum populum Christianum teneret, dixit, *Aperientur oculi vestri & eritis sicut Dii scientes bonum & malum.* Et hâc arte speciem libertatis prætereunte, non modicam Germaniæ partem decepit, & ab obedientia Ecclesiæ ejusque Capiti debitâ subtraxit.

XX. Hinc ut verè diabolicam animi sui superbiam, & Papæ contemtum palam faceret, Librum hunc de Captivitate Babylonica his verbis claudit: *Audio paratas esse denuò in me Bullas diras Papisticas, quibus ad revocationem urgear, aut hæreticus declarer. Quæ si vera sunt, hunc Libellum volo partem esse retractationis meæ futuræ, ne suam tyrannidem frustrà inflatam querantur. Reliquam propediem editurus sum talem, Christo propitio, qualem hactenus non* vide-

viderit, nec audierit Romana Sedes, obedientiam meam abundè testaturus. Ita maledicta, quæ adversùs Romanam Sedem rebellis Hæresiarcha in hoc libello partim congerit, & quæ partim congerenda sibi reservat, obedientiæ nomine irrisoriè, sed impiè, superinducit, Papamque Herodi similem ad calcem Libri describens: quasi, sicut Herodes metu amittendi Regni persequutus fuit Christum; ita Papa metu tyrannici imperii amittendi, in Luthero & sua hæresi Christum & Evangelium persequeretur.

Quæ blasphemus iste comminatus fuit, complevit, maximè in Libro quem postea adversùs Ambrosium Catharinum edidit, ac inscripsit de Visione Danielis cap.8., in quo duodecim facies in Antichristo à Propheta prædictas, Romano Pontifici affinxit, & concludit hunc quoquè, sicut illum, sinè manu conterendum. Et abutens verbis Apostoli 2.Thessal.2. v.8. *Quem interficiet Dominus Jesus spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui* &c. Ita blasphemat, seu veriùs insanit: *Non ergo Papam & Regnum ejus (licèt multi id metuant) laici vastabunt, indigni enim sunt hâc mitissimâ vindictâ, sed Christi adventui reservantur, cujus hostes omnium atrocissimi sunt & fuerunt. Sic enim perire debet, qui adversùs omnia consurgit, non manu, sed spiritu Satanæ, ut spiritus spiritum occidat, & veritas dolum revelet: revelasse enim mendacium, destruxisse est.* Sed non advertit perditus Satanæ minister, filium perditionis spiritu Christi in adventu suo interficiendum, Paulo non fuisse Christi Ecclesiam, cui tunc Petrus præerat tamquam Caput, & cui Romani Pontifices in regimine successere, contra quam Christus ipse Matth.16. v.18. portas Inferni non prævalituras præmisit: sed illum ipsum potiùs & omnes Hæreticos veri Antichristi præcursores, & veros filios perditionis. Quod etsi dum viveret capere noluit, post mortem tamen expertus fuit, ac in æternum experietur, & in die adventus sui Christus revelabit.

§. V.

Reliqua Lutheri ad mortem usque.

I. Audacem temeritatem, quâ primò in Papam, & Ecclesiam Romanam ejusque dogmata & leges insiliit, ac omnes qui suis erroribus restiterunt, injuriosè contempsit toto vitæ suæ tempore continuavit. Ab anno 1521. usque ad 1546. quo è vita excessit, libros consarcinavit, quibus omnes ferè hæreses extumulavit: Hos recenset inter alios Alexandre in Hist. Seculi 15. & 16. cap. 2. art.10., ex quibus magis magisque apparet ejus superba petulansque

que audacia ac impudentia, scurrilitas, irreverentia in omnes etiam Principes, animusque paratus ad seditiones in populo adversùs ipsos excitandas.

Qualis in hoc Lutheri animus fuerit, ex facto comprobat Jo. Cochlæus Lib. de Actis & Scriptis Mart. Luth. ad ann. 1523. ubi de ejus maledicentia in Principes: *Neque enim*, inquit, *istud Luthero novum est, omnia comminisci ac fingere, quibus in odium Principum sceleratè concitet, atque exstimulet populum. In quod negotium promovendum, sceleratorum hominum catervam jamdudum contraxit atque adjunxit sibi. Itaque nulla unquam factio fuit ita seditiosa, pestilens, nefaria, quæ sic Religionem omnem tollere, leges omnes obruere, mores omnes bonos corrumpere, Respublicas omnes evertere machinata sit, ut nunc ista conjuratio Lutherana, quæ & Sacra omnia profanat, & profana contaminat. Quæ ita Christum prædicat, ut ejus Sacramenta conculcet: ita Dei buccinat gratiam, ut arbitrii libertatem destruat: ita fidem extollit, ut operibus bonis detrahat, & invehat peccandi licentiam: ita misericordiam sublevat, ut justitiam deprimat, & malorum omnium causam inevitabilem, non in Deum aliquem malum, quod Manichæi saltem commenti sunt, sed in unicum verè bonum rejiciat. Qui cùm ad hunc modum impiè Divina tractarit, velut à Cœlo dejectus serpens, virus effundit in terras. In Ecclesia commovet dissensionem, leges omnes abrogat, Magistratus omnes enervat, Laicos in Sacerdotes concitat, utrosque adversùs Pontificem, populos adversùs Principes.* Hæc decantatæ Reformationis, verè Ecclesiæ desolationis ratio, à Luthero instigante Diabolo invectæ.

II. Et quidem quòd Diabolo suadente Missæ Sacrificium sustulerit, testatur ipse in Lib. de Missa privata, & Unct. Sacerdotum, ubi enarrans disputationem habitam super hoc cum Diabolo, ait: *Contigit me semel sub mediam noctem subitò expergefieri: ibi Satan mecum cœpit ejusmodi disputationem. Audi, inquit, Luthere, Doctor perdocte, nosti etiam te quindecim annis celebrasse Missas privatas penè quotidie. Quid si tales Missæ privatæ horrenda esset idololatria? Quid si ibi non adfuisset Corpus & Sanguis Christi, sed tantùm panem & vinum adorasses, & aliis adorandum proposuisses? Cui ego respondi: Sum unctus Sacerdos, accepi unctionem & consecrationem ab Episcopo, & hæc omnia feci ex mandato & obedientia Majorum. Quare non consecrarem, cùm verba Christi seriò pronuntiarim, & magno serio Missas celebrarim? Hoc nosti. Hoc totum, inquit* (Diabolus) *est verum; sed Turcæ & Gentiles etiam faciunt in suis Templis omnia ex obedientia & seriò Sacra sua faciunt. Sacerdotes Hieroboam faciebant omnia certo zelo & studio contra veros Sacerdotes in Jerusalem. Quid si tua ordinatio & consecratio etiam falsa esset, sicut Tur-*

ca-

carum & Samaritanorum falsi Sacerdotes, falsus & impius cultus est? Hæc Diabolus: qui deindè alia subdit, quæ eadem ab ipso edocti, unà cum Luthero ejus ac Diaboli sequaces contra Missam privatam objiciunt.

III. Hisce Satanicis fallaciis se conatum respondere eisdem rationibus, quibus assuetus erat sub Papatu, protestatur Lutherus. Sed Satanæ fortiùs & vehementiùs instanti, tandem se cessisse fatetur, & librum illum diabolicâ imbutus doctrinâ exaravit. Ecce ex qua schola prodiit Missæ abrogatio. Hinc ne mireris, Lector, si Lutherum, qui Prieratem, Catharinum, aliosque & Ecclesiam ipsam, Catholicas veritates ei opponentes tanta impudentiâ contemsit, vanis Diaboli sophismatibus modò victum & captivatum videas. Diaboli discipulus erat & mancipium. Nam ut ait Christus Matth. 10. v. 24. *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum*. Diaboli tamen & sectatorum ejus fallacias detegit Deus, & ideò timendi non sunt: unde subdit v. 25. *Si patrem familias Beelzebub vocaverunt; quantò magìs domesticos ejus? Ne ergo timueritis eos. Nihil enim est opertum quod non revelabitur; & occultum quod non scietur*. De antiquitate Missæ privatæ agit Card. Bona Lib. 1. Rer. Liturg. cap. 13. à num. 4. & cap. 14. Pro ea stant omnes Catholici Scriptores, ut ostendi Tomo 3. in 3. p. Qu. 3. de Sacrificio Missæ Dub. 3. & aliqua dixi in Vera Ecclesia Tom. 1. cap. 6. §. 4. num. 34.

IV. Contra Votum castitatis apertum bellum indixit. In publicum emiserat anno 1523. Librum de Votis Monasticis ad Parentem suum, in quo estò fateatur, Jus reddendi Votum esse divinitùs institutum, Vota tamen Monastica, præcipuè perpetuæ castitatis, tamquam impia, & verbo Dei contraria impiè blasphemat, si ab eis resilire non liceat. Unde ait: *Votum castitatis, & totius Monasticæ, si pium est, debere necessariò secum involvere libertatem rursùs omittendi, & in hanc fermè sententiam interpretari: Voveo tibi obedientiam, castitatem, paupertatem servandam cum tota Regula Augustini usque ad mortem, liberè, hoc est, ut mutare possim, quando visum fuerit. Si aliter interpreteris aut intellexeris, cernis ex prædictis peccari adversùs libertatem Divinam nobis mandatam, nec posse fieri, ut Deus aliter acceptet, nisi revocet libertatem, idest nisi neget se ipsum*. Dixerat enim Vota Monastica absolutè emissa, esse adversùs libertatem Evangelicam & Divinis mandatis prohibita.

V. Placuit hæc doctrina, & indilatè, idest eodem anno 1523. ab ejus Sectariis executioni sacrilegè mandata. Nam ipsis diebus, quibus Ecclesia anniversariam Dominicæ Passionis memoriam celebrat, novem Virgines genere nobiles Deo sacras, seductas ex Mo-

Monasterio Nimicensi, ipso Luthero probante atque laudante, Wittembergam ad stupra rapuerunt. Imò Leonardum Koppen raptorem incestuosum Panegyricâ Oratione Lutherus celebravit, illud flagititium in Deum referens, & auctorem cum Christo animas ex inferorum potestatibus eripiente comparans (ut refert Cochlæus de Actis & Scriptis Lutheri) cùm enim quereretur Koppen, totum Monasterium Nimicense ob talem raptum in se concitari, respondit Lutherus: *Imò verò felicem raptorem, sicut & Christus raptor erat in Mundo, quando per mortem suam Principi Mundi auferebat arma & vasa sua, ipsumque ducebat captivum. Ita & tu has miseras animas ex carcere humanæ tyrannidis eduxisti, & quidem opportunissimo tempore in Pascha, quo Christus suorum quoquè captivitatem captivam duxit.*

Et ne quid (Cochlæus prosequitur) *rationis aut pudoris ferali sceleri reliquum esset, Lutherus in fine illius libelli sui nominatim commemorat novem Moniales illas nomine & cognomine unamquamque proprio, quæ omnes erant genere nobiles, in perpetuum sanè dedecus, & opprobrium tot inclytarum familiarum, quas tam insigni scelere diffamat.*

Deindè scandalum omnium atrocissimum subjungens: *Atque*, inquit, *ut completior fieret ea iniquitas, septima miserrimarum apostatarum illarum Catharina de Bore, post biennium in seculo vagâ inter Scholares Academicos conversatione Wittembergæ exactum, mox ut diem obierat Dux Federicus Elector, facta est Luthero (si Diis placet) uxor, Monacho Monialis, perfido perfida, flagitioso flagitiosa, scilicet ut esset dignum ollæ operculum, & par pari facilè conjungeretur, & mentiretur eis Paulus dum ait*,, Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt,,. Ita Cochlæus. Ex ista infami pellice jam gravida quando eam sibi copulavit, tres Lutherus genuit filios. An unquam tale monstrum à quocumque etiam impiissimo Ecclesia Dei passa est? Et tanquam Ecclesiæ Reformator à multis adhuc suscipitur, & in veneratione ut Beatus habetur.

VI. Nimius essem, si omnia quæ Lutherus instigante Diabolo in perniciem Ecclesiæ machinatus est, recensere vellem. Venit tandem dies, quâ Deus Ecclesiæ suæ vindex hujus nefarii seductoris morte eam liberare decrevit. Hæc dies fuit decima septima Februarii anni 1546. Contigit autem Islebii, noctu, cùm sero præcedente opiparè cœnasset, ac facetiis de more indulsisset, anno ætatis suæ sexagesimo tertio. Varios de illius obitu libellos emisere præcipui ejus discipuli, Jonas, Philippus Melancthon, & Joannes Pomeranus. Jonas morti ejus subitaneæ & improvisæ inter-

terfuit, ac funebris pompæ texuit historiam. Alii duo funebres habuere conciones; Pomeranus Germanicam ad populum, Latinam ad Scholasticos Melancthon. Ejus cadaver stanneo loculo inclusum Wittembergam delatum est, comitante Catharinâ pellice unà cum tribus filiis à Luthero susceptis, Joanne, Martino, & Paulo, & magnâ equitum peditumque suæ factionis prosecutione. Illius sepulchro hoc epitapium apponendum proposuit Pomeranus:

Pestis eram vivus, moriens ero mors tua, Papa.

CAPUT CIX.

De Lutheri Discipulis, eorumque, à Magistro, necnon inter se discordia.

§. I.

De Carlostadio.

I. EODEM seculo sexto decimo Ecclesiæ verè infausto, alios, qui Luthero in falsis doctrinis disseminandis adjutores essent, Diabolus ab Inferis excitavit. Primus fuit *Andreas Carlostadius* seu *Carolstadius*. Is fuit Archidiaconus Wittembergensis, & Luthero adhæsit; sed ambitione elatus ipsum anteire, & supra, imò contra ipsum sapere orsus est. Cùm enim Wittembergâ abesset Lutherus, in sua conficta Pathmo, non Dei, sed Satanæ revelationes suscipiens, ea quæ Lutherus verbo docuerat exequi, & alia pejora addere Carlostadius tentavit. Ipse primus, quamvis Sacerdos, sacrilegas nuptias contraxit, & quidem tantâ apud Wittembergenses celebritate, ut de eis Missam propriam cælibatui Sacerdotum injuriosam edere non erubuerint. Hanc refert Cochlæus ad ann. 1525. Missam deindè penitùs sustulit, Imagines è Templis ejecit, Sacrosanctam Eucharistiam profanis manibus attrectari fecit, aliaque impia aggressus est, ut par Luthero esse videretur.

II. Intereà è sua Pathmo reversus Lutherus, vidensque ea quæ Carlostadius se absente gesserat, non quòd gesta animo improbaret, sed invidiâ excitatus, quasi primatum sibi eripere vellet, publicâ concione ipsum redarguit, non quòd facta secundùm se mala essent, sed quòd fuissent sine auctoritate Principis attentata. Ille cùm esset facundiâ impar Luthero, coràm populo confusus iram corde detinuit, nec unquam ampliùs Luthero favit. Cùmque eo obstan-

obstante non posset opiniones suas publicè communicare, abiit Orlamundam Oppidum ad Salam fluvium situm, sub ejusdem tamen Principis dominatu. Nactus ibi favore populi scribendi libertatem, apertè reprehendit Lutherum, non modò de Missa, & Imaginibus, verùm etiam de Eucharistiæ Sacramento. Indè Carlostadius Wittembergam operâ Lutheri revocatùs, cùm exequi cunctaretur, tandem effecit Lutherus, ut à cunctis Ducum Saxoniæ locis ac finibus ei interdiceretur.

III. Itaque Carlostadius proscriptus unà cum illegitima uxore sua huc illucque vagari coactus, seditiosis rusticis se adjunxit. At istis cæsis ac dissipatis, eò necessitatis ac miseriæ redactus est, ut ne videretur seditionis incensor, Lutheri inimici sui opem implorare ad sui tutelam coactus fuerit. Lutherus gloriæ hinc sibi aucupandæ, & verum Evangelicum nedum verbo, sed facto se demonstrandi occasionem nactus, preces ejus & excusationem admisit, eique reditum Wittembergam obtinuit: eâ tamen lege, ut de suis contra Lutherum opinionibus nec verbo nec scripto quidquam assereret. Ille igitur Wittembergam reversus, cùm præ pudore conspectus hominum, apud quos & opibus & famâ celebris fuerat, inglorius ferre non posset, in proximum oppidum & circumjacentes villas secessit. Ibi miseriâ adactus ex Theologo, & Archidiacono agricolam agere & arare, ut vitam ageret, cœpit, ut risui atque commiserationi vicinis esset: & maximè uxor ejus, ut quæ ex stirpe nobili orta ac nobiliter educata, homini infami proscripto & abjecto nupta, cujus nuptiæ celebratæ adeò fuerant, ne rustico quidem pane satiari posset. Carlostadius tamen hisce miseriis infractus usque ad mortem Luthero semper infensus in sua impietate perseveravit. Hæc ex Cochlæo citato loco excerpta sunt.

IV. Carlostadii errores, præter communes cum iis quos docebat Lutherus, fuere. Primò, quòd Sacra Signa & Imagines è Templis primus ejecit. Secundò, & præcipuè, quòd Christi Corpus & Sanguinem re ipsâ & secundùm substantiam in Eucharistia adeò negavit (quod Lutherus absolutè non negabat) & sic sepultam olim Sacramentariorum hæresim excitavit. Affirmabat enim, Christum cum dixit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis traditur*, istud pronomen *Hoc*, non in panem dixexisse, sed in se ipsum, ut sit sensus: *Accipite & comedite, nam ego hoc Corpus meum sum vobis traditurus*. Libellis *de Cœna Domini*, quos Orlamundæ, ubi tunc Ministrum agebat, edidit, hunc suum errorem tueri conatus est. De quo fusiùs scribit Zuinglius in Epist. ad Matthæum Albertum Reutlingensium Ministrum, in qua ejus sententiam nec omninò probat, nec penitùs improbat. Ipsum quidem laudat, quòd sen-

senserit, *verbis Christi alium oportere subesse sensum, quàm primâ fronte promittant. Verùm, ut illum explicaret, non satis clarè vidisse*: illique idem accidisse, quod *Tironi, cui animus & arma ad pugnandum non desunt, sed armorum peritia*.

V. Melancthon in Epistola ad Fridericum Myconium ita eum describit: *Carlostadius primus excitavit hunc tumultum, homo ferus, sinè ingenio, sinè doctrina, sinè sensu communi, quem nullum unquam humanitatis officium aut intelligere aut facere animadvertimus, tantum abest, ut in eo significatio aliqua Spiritus Sancti animadversa sit: imò extant manifesta signa impietatis. Damnabat omnes Leges ab Ethnicis conditas, contendebat in foro Jus ex Moyse dicendum esse, non intelligens vim & naturam Christianæ libertatis. Totam illam fanaticam Anabaptistarum doctrinam statim initio amplectebatur, cùm cœpisset eam in Germania serere Nicolaus Stork. Controversiam de Cœna Domini tantùm odio Lutheri, non aliquâ pietatis opinione movit. Bona pars Germaniæ testari posset, me nihil in hac causa fingere. Quamquam, si testibus opus sit, Libelli ipsius adversùs auctorem dicunt certissimum testimonium. In his apparet, hominem ne ratione quidem aliquâ in speciem probabili motum esse ad scribendum. Quod suaviter nugatur de demonstratione vocis* Tuto (idest Hoc) *Quod affert ad causam tantam Ecclesiæ veteris aut illius magni Authoris testimonium? Quæ vox est in tota disputatione, in qua sit aliqua pietatis significatio?* Indè illum comparans iis qui semiebrii inter pocula loquuntur, concludit: *Meo quidem judicio magna est temeritas, dogmata serere non consultâ Ecclesiâ veteri*.

VI. His Carlostadium Melancthon perstringit; Sed non advertit, hæc omnia in se ipsum ac suum magistrum Lutherum retorqueri. Quis enim Lutherus? Quo fine motus ad scribendum, & sectam formandam? Nonne odio Papæ & Ecclesiæ Romanæ? Quæ signa pietatis in ejus scriptis, & non potiùs scurrilitatis, & omnium Veterum contemtus? *Quid affert* Lutherus *ad causam tantam Ecclesiæ veteris, aut illius magni Auctoris testimonium?* Quod si affert, vel contra Ecclesiæ veteris Patres interpretatur, vel si sibi non consentiunt, eos errasse dicit. Si ergo *tuo judicio*, Melancthon, *magna est temeritas dogmata asserere, non consultâ Ecclesiâ veteri*; nonne major temeritas erit, te sequi Lutherum, qui Ecclesiam veterem non solùm non consulit, sed impudenter contemnit?

Exul è Saxonia Carlostadius in Helvetiam venit, & à Tigurinis (qui prius Sacerdos & Archidiaconus fuerat) Diaconus ordinatus est. Post Zuinglii tandem obitum Basileam profectus, ad Ministerium assumtus est, ibique peste obiit. Plura de Carlostadio addit Floremundus Remundus in Synopsi Lib. 2. cap. 7.

§. II.

§. II.

De Zuinglio, & Œcolampadio.

I. DUm Lutherus & Carlostadius in Saxonia deliria sua contentiosè spargerent, Huldricus Zuinglius novam discordiæ facem accendit. Is in pago Boggiorum in Helvetia natus, Claronensis primùm, posteà Eremitanæ Ecclesiæ Pastor, ad Urbis Tigurinæ Parochialem administrandam vocatus, vel ut vult Floremundus Remundus citato Lib.2.cap.8., è milite Canonicus Constantiensis factus, in Helvetia somnia sua quoquè cœpit proponere. Et initio quidem ab Indulgentiis orsus est, uti Lutherus; sed mox ad pejora cum Carlostadio prolapsus est; à quo tamen in Sacramentaria re quoad modum explicandi verba Christi *Hoc est Corpus meum* dissentiebat: in eo tamen conveniebat, quòd contra unanimem totius Ecclesiasticæ antiquitatis consensum RealemCorporis Jesu Christi in Cœna præsentiam negaret: & ita à Luthero, cui ante adhæserat, discessit, & suam ad Carlostadii opinionem aliquantò accommodavit. Annum hunc, qui fuit 1525., tanquam funestum Lutherani detestantur, ut in quo Sacramentariorum Secta ita in apertum prodiit, ut tutum locum & sedem cœperit obtinere, quem in Carlostadio vago non potuerat habere.

II. Varios errores in pseudo-Synodo Tigurina primùm afflavit Zuinglius anno 1519., ex quibus Natalis Alexandre in Hist. Seculi 15. & 16. cap.2. art.10. §.3. num.2. refert sequentes.

1. *Missa non est Sacrificium, sed Sacrificii in Cruce semel oblati commemoratio, & quasi sigillum redemptionis per Christum exhibitæ.*

2. *Nobis extra hanc vitam intercessore præter Christum nullo opus est.*

3. *Christus est nostra justitia. Hinc consequitur, opera nostra eatenus esse bona, quatenùs sunt Christi, quatenùs verò nostra, non esse verè bona.*

4. *Christianorum nullus ad ea opera, quæ Christus non præcepit, adstringitur. Quolibet tempore quolibet cibo vesci potest.*

5. *Quidquid Deus non vetat & permittit, justè fit. Ex quo discimus, matrimonium ex æquo omnibus convenire.*

6. *Qui Ecclesiastici vulgò, seu Spirituales vocantur, peccant, dum posteaquam senserint castitatem sibi à Deo negatam, non uxores ducunt, aut nubunt.*

7. *Qui vovent castitatem, stultâ præsumtione, & puerili arrogan-*

gantiâ tenentur. Qui ergo ab eis vota bujusmodi, vel exquirunt, vel oblata recipiunt, injuriam eis faciunt, & tyrannidem in simplices exercent.

8. *Potestas, quam sibi Papa, & Episcopi, cæterique, quos Spirituales vocant, arrogant, ex Sacris Literis, & doctrina Christi firmamentum non habet.*

9. *Confessio quæ Sacerdoti, aut proximo fit, non pro remissione peccatorum, sed pro consolatione haberi debet.*

10. *Opera satisfactionis à Sacerdote imposita humanæ sunt traditionis.*

11. *Scriptura Sacra Purgatorium post hanc vitam nullum novit.* Preces tamen pro defunctis non damnans, *Si quis*, inquit, *pro mortuis sollicitus, apud Deum gratiam eis implorat, aut precatur, non damno.*

12. *De charactere, quem postremis hisce temporibus excogitarunt Sacrifici, nihil novit Divina Scriptura.*

13. *Scriptura alios Presbyteros aut Sacerdotes non novit, quàm eos qui verbum Dei annuntiant.*

III. Tigurinus Magistratus adhærens Zuinglio omnibus Pastoribus Urbis ac ditionis suæ mandavit, ne posthac aliud Ecclesiis suis proponerent, quàm purum Dei verbum, Prophetarum & Apostolorum Libris comprehensum. Indè alter Conventus habitus fuit, quo solemnis Eucharistiæ circumgestatio prohibita, & Sanctorum Reliquiæ sublatæ. Quamvis autem reliquæ Helveticæ Tribus Lucernam convenientes, quicquam in suis ditionibus de Religione innovari vetuissent, & missis ad Tigurinos Oratoribus de sacrilega novitate fuissent conquestæ, nulla tam justæ querelæ habita est ratio. Ad Constantiensis Episcopi monita, Librumque pro Catholicæ fidei defensione ab ipso præscriptum, aures clauserunt. Imò die 11. Aprilis anni 1525. Missa & Eucharistiæ adoratio Senatus consulto abrogatæ sunt, & novus Sacramentariæ Cœnæ ritus institutus.

IV. Zuinglius ergo errorem suum palmarem de Eucharistia diù animo cogitatum, quo nec Realem Corporis & Sanguinis Christi præsentiam per Transubstantiationem fateri cum Catholicis volebat, nec cum Lutheranis Impanationem & Invinationem, seu simultaneam Corporis & Sanguinis Christi cum pane & vino existentiam, exponere volebat; cùmque ex dictis nec Carlostadii explicationem probaret; exponebat, dicens, Panem Eucharisticum esse merum signum absentis Corporis, & vinum Sanguinis Christi, nec aliud re verâ distribui in Cœna, quàm merum panem & vinum. Hæc tota substantia Zuinglianæ doctrinæ de Cœna; quam in Berengario olim

olim damnatam, & à Zuinglio excitatam non solùm Helvetii magno plausu susceperunt, sed alii postea & præcipuè Calvinistæ adhuc profitentur. Hâc ergo suppositione suo cerebro, seu, ut dicam Diaboli suggestione confictâ, Sacramentum Eucharistiæ Zuinglius definiebat, nil aliud esse, quàm Sanctam & Divinam quandam populi in Ecclesia Dei memoriam & gratiarum actionem pro passione & morte Jesu Christi. Interrogatus autem, cur Christus tradendo panem & vinum asserere potuerit: *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus?* respondebat, *Panem ideò vocari Corpus Domini, quia illum manducando in memoriam reducatur passio ejus*: perindè ac si manducando pisa, & cogitando de ovis, dicamur manducare pullos gallinarum.

V. Quo verò spiritu excitatus doctrinam hanc suam diù conceptam tandem firmaverit, exponit ipse in libello de subsidio Eucharistiæ. Cum enim diù dubitasset, quâ ratione figuram in verbis Christi Eucharistiam instituentis explicare posset, dicit, quòd tertiadecimâ die Aprilis anni 1525. illucescente, in somno *Visus est Monitor adesse* (ater fuerit, an albus, *nihil memini, somnium enim narro) qui diceret: Quid, ignave, respondes ei quod Exodi 12. scribitur,* „ Est enim Phase „ *id est* Transitus Domini? *Protinus, ut hoc phantasma visum est, simul expergefio, & è lecto exsilio. Locum apud Septuaginta undique primùm circumspicio, ac de eo coram tota concione pro virili edissero.* Itaque suo Monitore edoctus cœpit Zuinglius evulgare, quòd sicut Pascha, quam Judæi celebrabant, erat mera figura Transitus Domini: ita Eucharistia, quam Christiani sumunt, aliud non erat, quàm figura & memoria Corporis & Sanguinis Christi pro nobis traditi & fusi.

VI. Hanc suam esse fidem, liberè protestatur in Responsione ad Confessionem Lutheri anno 1528. editâ, & Joanni Duci Saxoniæ & Philippo Lantgravio dicatâ, his verbis: *Credo, quòd in Sacra Eucharistia, hoc est, gratiarum actionis Cœna, verum Christi Corpus adsit fidei contemplatione: hoc est, quòd ii, qui gratias agunt Domino pro beneficio nobis in Filio suo collato, agnoscunt illum veram carnem assumsisse, verè in illa passum esse, verè nostra peccata sanguine suo abluisse, & sic omnem rem per Christum gestam illis fidei contemplatione velut præsentem fieri. Sed quòd Christi Corpus per essentiam & realiter, hoc est, Corpus ipsum naturale in Cœna aut adsit, aut ore dentibusque nostris mandatur, quemadmodum Papistæ, & quidam qui ad ollas Ægyptiacas respectant, perhibent, id verò non tantùm negamus, sed errorem esse, qui verbo Dei adversatur, constanter asseveramus.*

VII. Joachimus Westphalus Sectâ Lutheranus advertens, hanc figu-

figurativam tantùm Corporis Christi perceptionem, ipso Zuinglio teste, incertum, an ab Angelo an à Diabolo revelatam, in Apologia contra Calvinum: *Quàm benè putas*, inquit, *fundamento hoc fides nostra nitetur? Animarum nostrarum saluti numquid benè prospectum erit, si somniatori credamus, cui Monitor apparuerit, quem ater an albus fuerit ipse nescit? Eja verò fidamus, ei credamus, verbum* Est *in S. Scriptura accipiendum esse pro* Significat, *&* Corpus *pro* Symbolo Corporis. *Abite, abite cum somniis vestris & nigris monitoribus: nos Dei Filio auscultamus, & credimus, de quo Pater ipse è Cœlo clamat, Hunc audite.* Optimè quidem in hoc, Westphale, dicam ego. Sed cur eadem contra tuum magistrum Lutherum non pronuntias? Zuinglius veritatem Corporis Christi in Eucharistia negavit, incertus, an monitor esset Angelus an Diabolus; & ideò eum damnas. Tuus Lutherus negavit Missæ Sacrificium, certus, ut suprà ex ipso attuli, quòd ille, qui ad illud abrogandum suadebat, erat Satanas. Cur ergo Lutherum non damnas, sed in hoc ipsum sequeris? Numquid animæ tuæ saluti benè prospectum erit, si ei credas, cui Satanam hoc suggessisse certò scis?

VIII. Præter errorem de Eucharistia, alios Zuinglius professus fuit. In responsione enim ad Confessionem Lutheri de Sacramentis profitetur, ea non conferre, sed esse signum & testimonium purum gratiæ collatæ: *Credo*, inquit, *imò scio, omnia Sacramenta tam abesse, ut gratiam conferant, ut ne afferant quidem aut dispensent... Sacramenta dari in testimonium publicum ejus gratiæ, quæ cuique privato priùs adest. Sic dari Baptismum coram Ecclesia ei, qui priusquam illum recipiat, Religionem Christi aut confessus est, aut promissionis verbum habet, quo scitur illum ad Ecclesiam pertinere. Adultos fidem profiteri, antequam Baptismum recipiant. Pueros promissionem Dei habere quæ ipsos non minùs reputat de Ecclesia, quàm Hebræorum. Cùm enim hi offerunt qui de Ecclesia sunt, jam baptizatur infans hâc lege, quòd quandoquidem ex Christianis natus sit, intra Ecclesiæ membra Divinâ promissione reputetur. Baptismo igitur Ecclesiam publicè recipere eum, qui priùs receptus est per gratiam. Non ergo Baptismum afferre gratiam, sed Ecclesiam testari gratiam factam esse ei, cui Baptismus datur.*

IX. De peccato originali censet: *Ipsum, ut est in filiis Adæ, non propriè peccatum esse, sed morbum & conditionem. Morbum, quia sicut ille ex amore sui lapsus est, ita & nos labimur: Conditionem; quia sicut ille servus factus est, & morti obnoxius, sic & nos servi & filii iræ nascimur, & morti obnoxii.* Fatetur tamen, hunc morbum & hanc conditionem juxta Pauli morem *appellari peccatum: imò tale esse peccatum, ut quicumque in eo nascuntur, hostes &*

adver-

adversarii Dei sint: Hunc enim trahere illos nativitatis conditionem, non sceleris perpetrationem, nisi quantum hoc semel perpetravit Primus Parens. Veram igitur perduellionis & mortis causam esse perpetratum ab Adam crimen & nefas, atque hoc verè esse peccatum. At peccatum istud, quod nobis adhæresit, & verè morbum & conditionem, imò necessitatem esse moriendi.

Hunc suum errorem apertiùs exponit in Declaratione ad Urbanum Rhegium Augustanum Ministrum: *Sic ergo*, inquit, *diximus, originalem contagionem morbum esse, non peccatum, quòd peccatum cum culpa conjunctum est: culpa verò ex commisso vel admisso ejus nascitur, qui facinus designavit. Exemplum do: Servum nasci misera conditio est, non culpa ejus qui sic nascitur, neque crimen: qui enim nascitur, nondum quidquam admisit, aut commisit. Si ergo dicat quis: At majores ejus commiserunt, ut in servitutem redigerentur tam ipsi, quàm ex se se prognati: ergo crimen fuit, ex quo culpa, quam deindè servitus seu mulcta seu pœna sequuta est. Rectè sanè. Hoc ipsum volo, culpam originalem, non verè, sed metonymicè à primi Parentis admisso, culpam vocari: esse autem nihil aliud, quàm conditionem, miseram quidem illam, ac multò severiorem, quàm crimen meruerat.*

X. Ex hoc falso principio deducit: *Quòd Baptismi lavacro nullum prorsùs peccatum tollitur: & duriùs definiri, Christianorum liberos, si tincti non sint, damnationi alligari, & quòd nullo Scripturæ testimonio nititur, Baptismo tolli peccatum originale, aut gratiam eo conferri, nisi Baptismi signo Christum qui eo signatur, intelligas: & Baptismum Ecclesiæ Christi signum esse, non aliter quàm exercitus aliquis signatur, non quòd signum hoc conjungat Ecclesiæ, sed qui ei jam conjunctus est, publicam tesseram accipit: sicut nemo in exercitum scribitur, eò quòd signum induit (alioquin & hostes & proditores, qui nonnumquam signa per insidias variant, de exercitu essent) sed is qui in exercitum jam scriptus est, signo publico dignus ducitur, quo omnibus manifestus fiat, nomen dedisse Duci ei, sub quo militaturum promisit.* De his inter Lutherum & Zuinglium diù disceptatum; sed numquam conventum est. Unde uterque in suo errore permanens abscessit.

XI. Anno 1526., referente Cochlæo, in Baden Helvetiorum Oppido habita fuit celebris disputatio ad sedanda dissidia, quæ apud Helvetios Zuinglius & Œcolampadius ex una parte, & Lutherana hæresis ex alia excitaverant. Ex Catholicis præter alios multos Joannes Faber, Joannes Echius, & Thomas Murrenus ad disputandum parati erant: Zuinglius, quamvis invitatus, adesse recusavit. Habita tamen est disputatio, in qua Echius adeò strenuè

nuè pro Catholica veritate pugnavit, ut communi Helvetiorum decreto, sequentes Articuli statuti & lege confirmati fuerint, nempè:

1. *Verum Christi Corpus ejusque Sanguis præsentia sunt in Sacramento Altaris.*

2. *Quæ & verè offeruntur in Officio Missæ pro vivis & defunctis.*

3. *Virgo Maria aliique Sancti Cælicolæ invocandi sunt ut intercessores.*

4. *Domini nostri Jesu Christi, ejusque Sanctorum Imagines delendæ non sunt.*

5. *Post hanc vitam Purgatorius est ignis.*

6. *Pueri etiam Christianorum in peccato originali nascuntur.*

7. *Baptismus Christi, non Joannis, tollit originale peccatum.*

His Articulis & Lutheri & Zuinglii doctrina proscribitur. Anno tamen 1528. habitâ Bernæ disputatione ex decreto laici Magistratus, Bernates & Constantienses à Catholica Religione ad Zuinglii Sectam defecerunt. Hos deindè secuti sunt Basileenses, Schafhusiani, Santgallenses, Mulhusiani, & Bielenses.

XII. Eodem anno, quo miserè, ut dicam, necatus fuit, Confessionem Fidei suæ scripsit Zuinglius ad Galliæ Regem, mense nimirùm Februario anni 1531. In ea septem virtutes tribuit Sacramentis, nullam tamen efficaciam ad gratiam eis concedit, sed meram significationem, excitationem fidei, & quod juramenti vices suppleant. Primò enim dicebat, quòd Sacramenta *Res sanctæ ac venerandæ sunt, utpotè a Summo Sacerdote Christo institutæ, & susceptæ*. Secundò: *Quòd testimonium rei gestæ præbeant*. Tertiò: *Quòd vice rerum sint, quas significant, unde & nomina earum sortiuntur*. Quartò: *Quòd res arduas significent*. Quintò: *Quòd sint Analogia Symbolorum & rei significatæ*. Sextò: *Quòd auxilium opemque afferant fidei*. Septimò: *Quòd vice Jurisjurandi sunt*. De Eucharistiæ verò Sacramento Sacramentarium suum errorem exponens: *Cogimur ergo*, inquit, *velimus, nolimus, agnoscere hæc verba* „ Hoc est Corpus meum „ *non naturaliter, ac pro verborum proprio sensu esse intelligenda, sed symbolicè, sacramentaliter, & denominativè, hoc modo* „ Hoc est Corpus meum „ *idest Hoc est Sacramentum Corporis mei, sivè Hoc est Corpus meum sacramentale, sivè mysticum, idest ejus quod verè assumsi, mortique objeci, Symbolum Sacramentale, & Vicarium*. Ita hanc suam blasphemiam exponebat.

XIII. Hanc tamen diù inultam Deus non permisit. Eodem enim anno 1531. die 11. Octobris, dum in acie adversùs Catholicas Helvetiorum Tribus dimicaret, confossus interiit, postquam per

per duodecim annos suo veneno Helvetios, & præcipuè Tigurinos, Bernenses, & Constantienses infecisset, ætatis suæ annum agens quadragesimum octavum. Factum hoc referens Cochlæus, enarratâ strage, quam eo in prælio de hæreticis fecerunt Catholici: *Repertus*, inquit, *fuit in ea strage Zuinglius omnis perfidiæ discordiæque inter Helvetios auctor à duobus Catholicis pronus in facie adhuc spirans, quem illi non cognoscentes interrogarunt, an vellet confiteri? At ille tacuit velut mortuus. Superveniens autem alius qui eum cognovit, lethale inflixit vulnus, Capitaneisque protinùs indicavit*, qui jusserunt eum sisti publico judicio, in quo sanè judicatus est ut proditor, atque combustus ut hæreticus. Ferunt autem, quosdam Tigurinos asportasse *inde cineres, domumque retulisse*. Is fuit Zuinglii, ut merebatur, exitus; quem Beza *magnum Jesu Christi Apostolum*, & Lutherus *Satanæ discipulum* appellat.

XIV. Qualis fuerit Zuinglii spiritus, tam verè quàm eleganter Tigurinis describit Stanislaus Hosius Cardinalis, in Judicio & Censura de adoranda Trinit. his verbis: *De vestro, Tigurini, Papa Zuinglio quid dicam? qui Lutheri fastum alio majori fastu calcabat, ac minùs etiam quàm ille tolerabilis fuisse videbatur, cùm nullum illius dictum celebretur magìs, quàm illud* ,, Evangelium sitit sanguinem ,, . *Tartaream hanc esse vocem Poeta diceret. Verùm talis Evangelii, quod ex imo Tartaro profectum est, præconem non alia vox magìs decebat. Neque verò dictis magìs, quàm ipsis etiam factis Evangelium, quod ipse prædicabat, sitire sanguinem demonstravit: statim enim ut se Papam ipse vestrum constituit* ,, cœpit Ære ciere viros, Martemque accendere cantu ,, . *Quem quidem cantum, ille verbum Dei Christique vocabat Evangelium. Bellonam videres sanguineo flagello armatam. Illo ductore complerunt campos acies; cùmque futurum prædixisset, ut omnes eorum, qui stabant ex adverso, bombardæ atque lanceæ ac alia tormenta bellica in propria ipsorum viscera converterentur, evenit illud quod est apud Poetam* ,, Primusque cadit Tolumnius Augur ,, . *Cujus Evangelium sanguinem sitiebat alienum, suum ipse sanguinem in acie prior unà cum vita profudit. Et quàm verum fuit Evangelium quod prædicabat, tam erat illius vera prædictio. Nec obscuro signo Deus tum declaravit, quinam essent illi, qui suum defenderent Evangelium: cùm paucis admodum & eis inopiâ rerum omnium pressis, victoriam concessit de suis & Evangelii sui hostibus, quos & numero militum, & viribus, & armis, & rebus omnibus ad bellum gerendum necessariis multò fuisse constat instructiores, ut non homines, verùm ipse Deus pro suis fidelibus in aliquot illis præliis pugnasse videretur*. Hæc Hosius.

XV. Joannes Œcolampadius linguarum peritiâ clarus, Ordinis

nis S. Brigittæ excucullatus Monachus fuit. Hic erudiendis Comitis Palatini liberis præpositus fuerat, deindè parentibus & amicis vehementer urgentibus, ut Monachus fieret, protestatus est (ut Discipulus ejus Capito scribit) etiamsi sexcenta vota fecerit, se nullum eorum servaturum, nisi bonum sibi videatur. Ita Floremundus Remundus in Synopsi Lib. 2. cap. 8. n. 9. Qui addit „ Ingressum hujus Monachi videmus, quid exitum miramur? Post-„ quam enim annos aliquos in Conventu egisset, abjecto cucullo „ uxorem duxit, ex qua filium Eusebium, & duas filias Irenem „ & Alitheam (nota Apostolicam progeniem) suscepit. Ait idem, „ se, quum maximè Monasterium relinquere cunctaretur, *à Spiri-„ tu Sancto maximè incitari atque ut exiret moneri solitum*. Desertâ „ Religione ad Zuinglium transiit, & ut ille Tiguri, ita hic Basi-„ leæ velut Episcopalem Sedem sibi constituit, ac Veteris Eccle-„ siæ institutum ac ritus partim abrogavit, partim mutavit. „

XVI. Zuinglio fidus Achates Œcolampadius ejus errorem de Eucharistia profitebatur, licèt in modo illum explicandi differret. Ubi enim Zuinglius verbum *Est* pro *significat* accipiebat, iste permittebat, verbum *Est* in sua propria significatione manere: sed metonymiam collocabat in verbo *Corpus*, ut hic sensus redderetur: *Hoc est Corpus meum*, idest, *Hoc est figura Corporis mei*. Sic ubi ille in somniis, hic in conjecturis opinionis suæ fundamenta collocabat. Ita enim ad Zuinglium scribit: *Quantum ex veterum scriptis conjecturâ assequi possit*, verba illa „ Hoc est Corpus meum „ *per figuram, seu tropum intelligenda, simulque Deum comprecari jubet, utrique ut oculos aperiat, ne cum tot hominum periculo incidant in errorem*. Hæccine ergo est certitudo ejus doctrinæ, quam isti cœlitùs acceptam jactant? En tibi Zuinglium ab una, en Œcolampadium ab altera parte, utrumque novi Evangelii præconem, & utrumque doctrinæ suæ incertum, unum hic expressis verbis, alterum supra fassum, se nescire spiritus suus Doctor albus an ater fuisset. Rursùs cùm iste primus Basileensis pseudo-Apostolus doceat Comment. in cap. 23. Isaiæ, *eos qui à Deo missos se dicunt, non recipiendos, nisi missionem* suam miraculis probent & confirment; ubi istorum missionis testimonia? ubi miracula, quibus se à Deo missos confirment?

XVII. Tandem post multas inter bellicosos illos Alpium incolas excitatas seditiones ac cædes, Œcolampadius ex hac vita abiit coram justo Judice eorum quæ docuit ac fecit rationem redditurus. Infelix Zuinglii cædes, cui unico tantùm mense superstes fuit, valdè eum afflixisse putatur; quam sæpè deplorabat, eumque feliciori morte dignum fuisse ajebat. Mortuus est Œcolampa-

dius

dius anno 1531. ætatis 49. De qualitate mortis synchroni Scriptores variè loquuntur. Lutherus à Diabolo noctu in lecto eum strangulatum dicit: Beza peste mortuum scribit. Ex ulcere super os sacrum erumpente vult Simon Grynæus in ejus vita. Capito longo & gravi morbo confectum obiisse dicit: cùmque amicum quemdam ad lectum accedentem vidisset, rogasse: ecquid novi afferret? Illo autem nihil novi se scire asserente, dixisse: *Atqui ego scio. Mox enim in Paradisum ego abibo*. Alii verò dicunt eum exclamasse, *jam jam in Inferno se futurum*. De facto paulò ante mortem dixisse fertur: *Ego tutus incertus in fide & fluctuans abeo coràm Dei tribunali rationem redditurus, atque experturus, utrum doctrina mea vera, an falsa fuerit*. Heus miser! Non habebas Ecclesiam Columnam & firmamentum veritatis uno ore clamantem, doctrinam tuam Verbo Dei esse contrariam? Cur ergo ipsam non audis pœnitens, sed te judicio illi reservas, in quo nullus erit pœnitentiæ locus?

§. III.

De Melancthone.

I. PHilippus Melancthon Brettæ Electoralis Palatinatus Oppido 16. Februarii anno 1497. hora 7. & minutis 6. post meridiem, patre Armamentarii Palatini Custode, matre Barbarâ Reutorâ natus est. Nativitatis ejus Horoscopum (qualiscumque fidei sit) ab Astrologis formatum exhibet Remundus in Synopsi Lib.2. cap.9. num.1. quo hæreticum & fidei adversarium eum fore indicatur. Rejecto Germanico patrioque nomine *Schuartzerd*, Melancthon voluit appellari. Usus diversis magistris, præcipuè Joanne Reuchlino, Linguarum studio, deinde Philosophiæ vacavit, eamque anno 1511. absolvit Heidelbergæ: sed cùm eâ juvenili ætate in Magistrum secundùm leges promoveri non posset, offensus, Tubingam profectus lauream Magistralem ibi adeptus est anno 1514. ætatis 16. Theologicis studiis postea se adjungens, ab Electore Saxoniæ Friderico Wittembergam vocatus fuit anno 1517., quo Lutherus Ecclesiæ Catholicæ triste bellum movere cœpit. Melancthon ibi Lutherum audiens, ac scientiâ inflatus, necnon novitatis amore incensus, ei comitem se adjunxit anno 1519. cùm annum 22. ætatis explesset, ac pro eo calamum stringere cœpit in Disputatione Lipsiensi. Sequenti anno contraxit nuptias cum Consulis Wittembergici filia, & Libros Lutheri adversùs Parisiensium Theologorum censuram tueri (superbè Theologastros eos appellans) aggressus est.

II. Intelligens hoc Lutherus, Melancthonem tam opportunum suis rebus supra S. Thomam, S. Hieronymum, cæterosque Patres extulit: & cùm quosdam locos Theologicos, in quibus Theologia Lutheri ad mitiorem stylum redacta continebatur, evulgasset, Lutherus eos adeò commendavit, ut inter Canonicos S. Scripturæ Libros recensendos prædicaret. At quia ipse Melancthon eosdem Libros coquens ac recoquens, eos postea auxit & in parte mutavit, quos priùs sanctissimos habuit, ut hæreticos postea Lutherus declaravit. De facto Melancthon homo vaferrimus omnes conciliare satagebat. Quotiès cum Catholicis ei sermo erat, nil aliud spectare se, nihil aliud optare ajebat, quàm ut emendatis abusibus, & conciliatis opinionibus, Ecclesia in pristinam concordiam & integritatem rediret. Cochlæus tamen Philippicâ 7. dicit, eum specie quidem aquam, sed re verâ interim oleum incendio effudisse.

III. Doctrinam Lutheri, quam initio in omnibus secutus fuerat, in multis emollivit. Errorem contra libertatem Arbitrii, quem in locis communibus, necnon in Annot. ad Epist. ad Romanos anno 1520. cum Luthero adoptaverat, postea rejecit, & liberum arbitrium agnovit, & professus est in eisdem Libris anno 1526. Argentorati, 1528. & 1543. Wittembergæ, anno 1546. Lipsiæ, denique 1555. Wittembergæ excussis. Ubi negat, Deum esse auctorem peccati, velle peccatum, & impellere voluntatem ad peccandum, aut approbare peccatum, asseritque, oppositum tenere, esse revocare hæresim Manichæorum. In hoc ergo à Luthero tandem discessit.

IV. Libri Confessionis Augustanæ auctor fuit, quem manu suâ scriptum Carolo V. Imperatori in Comitiis Augustanis exhibuit anno 1530. Hinc illius Sectatores *Confessionistæ* nuncupati sunt, & ob emollita Lutheri duriora quædam dogmata, ***Lutherani molles***: ob Ritus plerosque Ecclesiasticos admissos, & Constitutiones legitimas, Conciliorum & Ecclesiæ ita receptas, & approbatas, ut liberum esset cuique illis uti, vel non uti, absque salutis discrimine, dicti sunt *Adiaphoristæ*, seu ***Indifferentes***. Non obstante verò hâc opinionum diversitate, Lutherus Melancthonem omnibus in toto Mundo hominibus præferebat, illud frequenter in ore habens ***Contemtibilis est anima, quæ contemnit Melancthonem***. Huic uni secreta sua revelabat, hunc à Deo missum dicebat, ut labores suos in propagando Christi Regno adjuvaret: ideòque Libros summâ voluptate legebat, & Libris Sacris coæquabat: & hoc quia licèt aliqua sibi contraria in eis legeret, taliter tamen proposita videbat, ut suam auctoritatem minuere non putaret. Sed quid dixisset Lutherus, si quæ à Melancthone anno 1530. scripta sunt & edita, postea

ftea anno 1555. in posterioribus editionibus ab ipso in contrarium mutata legisset? Quæ hactenus dixi ostendunt, vel ipsis hujus novi pseudo-Evangelii initiis contigisse, quod olim Babelicæ Turris fabricatoribus evenit, ideft quòd linguis adeò diversis loquerentur, ut unusquisque linguam proximi sui non intelligeret. Sic primus ædificii extruendi incentor Lutherus unâ linguâ loquebatur, aliâ Carlostadius, aliâ Œcolampadius, aliâ tandem Melancthon. Quæ linguarum diversitas in subsequentibus multiplicata est, & adhuc in dies multiplicatur, ut ostendam.

V. Si quis Melancthonem seriò consideret, è Pyrrhonis schola eum prodiisse, cujus discipuli omnia considerando & ambigendo tractantes nihil certi affirmabant, facilè existimabit. Sive enim ex animo, sivè ex arte, quæ priùs dixerat, postea retractabat. Indè ob ejus tergiversationem multi ex Lutheranis ab eo discesserunt, & Confessioni Augustanæ, quam ipse scripserat, nomen dare abnuerunt; ajebant enim, ejus inconstantiam non sinè causa Papistis contra Evangelicos argumentum præbere. Quare quotiescumque à disputatione aliqua cum Catholicis habita recessisset, tristis vultu, & quasi animo consternatus abibat, dicere solitus: *Vecordes sibi admodum videri, qui opiniones suas sinè ullo antiquæ Ecclesiæ testimonio proponere auderent*: ideòque plures Catholicæ Ecclesiæ Ritus, atque alia retinebat. Sic versatilis homo, velut arundo vento agitata, huc illucque ferebatur.

VI. Melancthonis insanæ vertibilitatis testimonia sigillatim proferam. De Cœna Domini initio cum Luthero, & fortè etiam cum Catholicis, contra Sacramentarios sentire visus est. In Confessionis Augustanæ Art. 10. edit. Wittembergicæ doctrinam Eucharistiæ his verbis exprimit: *De Cœna Domini sic docetur, quòd verum Corpus & Sanguis Christi verè sub specie panis & vini adsint in Cœna Domini, & in ea distribuantur, & sumantur. Quare & contraria doctrina rejicitur.* Quæ verba sensum Catholicum videntur exprimere. Quæ confirmavit in Apologia Confessionis Augustanæ anno 1531. ubi contra scripta Catholicorum eam impugnantia, de Articulo 10. *Decimus*, inquit, *Articulus approbatus est, in quo confitemur, nos sentire, quòd in Cœna Domini verè & substantialiter adsint Corpus & Sanguis Christi, & verè exhibeantur cum illis rebus quæ videntur, pane & vino, his qui Sacramentum accipiunt. Hanc sententiam constanter defenderunt nostri Concionatores. Et comperimus, non tantùm Romanam Ecclesiam affirmare corporalem præsentiam Christi; sed idem & nunc sentire, & olim sensisse Græcam Ecclesiam, ut testatur Canon Missæ apud Græcos.* Et hoc testimonio Veterum Scriptorum comprobare nititur in Epistola ad Fridericum

cum Myconium. Quibus Realem quidem præsentiam, sed de modo præsentiæ, an per transubstantiationem panis in Corpus Christi, an per simultaneam coexistentiam substantiæ panis cum Corpore Christi, ut voluit Lutherus, non exponit.

VI. Progressu temporis licèt realem præsentiam non statim negarit, eam tamen solùm in usu & actuali sumtione admisit. Anno enim 1536. in formula Concordiæ procurante Bucero approbavit: *Nullam dari localem inclusionem Corporis Christi in pane, aut durabilem aliquam conjunctionem extra usum Sacramenti: tamen Sacramentali unione panem esse Corpus Christi, hoc est, porrecto pane, simul adesse & verè exhiberi Corpus Christi*. Quin & anno 1541. in Confessione Saxonica substantialem Corporis præsentiam tantùm in usu agnoscens ait: *Docentur etiam homines, Sacramenta esse actiones divinitùs institutas, & extra usum institutum res ipsas non habere rationem Sacramenti, sed in usu instituto in hac communione verè & substantialiter adesse Christum & verè exhiberi sumentibus Corpus & Sanguinem Christi*. Ecce Melancthon realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia solùm in usu confitetur.

VII. In hoc tamen errore constans non stetit. Qui enim omnibus suis scriptis editis ante annum 1547. Zuinglii & aliorum Sacramentariorum doctrinam detestatus fuerat, ut ex Epist. ad Myconium constat anno 1530. quique anno 1540. gravissimo morbo correptus, in testamento à se condito hæc verba inseruit: *Quantum ad Cœnam Domini attinet, in eo quod cum Bucero anno 1530. Wittembergæ convenit, acquiesco: & in hac confessione mori volo;* mortuo Luthero, plerisque sententiam mutasse, & ad Sacramentarios accedere visus est. Certè Melancthon Crispinum librarium Genevensem ad imprimenda Œcolampadii scripta hortatus fuit, ac literis ultrò citròque missis cum Calvino & Bullingero amicitiam coluit. Imò à Caloandro rogatus, ut suam de Cœna Domini sententiam aperiret, paratum se ostendens eum defendere contra omnes, qui eum veram Corporis Christi præsentiam in Cœna credere negant, indignatus Melancthon, ac schedam in terram projiciens, ait: *Heus tu, Caloander, si verum & naturale Christi Corpus est in pane consecrato Cœnæ Dominicæ, quid prohibet, quò minùs sit in hac schedula?* Hâc blasphemiâ cum Sacramentariis sentire se prodens, Caloandrum tristem dimisit. Is est Melancthon apud Lutheranos adeò celebris, qui omnia probans, sed nihil certum tenens, velut navis sinè remige, omni vento doctrinæ huc illuc circumferebatur.

VIII. Quod spectat dogma Justificationis, non minùs in eo fluctuavit Melancthon. Si enim credimus Osiandro sectâ Lutherano,

rano,cùm de hoc dogmate viginti circumferrentur opiniones, quatuordecim Melancthonis & Discipulorum ejùs enumerat. Illi tamen opinioni non Catholicæ præcipuè insistere videtur Melancthon, quæ homines fide speciali (seu fiduciâ) justificans, asserit, cùm credunt, se in gratiam recipi, & sibi peccata remitti propter Christum, nec bona opera ad justificationem concurrere, quamvis fides justificans debeat bonos fructus parere, & bona opera à Deo mandata facere oporteat. Quæ assertio non solùm Catholicæ doctrinæ, sed ipsi quoquè Luthero resistit, qui dicit solam fidem ita sufficere, ut homo quantiscunique oneretur peccatis, si fidem retineat, justus sit & salvus esse possit.

IX. De Missa quoquè, quam abrogandam Lutherus voluit, mitiùs, licèt non Catholicè, sentit Melancthon in Confessione Augustana, cujus, ut dixi, auctor ipse fuit: *Falsò*, inquit, *accusantur Ecclesiæ nostræ, quòd Missam aboleant. Retinetur enim Missa apud nos, & summâ reverentiâ celebratur: servantur & usitatæ cæremoniæ ferè omnes, præterquam quod Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ, quæ additæ sunt ad docendum populum.* Deindè recensitis quibusdam de Missa apud Catholicos, quæ ipse hæretico stylo vocat abusus, concludit: *Cùm igitur Missæ Ritus apud nos habeat auctoritatem Scripturæ, & exemplum veteris Ecclesiæ, & tantùm tolerabiles quidam abusus abjecti sint, speramus, non posse improbari nostrarum Ecclesiarum mores.* Quos ipse putat abusus sunt, quòd Missa sit Sacrificium, quòd offeratur pro vivis & defunctis, cùm sit instituta in meram recordationem beneficii mortis Christi. Communionem sub una vel duplici specie rem indifferentem asserebat. Ita omnia ferè relinquens incerta, cujusvis genio indulgere satagebat. Libros Lutheri in multis castigavit & mutavit, unde dissidia orta sunt, & licèt in summo honore à plerisque haberetur, & vivens penè ut numen adoraretur, ab eisdem tamen mortui vel nomen laceraretur & conculcaretur.

X. Nec mireris, Lector, si vel ipsis hujus pseudo-Reformationis initiis tantas videas inter ipsos auctores in cogitando discordes varietates: à luce enim abscesserunr. *Et quidem* (inquit Basilius Lib. 2. contra Eunomium num. 16.) *cui rerum æquo æstimatori illud non probabitur, quòd ut oculus ex locis illuminatis egressus, necessariò ob privationem luminis ab actione cessat, ita quoquè & mens si imaginationibus extra id quod est, compellatur, veritate instar cujusdam lucis deficiente, confusa ac stoliditate laborans, intelligere desinit?* Ita Melancthoni, & aliis sui similibus accidit. Ab Ecclesia, cui lux veritatis indeficienter affulget, oculos mentis avertentes, quasi cæci huc illuc manu palpantes, dum unum errorem vitare student, in

in alium labuntur, & nullum errandi finem faciunt: ut verè de eis dictum sit: *Miscuit Deus in medio eorum spiritum vertiginis* (Isaiæ 19. v. 14.) *Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio* (2. Thessal. 2. v. 11.) *Evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (Rom. 1. v. 21.) Sic fit, ubi suo quisque præfidens ingenio sibi arrogat, ut proprio suo, non communi Ecclesiæ sensu Scripturas interpretetur, & cæteros omnes, etsi pios & doctos viros, talpis fuisse cæciores, se verò solum videre, se solum sapere præsumat. Hæc an modernis Novatoribus jure aptari possint, experientia magìs ac magìs in dies demonstrat.

XI. Vivendi, & in erroribus fluctuandi finem fecit Melancthon anno 1560. Scribunt nonnulli, ei jam jam animam agenti, matrem grandævam astitisse, ac eum his verbis fuisse allocutam: „ Mi fili, extremùm jam me fortasse tu vides, utpotè jam jam, ut „ videtur, è mundo discessurus, & coràm magno illo Judice eo„ rum quæ fecisti rationem redditurus. Tu scis Catholicam me „ fuisse, meque à te, ut Religionem mutaverim, & diversam ab „ ea quam majores mei sequuti fuerunt, amplexa sim, inductam. „ Nunc te ergo per Deum vivum adjuro, ut quænam melior sit, „ mihi dicas, neque quid hac in rè me celes „. Tum Melancthonem clarâ voce, ut ab omnibus intelligi posset, dixisse „ Hæc plausibilior, illa securior „. Sic Melancthon, ut in omni sua vita, ita & in morte dubitavit: Tutiorem tamen esse Religionem Catholicam fateri stimulante conscientiâ adactus est. De hoc Remundus in Synopsi Lib. 2. cap. 9. num. 9. Fuit homo ingenio vafer & acutus, sophismatum artem callens, qui ut plures ad se traheret, Lutheri phrasim perpolire, & doctrinæ duritiem emollire studuit, quo vivens magnum sibi nomen comparavit; mortuum tamen rigidiores Lutherani dictis & scriptis eum flagellarunt. Sic regnum Satanæ in se dividi cœpit,

§. IV.

De Bucero.

I. MArtinus Bucerus natus fuit Argentorati, patre Judæo: quo mortuo Dominicanorum Cœnobio admodùm adolescens inclusus, magnos in studiis brevì progressus fecit. Sed ad Sacros Ordines in infidelitate natus contra Ecclesiæ canones promotus, adversùs eam dictis & scriptis insurgere cœpit. E' Monasterio profugus, & apostata Elisabetham quamdam Sanctimonia-

nialem, quam tredecies puerperam reddidit, sacrilego connubio sibi copulavit. Primò sub Lutheri signis militans, postea factus æmulus, ad Sacramentariorum castra declinavit, sic tamen, ut utrique Sectæ se se medium interponeret, unam ex utraque conflaturus si posset.

II. Buceri igitur error circa Eucharistiam in eo positus erat, quòd diceret, Corpus & Sanguinem Christi substantialiter in ea præsentia non esse *extra usum Sacramenti*: nec in ipso usu ore corporis manducari, sed *contemplatione fidei percipi*. Secundò, Impios, idest qui fidem non habent, *solum panem & vinum, non Christi Corpus & Sanguinem* sumere. Constat hoc ex ipsius Buceri Epistola ad Georgium Pontanum scripta anno 1530., quam refert Hospinianus 2.p. Hist. Sacramentariæ pag. 177. Item ex Hist. Concordiæ Wittembergensis circa negotium Eucharistiæ, quæ habetur Tomo Scriptorum Anglicanorum Buceri, ac demùm ex Confessione de Eucharistia Argentorati dictata anno 1544., in qua etiam Lutherum vel repugnantem in suam sententiam trahere conatur his verbis Art. 26. *Si me quis roget, cur igitur dicam, me consentire cum Luthero, qui affirmat, panem ipsum esse Corpus Domini, vel in pane, & id omnibus sumentibus, piis & impiis? Respondeo, Lutherum his suis loquendi modis nihil quàm veram exhibitionem Christi in Cœna velle exprimere, Panem & Corpus Domini non idem naturâ, sed Sacramento facere: Corpus Domini non includere pani localiter: non opinari ascensum vel descensum hic Christi fieri. Cùm igitur, ut nos, duas res vel in Sacramento agnoscit, Corpus Domini & Sanguinem, & symbola, nec colligat, aut commisceat hæc ullâ ratione hujus Mundi: Denique non credentibus verbis Domini & non vivâ fide credentibus nihil salutare percipi affirmat (quæ omnia ex scriptis & ore ejus cognovi sic habere) cur non consensum cum illo agnoscerem?*

Ex his qui non colligat, Bucerum specie quidem admittere Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam, dum in usu sumitur, sed re verâ hanc præsentiam velle non esse realem, sed per solam fidem ejus qui sumitur, ideòque si quis sine fide sumat, solum panem sumeret; quod est ad Sacramentarios accedere? Quid autem egerint Lutherus & sui, ne Bucerus ad partes Zuinglii, Œcolampadii, & aliorum Sacramentariorum palàm transiret, narrat Remundus in Synopsi Lib. 2. cap. 11. num. 2. At Bucerus summâ vafritie modò se Luthero assentiri, modò se medium inter ipsum & Sacramentarios, semper tamen impium, demonstrabat. Eum tamen in hoc Articulo Sacramentarium magis, quàm Lutheranum fuisse, indicant familiares Epistolæ, quas ipse, & Calvinus mutuò sibi scripserunt.

III. Præter errorem de Eucharistia alios Bucerus docuit.

1. *Baptismum infantibus necessarium esse necessitate ministerii, & jussu Dei, non salutis; servarique posse virtute Christi, etiam qui non baptizantur.*

2. *Quòd Canonici Libri docent soli abundè renatos, quæ sunt saluti necessaria.*

3. *Quòd nulla est in terris Ecclesia quæ non erret, tam in fide, quàm in moribus.*

4. *Quòd ita gratìs justificamur à Deo, ut ante justificationem re verâ peccatum sit, iramque Dei in nos provocet, quidquid boni operis facere videamur, justificati autem bona opera facimus necessariò.*

5. *Esse quosdam homines sic à Deo factos ad conjugium, ut Dei decreto repugnet, qui illis connubio interdicat ulla de causa.* Hoc errore tueri conabatur sacrilegum connubium, quod cum esset Monachus ipse ter (ut aliqui volunt) successivè contraxerat.

6. *Conjugibus suâ culpâ repudiatis, vel legitimo divortio separatis, aut à consorte relictis, viris item, quorum uxores in morbos immedicabiles inciderunt, & è contra, permittendum esse alterum conjugium.* Hunc errorem è Judaismo, in quo natus fuerat, asportavit: dicebat enim: *Quia Judæis permissum fuit, facto cum prioribus divortio, alias ducere ob cordis duritiem: idem Christianis licitum esse debere, si pacificè inter se conjuges vivere non possint.*

7. *Quamlibet usuram non esse peccatum, nec adversari præceptis Dei quovis modo accipere aliquid ultra pecuniæ sortem, quamquis alteri tradiderit utendam.* Hoc quoquè ex Judaismo attulerat.

IV. Porro Bucerus videns Lutherum in Germania, Zuinglium & Bullingerum in Helvetia, & Calvinum à se aliquando Argentorati nutritum in Francia novo Evangelio promulgando occupatum, valdè florere; ac se ob inconstantiam & conatum conciliandi ea quæ conciliari non possunt, desertum, & penè contemtum; metu etiam, ne ab Imperatore manus sibi injicerentur, in Angliam abiit, anno 1549. comitem secum adjunxit Paulum Fagium eodem metu correptum: qui tamen vix Cantabrigiam appulsus mortuus est; erat Hebraicæ linguæ peritus. Bucerus (regnante tunc Eduardo) datâ societatis dexterâ Petro Vermilio Florentino *Martyri* nuncupato Canonicorum Regularium S. Augustini apostatæ; qui biennio ipsum præcesserat, & in Academia Oxoniensi Sacris Literis præfectus erat; apostaticæ Religionis dogmata spargere cœpit, & fidei Catholicæ plurima damna intulit.

V. Cantabrigiæ exacto nondum triennio mortuus est Bucerus anno 1551. ætatis anno 61. In extremo constitutus agone acerrimos conscientiæ morsus passus est: At non minus quàm in tota vita,

ta, de iis, in quibus cardo salutis nostræ vertitur, imò de Adventu Christi dubitare visus est, ut Angli scribunt: & Lindanus ait, paulò ante mortem Sacramentariorum doctrinam, quam vivens cum Lutheranismo conjungere tentaverat, expressè professum fuisse. Cantabrigiæ sepultus fuit. Anno verò 1556. Mariæ Reginæ Catholicæ jussu, ejus & Pauli Fagii ossa exhumata, & igne consumta sunt: at regnante Elisabethâ in integrum restituti fuere die 22. Julii 1560.

§. V.

De Schwvenckfeldio, Agricola, & Antinomis.

I. DUm Lutherana hæresis nedum à Catholica fide Germaniam discinderet, sed ipsa etiam in partes dissecaretur, surrexit Gaspar Schwenckfeldius Nobilis Silesius Lutheranæ Synagogæ non minùs, quàm Ecclesiæ Romanæ hostis acerrimus. Locuit Primò: Scripturæ Sacræ non esse attendendum, ut quæ Verbum Dei non esset, sed mortua tantùm litera; sed privatis potiùs contemplationibus & visionibus credendum; Spiritum Sanctum enim è supernis delabi citra omne medium, non per externum auditum, & vocalem prædicationem, seu Scripturarum lectionem. Abutens enim testimoniis Scripturæ ajebat: *An non apud S. Matthæum ipse Salvator dicit: Nos unum tantùm Magistrum in Cœlis habere, neque alium esse qui docere nos possit aut debeat? Et apud S. Joannem solus Christus Verbum esse dicitur, & D Paulus, Litera, inquit, occidit, spiritus autem vivificat* &c.? sed ineptè. Si enim juxta te Scriptura attendenda non est, cur eam allegas?

II. Præterea erroribus Manichæorum, & Valentinianorum adjiciens dicebat, quod Jesus Christus non in utero B. Mariæ Virginis Spiritus Sancti operâ fuit conceptus; sed quòd fuit homo specialiter ad nos redimendum à Deo creatus, quem sibi Deus conjunxit: & quòd hic homo post suum ascensum in Cœlum Deus factus sit: Ita ut caro Christi in gloria sic fuerit deificata, ut ejusdem sit cum divinitate virtutis & majestatis, ac Christus etiam secundùm hanc Deus sit; imò carnem ejus nulla ex parte esse amplius creaturam. Quo etiam Eutychianis adhærebat.

Tertiò: Cum Sabellio Personam Filii esse quoquè Personam Patris asserebat: nec à Deo Patre è Cœlo prolata verba hæc: *Hic est Filius meus dilectus*, sed vocem tantùm fuisse è nubibus egressam.

Quartò: Fidem, dona Spiritus Sancti, caritatem, aliasque virtutes esse puram Dei Essentiam ponebat: unde inferebat, Christia-

ſtianos omnes naturales eſſe Dei filios, ex natura & eſſentia Divina ab ipſo procreatos: Chriſtum verò omnium eſſe ſanctiſſimum, primogenitum & hæredem.

Quintò: De Sacramento Euchariſtiæ, verba Chriſti *Hoc eſt Corpus meum* ad hunc ſenſum detorquebat, *Corpus meum eſt hoc*, ideſt ſpirituale quiddam, cibum ſpiritualem & cœleſtem deſignans alentem animas, ſicut panis alit corpus. Docebat enim, *ſtultum eſſe cogitare Corpus Chriſti in Sacramento præſens eſſe. Hominem ſinè Sacramentorum myſteriis ſalvari poſſe, neque ad ſalutem eſſe neceſſarium, Corpus Chriſti è Cœlo aſſumtum modo quodam aereo pani circumfundi. Ex quo ſequitur, Corpus Chriſti jam glorificatum omnia replere.* Ecce hæreſim Ubiquiſtarum à Schwenckfeldio præformatam.

III. Oh blaſphemias horribiles! Rectè ergo dicit Hoſius, Satanæ Evangelium à Luthero initium cœpiſſe, à Schwenckfeldio fuiſſe conſummatum, & tantâ Diſcipulorum & Sectariorum frequentiâ, ut multis Germaniæ & Helvetiæ in locis plures Schwenckfeldiani, quàm Lutherani reperti fuerint, quos ſpecioſo *Confeſſorum gloriæ Chriſti* nomine adornabat. Georgius Hasfeldius Calviniſta Schwenckfeldium vitæ & morum probitate Luthero ſuperiorem fuiſſe teſtatur. Sed Melancthon longè aliter ſentiens dicebat, Schwenckfeldium centum habere manus, & armatas undique circa ſe copias, quibus nefaria paſſim ſcripta ſpargat, & turbas atque ſeditiones excitet. Viginti octo annos, quibus hinc indè vagatus eſt, quinquaginta libri ab eo ſcripti feruntur, à Schluſſemburgio Lib. 10. Catal. Hæretic. recenſiti, quos ille vix natos ad Lutherum mittere ſolebat, ut eum magis ureret.

IV. Hic vide Lector, quâ ratione Lutherum etiam per ſuos punierit Deus, ut è puteo abyſſi, quem ipſe aperuerat, continuò exirent locuſtæ, quæ ſicut ſcorpiones ipſum, ac ſuos ſignum Dei in frontibus non habentes, morderent (Apocal. 9.) Quâdam die, miſſis per nuncium ad Lutherum Libris ſuis, urgebat Schwenckfeldius, ut eos cenſurâ notaret. Indignatus Lutherus, nuncio ejus ita reſcripſit: *Mi Nunci, Domino tuo Gaſparo Schwenckfeldio nuntiabis, quòd à te literas ipſius acceperim & libellos. Atque utinam ille ceſſaret. Nam ignem accendit in Sileſia de Sacramento, qui nondum extinctus eſt, ſed ardebit in ipſum perpetuò. Præterea nunc progreditur Eutychianiſmum renovans, & Eccleſiam perturbat, cujus rei mandatum non accepit, nec vocatus eſt. Inſanus morio per Dæmonem obſeſſus nihil intelligit, nec ſcit quid garriat. Quòd ſi non vult quieſcere, non eſt quòd me poſthac obtundat* (omitto ſpurciſſimum verbum) *libellis mittendis, quos Diabolus ex ipſo evomuit, & per poſteriora*

riora emittit. Atque hoc extremum à me judicium habeat & responsum: Increpet Dominus in te Satan, sit spiritus tuus, qui te vocavit, & cursus tuus quò curris, & omnes qui participant tibi Sacramentarii & Eutychiani tecum in perditionem, quia scriptum est, currebant, & ego non mittebam. Hæc scripsit Lutherus anno 1545. sub finem vitæ, & quidem benè.

V. Sed non advertit, arma, quæ in Schwenckfeldium intorquet, in se retorqueri, & se ad internecionem ferire. Ipse eum increpat, quòd cùm mandatum non acceperit, nec vocatus sit, ac novis erroribus excitatis Silesiam perturbet; atque inde infert, doctrinam & spiritum ejus à Satana esse, & omnes, qui cum eo participant, quia à Deo non missos currere in perditionem. Petam ergo à Luthero. Tu, qui nedum Silesiam, sed Ecclesiam totam perturbasti, & adhuc perturbas, novum tuum, ut dictitas Evangelium prædicando, à quo hac de re accepisti mandatum, à quo vocatus, à quo missus? Si signa tuæ missionis ostendere volueris, non ab alio quàm à Satana, quem tibi in colloquiis familiarem fuisse asserere non erubescis, te missum demonstrabis; ac proindè ac te & qui te sequuntur currere in perditionem, quia & de te ac tuis dixit Deus: Et Ego non mittebam eos. Sic, infelix, *Vides festucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides?* (Matth. 7. v. 3.)

VI. Contra Schwenckfeldium, cujus Secta post mortem Lutheri præcipuè invaluit, circa annum 1554. Lutherani quamvis diversarum factionum Naumburgi Synodum celebrarunt, cui interfuerunt Amsdorffius, Jonas, Pomeranus, Cruciger, Melancthon, Corvinus, Bucerus, & alii, ac post multam disceptationem Schwenckfeldianorum Sectam ipsi (aliundè condemnandi) condemnarunt, ac præcipuè errores in duobus libris *De duplici statu Christi, & de vero Evangelii usu* contentos. Remundus Lib. 2. Synopsis cap. 16. num. 8. videri de hoc potest.

VII. Joannes Agricola Islebiensis Rector, & postea Minister Berolienisis, Lutheri primò discipulus fuit, postea cum Jacobo Schenkio, Lutherano & ipso, asserere cœpit, Legem Moysis in Ecclesia non esse docendam, nec ex ea prædicandam pœnitentiam: Legem & Evangelium ex diametro pugnare: Legem ante & post justificationem Christianis hominibus prorsùs inutilem esse: Legem operum omninò rejiciendam, nec ad bona opera Divinæ Legis homines Evangelicos obligari. Hanc hæresim anno 1538. spargere cœperunt. Hinc Antinomorum parens Agricola dictus fuit.

VIII. Antinomi ergo, idest *Legis adversarii*, è Secta Lutheri fuerunt. De his, inquit Hosius Lib. 1. de Hæres. nostri temporis, *Extiterunt enim Wittembergæ anno ab hinc propè vigesimo, qui sicut an-*

antea docti fuerant à Luthero, Legem operum rejiciebant. Contra quos ille multis disputationibus contendit, & eos probroso nomine vocat Antinomos. Latissimam omnibus vitiis ac flagitiis viam isti patefaciebant dicentes: *Quamvis scortator sis, latro, fur &c. crede & salvaberis &c. Quisquis Evangelii promissis crediderit, salvus erit. Quidquid libet, licet, modò in Christum credas.* Hujus erroris semina initio jecisse Lutherum, nemo negabit, qui ejus scripta legerit, maximè in cap. 2. ad Galatas. At quia postea, vel errorem tegere voluit, vel suâ doctrinâ nimium abuti eos vidit, plures contra Antinomos disputationes edidit. Quidam dicunt, Agricolam à Luthero persuasum errorem suum revocasse, vel ad eum revocandum dispositum se ostendisse: sed Luthero mortuo, ad vomitum eum rediisse, Theologi Islebienses testantur. Addit Floremundus Remundus Lib. 2. cap. 16. num. 3., quòd Antinomi nullum justitiæ, sed misericordiæ tantùm locum concedebant, nullos esse Diabolos, nullum esse Deum, ut Athei credebant. Hæc & alia monstra, de quibus infra, pseudo-Evangelium Lutheri peperit.

§. VI.

De Osiandro, & Brentio.

I. ANdræas Osiander è Lutheri schola in Oppido Guntzenhausen Marchionatus Brandeburgensis natus, patre fabro ferrario, nomen familiæ ridiculum *Hosen-Endecle* (exemplo Lutheri) mutavit in *Osiandri*: relictâ propter Cæsareum *Interim* Norimbergâ; in cujus Comitiis Imperator statuerat, ne interim quisquam de Religione novi aliquid, quod pacem turbare posset, moliretur; in Prussiam migrans, ibi sub Alberto Duce, cui gratissimus fuit, schisma in Secta Lutherana fecit. Ejus præcipuus error fuit: „ Hominem justificari, non fide (ut Lutherus docebat) sed eâdem „ essentiali justitiâ, quâ Deus justus est, quæ est ipse Deus, & hanc „ infundi hominibus, ita ut Christianus non sit justus gratiâ, sed „ naturâ „. Hic etiam Lindano teste Dubitantio 2. se esse alterum Enoch jactitabat.

II. Contra Osiandrum ejusque primum errorem Lutheranorum plerique conclamarunt, ac eum gravissimis convitiis dilacerarunt, ut Hosius Lib. 1. de Hæres. nostri temporis testatur his verbis: *Cujus criminis non est insimulatus Osiander? Quæ convitia & maledicta in eum jactata non sunt? Vocatus est, ut ipse scribit, Hæreticus, Antichristus, Judæus, niger Diabolus, draco, homo nefarius, consceleratus, hostis Christi. Fuit etiam de eo confictum, quæcumque in-*

incederet, quòd eum in specie canum duo Diaboli comitarentur, quos tamen non cuivis videre liceret: quòdque quo tempore cibum & potum in inferiore cum suis hypocausto sumebat, ubi vacare solitus erat literarum studiis, in superiore sedens in illius loco Diabolus visus sit scriptitare. Et alia id genus pleraque. Tum & illud sparsum de eo fuit, quòd affirmaret, Christi Passionem & Mortem nullum nobis fructum attulisse, cùm tamen in scriptis illius diversum reperiatur. In summa tantum fuit odium homini conflatum, ut non ipse modò tanquam impius haberetur, verùm etiam qui sermones ejus audiebant, à communione cæterorum, qui se pios existimabant, arcerentur, ac ne sepulturâ quidem communi digni ducerentur. Missum fuit Wittembergam, ut de doctrina ejus judicium fieret, damnata est per Philippum (Melancthonem) *Pomeranum, Forsterum & alios. Missum est Wittembergam, approbata est per Brentium, & qui sunt ejusdem sectæ.* Hic vides, quanta istorum Synodis adhibenda sit fides, dum quod una improbat, alia probat.

III. Hoc magis probationis causâ confirmat. Nam Osiandri doctrinam Wittembergenses Doctores approbarunt, non quia S. Scripturæ conformem, sed quia prolatis ab Osiandro è Lutheri Libris locis aliquot, inventum est eadem sensisse Lutherum, *nimirùm essentialem Dei justitiam habitantem in nobis, & excitantem nos ad benè agendum, esse justificationem nostram.* E' conversò scripto ostendit Osiander, doctrinam suam à Philippo & aliis Wittembergæ fuisse improbatam, quia in Confessione Augustana, quam Philippus ipse ediderat, & in quam ipsi juraverant, non legeretur expressa, quasi Confessio illa esset sola Dei Verbum, imò plus quàm Dei Verbum. Ita enim Osiandrum loquentem Hosius refert: *Philippi verbum plus apud eos ponderis habet, quàm Dei Verbum. Sex & triginta loca Scripturarum produxi, quibus habitare Deum in nobis ostendi; creditum non est. Simul ut Philippus parvam schedam scripsit, quâ testatus est, ita rem se habere, statim creditum est.* Ac paulò post: *Vox audita est*, inquit, *de Cœlo Patris de Christo dicentis* „ Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, hunc audite „. *Hunc inquit audite, non Philippum, non alios homines, qui tibi os obturant, & volunt, ut secundùm eorum consilium, non autem secundùm Scripturas pronuncies.*

Sic Osiander (prosequitur Hosius) *ferre non potuit, ut homines ad Confessionem Augustanam, quæ Philippi verbum est, alligarentur potiùs quàm ad Dei Verbum, cùm quod ipse, non quod Philippus doceret, id esse Dei Verbum credi vellet: cùm se nullâ re Philippo inferiorem judicaret: nulla ut causa esset, quamobrem non ipsius verbum, ut Philippi verbum, pro Dei Verbo haberetur: cùm præsertim Philip-*

lippus, quemadmodum aliis plerisque in rebus, ita & in doctrina de Justificatione, numquam sibi satis constiterit. Ac indè ostendere conatur Osiander de uno dogmate Justificationis Philippum & Confessionistas inter viginti diversas opiniones fluctuare. Sic æmulatione & invidiâ percitus Osiander invehitur in eos, qui verbum Philippi Melancthonis, non suum, ut Verbum Dei existimabant, & ut tale proponebant; cùm tamen nec verbum Osiandri, nec Philippi, Verbum Dei sit, sed Satanæ, suos in contrarios errores instigantis.

IV. Hinc quàm periculosum sit fidere Sectariis tantoperè de rebus maximis inter se dissidentibus, jure idem Hosius Poloniæ Regi sequentibus ostendit: *Nunc tu vide, Serenissime Rex, quandoquidem sic ipsi diffident inter se, non de lana caprina, quod dici solet, sed quod ipsimet fatentur, de præcipuo Christianæ doctrinæ loco, qui summam Evangelii totius in se continet, quàm tutum sit, de quocumque tandem Christianæ doctrinæ capite disceptetur, à sensu & consensu totius Ecclesiæ deficere, & animam unius alicujus istorum fidei committere, qui nuper exortus non modò cum suæ congregationis proceribus, sed ne secum quidem ipse persæpè consentiat, sicut in hoc ipso capite de Justificatione toties est à Philippo variatum. Certum esse dicit argumentum Lutherus: quandoquidem septem aut octo sectas enumeravit Sacramentariorum, doctrinam eorum ab authore Satana profectam esse, quòd in ipso statim exordio sit in tot capita dissecta. Atqui non septem, sed bis aut ter septem Lutheranorum Sectas de uno saltem Justificationis articulo, qui summam Evangelii continet, recensuimus. In universum autem de rebus etiam aliis diffidentes, quater septem unâ minùs. Collegit civis quidam Hallensis homo laicus Gaspar Querchamer triginta sex loca Lutheri inter se pugnantia super uno dumtaxat articulo, qui est de Communione, vel utriusque, vel alterius speciei Sacramenti Eucharistiæ. Quòd si triginta sex has opiniones ad istas viginti septem quas commemoravimus, addendas aliquis putaverit, erunt sexaginta tres. Quàm multæ sunt autem sectæ, quæ adhuc nos fugiunt? Et erit quisquam qui dubitet, quin & hæc Lutheranorum doctrina sit ab authore Satana profecta?* His salutariter Hosius monet Poloniæ Regem, ut caveat.

V. Quare de Luthero dici potest, quod de Donato scribit S. Augustinus Lib. de Agone Christiano cap. 29. Sicut enim Christum dividere conatus est, sic ipse à suis quotidianâ concisione dividitur. Ad hoc etiam pertinet illud, quod Dominus dicit (Matth. 26. v. 52.) Qui enim gladio percusserit, gladio morietur. Gladius enim illo loco, siquidem in malo positus est, discordiosam linguam significat, quâ tunc ille infelix Ecclesiam percussit, sed non occidit.

Non

Non enim dixit Dominus: Qui occiderit gladio, morte *morietur*: *sed* Qui gladio usus fuerit, *inquit*, gladio morietur. *Ergo ille* percussit Ecclesiam linguâ litigiosâ, quâ nunc ipse concidetur, ut omninò dispereat atque moriatur. Et tamen illud tunc Apostolus Petrus, non superbiâ suâ, sed quamvis carnali, tamen amore Domini fecerat. Itaque admonitus recondit gladium: iste autem ne victus quidem hoc fecit. Ita evenit Luthero: & sicut Donatus in Donatistas, Maximianistas, Rogatianos, & Parmenianistas tanquam in frusta conscissus fuit: sic Lutherus in tres classes, Lutheranos, Semi-Lutheranos, Anti-Lutheranos primò dissectus fuit, ex quibus aliæ species, de quibus infra, ab ipso & inter se discordes eruperunt, ac in dies erumpunt.

VI. Quamvis autem præfatæ Sectæ in suis privatis opinionibus & erroribus discordes sint, dum tamen contra Ecclesiam Catholicam res agitur, tunc discordes in concordiam coeunt, & junctis viribus unius vel alterius causam tanquam cuique communem suscipientes, eadem symbola profitentur, & sub eisdem signis in aciem contra Ecclesiam Romanam prodeunt. Quemadmodum sues nullam inter se societatem colunt, sed rostris & morsibus se mutuò impetunt: quamprimum tamen grunnientem aliquem audiunt, surrectis pilis turmatim in auxilium laboranti accurrunt. Et quemadmodum, Plinio teste, quamvis inter corvum & vulpem nulla sit familiaritas, quoties tamen vulpem videt ab accipitre impeti, statim advolat, & pedibus, rostro, alis insidentem hostem percutit, donec prædam dimittat. Ita Sectarii, quamvis inter se diffideant, & in plures factiones scindantur, in impugnanda tamen Ecclesia omnes fœderati sunt. Unde meritò ait S. Hieronymus Epist. modò 43. ad Ctesiphontem: Hæretici *Nominibus separati, impietate concordes*.

Ignoscat Lector, si occasione dissidii inter Osiandrum & Philippum, ac Confessionistas, hâc cæteroquin utili digressione parumper eum detinui. Paroxismo epileptico, vel, ut narrat Palladius, planè mutus ut bestia Osiander extinctus est die 17. Octobris anni 1552.

VII. Joannes Brentius patriâ Svevus ex Canonico Wittembergensi & Sacerdote factus apostata & uxoratus circa annum 1540. quamvis præ se ferret, à doctrina Lutheri se non esse alienum, minimè tamen in eo voluit acquiescere. Verùm & ipse peculiarem suam Confessionem scripsit (ut ait Hosius Lib. 1. de Hæres. non sub suo, sed sui Principis (Ducis nempè Wittembergensis) nomine, quam etiam Congregationi Concilii Tridentini proposuit. Hoc autem ideò, quia nec Brentius, nec Urbanus Ragius, nec

Osiander, ut dixi, in Confessionis Augustanæ verba juraverunt. Indignum enim videbatur, ut præscriptam à Philippo fidei formulam sequerentur, cùm quisque illorum se in Sacrarum Literarum peritia Philippo parem, imò superiorem existimaret. Sic isti dum sui quisque nominis illustrandi potiùs quàm investigandæ & propagandæ veritatis studio moventur, nedum à fide Catholica, sed à se ipsis & magistro suo Luthero schisma faciunt.

VIII. Brentii speciales errores fuere, Primò: Evangelium non esse Legem secundùm veram & propriam Legis rationem. In Confessione enim Fidei, quam sub nomine Ducis Wittembergensis Brentius & alii ad Concilium Tridentinum detulere tit. de Evangelio sic legebatur: *Evangelium non est aliud, quàm bona & læta annunciatio de Filio Dei Domino nostro Jesu Christo, quòd ipse solus sit expiator peccatorum nostrorum, & Redemtor & Salvator noster.*

IX. Secundò: De Baptismo dicebat, Christum Baptismi virtutem ad certam verborum formam alligare noluisse, nec quidquam piaculi fore si mutetur sonus, dummodo remaneat sententia verborum Christi. Cùm, ajebat, Christus non instituerit magiam, quæ ad certam verborum formam, aut certos ritus alligata sit. Insuper Baptismo tolli quidem peccatum originale asserebat, non tamen omne peccatum, cùm in homine baptizato remaneat carnis concupiscentia vel rebellio, quam volebat verè esse peccatum, licèt non imputetur à Deo: & hoc quia est contra Dei præceptum *Non concupisces*. Hunc errorem, quem plerique ex modernis acatholicis susceperunt, damnat Synodus Tridentina sess. 5. his verbis: *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

X. Tertiò: Asserebat, Corpus Christi ex vi unionis Personalis esse ubique; adeòque & in pane ante consecrationem: & verba Christi: *Hoc est Corpus meum* esse verba *dispensationis* significantia distributionem Corporis & Sanguinis Christi jam ante præsentis. Hoc errore factus est Brentius *Ubiquistarum parens*. Priùs quidem visus fuit favere Sacramentariis, quia teste Hosio Lib. 3. de auct. Sacræ Scripturæ, in Confessione sua & aliis scriptis affirmabat, quòd verum Corpus & verus Christi Sanguis in Eucharistia distribuatur, sed quòd realiter & substantialiter ibi sit, nunquam expresserat. Ut ergo hanc præsentiam exprimeret, hunc errorem assumsit in Colloquio de Cœna Domini cum Joanne à Lasco Wittembergæ habito anno 1556. illumque propugnavit in Libro de personali

nali unione duarum naturarum in Christo &c. in Libro de Majestate Domini Jesu Christi, & alibi.

XI. Contra Brentium scripsit Petrus à Soto Ordinis Prædicarum, vir æque doctus ac pius, qui videns tot Confessiones fidei à Sectariis in dies prodire, & præcipuè observans eam, quam sub nomine Ducis Wittembergæ Brentius evulgaverat, & in ea multa confiteri Catholicæ fidei à majoribus acceptæ contraria, abstinere non potuit, quin & ipse quoquè assertionem suam opponeret, in cujus una facie ea quæ Brentius & alii asserebant poneret, ex altera verò Catholicam fidei doctrinam auctoritatibus Scripturæ & testimoniis Patrum confirmatam objiceret. Hanc refert Hosius L. 1. de Hæres. nostri temporis. Cui summa insolentia Brentius respondit. Ubi enim *Petrus à Soto* vel à loco, vel à familia vocabatur, eum appellat *Petrum Asotum*; qui enim Græcè *Asoti* dicuntur Latinè Decoctores, homines luxu ganeæque studio perditi, qui bona sua abligurierunt omnia. Ita qui veritate se tueri non valet, convolat ad convitia. Petrum tamen à Soto Hosius pro meritis vindicat.

§. VII.

De Flacio Illyrico, Chemnicio, & Stancaro.

I. MAtthias Flacius (vel Flaccus) Illyricus suo nomine Trancowitz dictus, Illyricus fuit quia natus Albonæ Oppido Istriæ in Illyrici finibus circa ann. 1520. 3. Martii. Mortuo Andreâ Flacio patre, cùm in tenera adhuc esset ætate, factus adolescens, plura studiorum causâ pertransiit loca. Tandem Wittembergam se contulit, ubi extensis brachiis à Melancthone & Luthero exceptus, Theologiæ & linguis Græcæ & Hebraicæ operam dedit. Tractu temporis unus ex præcipuis contra Interimistas, qui *Interim* approbabant, & proindè contra Melancthonem, adversariis factus fuit. *Adiaphoristas* etiam, seu indifferentes, qui aliquos ex veteribus Ecclesiæ ritus retinebant, rejiciebat. Quare Wittembergâ relictâ Magdeburgi domicilium fixit, ubi unus ex præcipuis fuit, qui Centurias Magdeburgenses compilarunt, dicti propterea *Centuriatores Magdeburgenses*. Cùm Saxoniæ Dux Academiam Jenæ erexisset, ad eam Illyricum vocavit anno 1557. Ibi cùm nondum quinquennio stetisset, acerrimam cum Victorino Strigelio de libero arbitrio & peccato originali controversiam habuit. Deindè Ratisbonæ, Antuerpiæ, & Argentorati aliquandiù commoratus, tandem Francofurtum ad Mœnum se recepit, ibique diem obiit extremum anno 1575. ætatis verò 55.

 II. Illy-

II. Illyricus licèt Sectâ Lutheranus, in multis tamen ab ejus schola secessit. Nam præterquam quòd, ut dixi, *Interimistas* & *Adiaphoristas* rejecit, Osiandri sententiam de Justificatione impugnavit. Peccatum originale dixit non esse accidens vel maculam naturæ humanæ, sed ipsammet substantiam hominis. Hic fuit cardo acerrimæ disceptationis supradictæ inter ipsum & Strigelium. Ubi enim iste dicebat, *peccatum originale esse aliquod leve accidens instar allei magnete illiti, per quod non tota substantia corrupta, sed tantùm leviter in accidentibus vulnerata esset* (Spondanus ad ann. 1560. num.32.) Hinc ejus Discipuli dicti fuerunt *Synergistæ*, ideft, *virium humanarum in conversione hominis nondum renati ad Deum Patroni*; quibus in hæresim Pelagianam apertè declinabant. Illyricus verò è converso Manichæorum renovans blasphemiam, Originale peccatum esse ipsam substantiam hominis, quæ peccato primi parentis imagine Dei, intellectu, libero arbitrio, voluntate, omnique motu ad bonum privata, inevitabili necessitate fertur ad malum, à quo sola fides in Jesum Christum eam liberare potest; unde errorem esse, asserere bona opera ad salutem necessaria esse, & neminem sinè bonis operibus salvari posse. Qui hanc hæresim profitentur *Substantialistæ* dicuntur. Hi sunt fructus, quos hæc mala arbor, à Luthero sub ficto Evangelii nomine plantata, in dies produxit.

III. Martinus Chemnitius in Marchionatu Brandeburgensi, patre lanariæ artis professore, ortus fuit anno 1522. Ea in arte usque ad quartum decimum ætatis annum se exercuit. Verùm ad altiora se vocatum autumans, superatis obstaculis Wittembergam profectus, sub Melancthone studiorum initia dedit, quæ postea Francofurti Georgio Sabineo præceptore consummavit. Præcipuum ejus studium Theologiæ fuit, in qua adeò profecit, ut Melancthon morti proximus pronuntiarit, Chemnitium Theologorum Protestantium Principem fore, quod plures alii Germaniæ Duces confirmarunt. Electus Theologiæ Professor in Academia Brunsviciensi ibi per triginta annos eam docuit. Morti tandem cessit anno 1586. ætatis 64. Melancthonis spiritu imbutus reconciliationem Lutheranorum cum Sacramentariis in dogmate de Cœna, & etiam cum Catholicis tentavit, irrito tamen conatu: tum quia varius: tum quia quæ conventio lucis ad tenebras? veritatis nempè Catholicæ cum tenebris errorum?

IV. Opus Chemnitii præcipuum est *Examen Concilii Tridentini*, cujus Decreta pro majori parte reprobat, aliqua si probat, in eo sensu quò ipse sibi prætinxit, admittit. Sacræ Scripturæ Libros eos solos Canonicos esse dicit, non quos particularia Concilia tales de-

declararunt, sed quos omnes Ecclesiæ perpetuo consensu ut tales agnoverunt. Pro Textibus Hebraico & Græco pugnat. Versionem Vulgatam non rejicit, sed in iis, in quibus à præfatis Textibus non discordat. De modo interpretandi S. Scripturam à Regula, quam Concilium præscribit, non discedit. Contra Traditiones insurgit. Peccatum originale in eo situm esse dicit, quòd homo amiserit factum fuisse ad imaginem Dei, ac relictus fuerit in tenebris sui spiritus, & aversione voluntatis à Deo. Hoc remitti à Deo baptizatis admittit, remanere tamen in eis concupiscentiam, quæ cùm malum sit, Deo placere non potest. Liberum arbitrium videtur admittere, quod scilicet gratiâ aliquod bonum facere possit. Hominem solâ fide, quâ merita Christi applicantur, justificari dicit; ad eam tamen nihil operari bona opera: & licèt sint necessaria ad salutem, eam tamen non mereri.

V. Duo tantùm Sacramenta propriè talia, Baptismum & Eucharistiam admittit, cætera verò quinque esse quidem pios ritus, sed vera Sacramenta non esse dicit. Quod de singulis fusè conatur ostendere. Efficaciam Sacramentorum unicè refundit in promissionem fide conceptam. De modo, quo Christus sit præsens in Eucharistia, transubstantiationem & impanationem rejicit: qualis sit ista præsentia definire non vult, solùm dicens, eam non esse corporalem, physicam, & carnalem. Hanc præsentiam dicit esse solùm in usu actuali Sacramenti, & tunc solùm adorari debere in eo Christum, secùs verò extra usum, dum asservatur in Tabernaculo, vel defertur in Processionibus. Eucharistiam sub utraque specie ex instituto Christi ab omnibus esse sumendam dicit. Eam appellari posse Sacrificium, generali tamen significatione, quâ omnia opera bona, quæ à societate Fidelium Deo offeruntur.

VI. De Sacramento Pœnitentiæ multa involvit: Ex quibus hoc eruitur, eum non probare omnium peccatorum Confessionem Ministro debere fieri: ab eo tamen absolvi posse admittit, dummodò absolutionis efficacia non pendere credatur à charactere Ministri, sed à verbis & promisso Christi.

De Purgatorio dicit, illud ex verè Canonicis Scripturis non probari, sicut nec preces pro Defunctis; de quò fusè agit. Sanctorum memoriam honorandam esse concedit, sive quia in illis honoratur Deus, sive quia laus eis debetur, sive ut eorum virtutes nobis proponantur, quas imitemur. Sanctorum intercessionem non negat, dummodò ab eis gratiæ directè non postulentur. Quoad eorum Reliquias, imponit Catholicis, quòd eas adorent, quòd vim aliquam eis inesse putent, quòd incertas, aut suppositas honorent. Sed falsò hæc imponit Ecclesiæ, ut Concilium legenti con-

constabit. Quoad Sanctorum Imagines, damnat eos qui earum usum contemnunt. Falsò tamen imponit Conciliò, quòd eas proponat ut adorandas velut Idola. In antiqua Ecclesia non fuisse Imaginum cultum. Uno verbo, ad Iconoclastas accedit. De Indulgentiis sub specie abusus multa falsa miscet. Jejunium laudat, abstinentiam tamen à certis cibis ab Ecclesia præceptam in Scripturis se non reperisse dicit; serotinam collationem usumque vini in diebus jejuniorum, & certos dies pro jejuniis præscriptos reprobat, volens ut liberum cuique sit, quoties & quando sibi placuerit, jejunare: in jejunio demùm nullum meritum agnoscit. Quoad dies festos, solum diem Dominicum agnoscit, cæteros etsi antiquitùs observatos, tanquam vanas superstitiones rejicit.

VII. Hæc compendio sunt, quæ examine, seu veriùs censurâ Concilii Tridentini Chemnitius observat, & ut errores suæ Sectæ; quos Concilium damnat, tueatur, imponit Concilio & Romanæ Ecclesiæ, quòd patrocinium præbeat abusibus, qui apud aliquos particulares fortè irrepserunt, & quos Ecclesia ipsa proscribit. Hâc arte omnes Leges in Ecclesia perpetuò servatas tollere, & novas à sua Secta vesano spiritu adinventas, utpotè humanæ libertati magìs accommodatas, stabilire astutè conatur. Quare hoc elogio à Protestantibus ornatus fuit, neminem scilicet in scrutanda antiquitate,eaque sincerè proponenda,Chemnitio peritiorem extitisse.

VIII. Franciscus Stancarus patriâ Mantuanus in Academia Regiomontana Prussiæ Hebraicæ linguæ seu (ut aliis placet) Theologiæ Professor, dum se opponere voluit errori Osiandri dicentis, ut supra, *Christum esse justitiam nostram ratione solius Divinitatis*, in oppositum erroris extremum miserè incidit, dicens: *Non ratione Divinitatis, sed humanæ tantùm naturæ Christum esse justitiam nostram*. Extrema, inquam, erroris opposita & utraque damnata: unum tanquam Eutychianum, alterum Nestorianum. Putabat Stancarus, suæ opinionis se Patronum habere Petrum Lombardum, S. Thomam, ac reliquos de illius Schola Theologos: Unde celebre illius dictum in Apologia contra Tigurinos: *Plus valet unus Petrus Lombardus, quàm centum Lutheri, ducenti Melanchtones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri Martyres, & quingenti Calvini, qui omnes si in mortario contunderentur, non exprimeretur una uncia veræ Theologiæ*.

IX. Ex hoc itaque vero principio: *Quòd Deus unus sit: quòd Mediator non sit unius: quòd Filius quoquè sit unus ille Deus: quòd Mediator mori debuerit: quòd Christus passus sit secundùm carnem*, hoc falsum intulit: *Christum, quâ homo est, non quà Deus, Mediatorem esse Dei & hominum*. Turpiter tamen fallebatur: Nam ut

ut inter cæteros ait Bellarminus Lib. 5. de Christo Mediatore cap. 1. *Est sententia communis Theologorum, ipsum quidem Mediatorem, sivè (ut Theologi loquuntur) principium quod operabatur opera Mediatoris, non fuisse Deum solum, vel Hominem solum, sed utrumque simul, hoc est Verbum incarnatum, sivè Deum humanatum. Principium tamen, quo illa opera à Mediatore fiebant, fuisse naturam humanam, non Divinam. Tametsi enim Deus incarnatus erat qui orabat, patiebatur, obediebat, satisfaciebat: tamen hæc omnia faciebat secundùm formam servi, non secundùm formam Dei. Atque hæc est sententia Magistri in 3. dist. 19. propè finem, Sancti Bonaventuræ ibidem art. 2. quæst. ultima, & cæterorum Theologorum, in eadem distinctione*, necnon *S. Thomæ 3. p. q. 26. art. 2.* Hactenus Bellarminus. Desipiebat ergo Stancarus, dum pro suo errore tuendo ad Petrum Lombardum, & S. Thomam confugiebat; distinguere nesciens inter eum qui est Mediator, & id secundùm quod est Mediator.

X. In hoc errore pertinax è Prussia ejectus, in Poloniam transivit Stancarus, ubi unà cum sua, quâ multos infecit, viam quoquè aliis hæresibus ad vicinas Provincias deferendis patefecit, ut postea factum fuit. Fuerunt aliqui, ut refert Staphilus, qui ut Stancari errorem refutarent, dixerunt, adeò Christum juxta utramque, hoc est Divinam & humanam naturam, Justificatorem & Mediatorem fuisse, ut non vererentur contendere, Divinam Christi naturam simul cum humana in cruce passam & mortuam esse. In hanc blasphemiam erupit (teste Lindano Dubitantii seu Dialogo 2.) Andreas Musculus Sectâ Lutheranus: in cujus confirmationem libellum edidit nomine Lutheri idem confirmantis.

XI. Nimiùm Lectori meo molestus evaderem, si singulas quæ tunc eruperunt Sectas recensere vellem. Vix Lutherus, abjecto cucullo, primam irruptionem in Ecclesiam fecerat, suum novum (non Christi) Evangelium ubique personans infandâ illâ voce: Maledicti omnes qui aures suas doctrinæ meæ non aperiunt; cùm ingens rerum perturbatio per totum Orbem Christianum secuta est. Quia enim clavi suâ doctorali fumo putei Apocalypseos egressum aperuerat, omnes homines Sacræ Paginæ creans Doctores, Interpretes, Sacerdotes, Pastores, Pontifices, nemini sed soli suo spiritui subjectos; plurimi gustatâ hâc Evangelicæ libertatis dulcedine carni gratâ, & ipsi tentare aliquid voluerunt, dicentes, tam sibi, quàm Luthero datum esse spiritum & lumen ad veritatem investigandam, & Scripturæ Sacræ arcana aperienda. Hinc brevi tempore factum est, ut dum unus uno, alius alio modo, & quidem opposito, Evangelium exponeret, præcurrisse videretur, id quod in fine Mundi cavendum Christus præmonuit Matth. 24. v. 23. *Tunc si quis*

si quis vobis dixerit : Ecce hic est Christus , aut illic , nolite credere : Surgent enim pseudo-Christi & pseudo-Prophetæ .

XII. Meritò itaque, ait Floremundus Remundus in Synopsi Lib.2. cap.14. num. 2. „ In quovis ferè angulo novam nasci videmus Ecclesiam , quæ tamen ipsa etiam cum Luna subindè , & „ citò quidem , suam faciem mutat ; ut Georgius Saxoniæ Dux „ non minùs verè , quàm facetè dixerit (in Edicto suo) *Quamvis „ fortè Wittembergenses vicini sui sciant , quid hodie credant ; se „ tamen certò scire , nescire illos , quid cras sint credituri* . Et eo- „ rum, qui Lutherani dici & haberi volunt, quique Lutherum do- „ ctrinæ suæ auctorem & patronum faciunt , triginta quatuor Se- „ ctæ à quibusdam notatæ sunt . Neque hoc à Catholicis solùm , „ sed ipsis quoquè novis Evangelicis factum est , qui *plusquam du- „ centas unâ serie factiones recensent* , ut è Pantaleonis, Funcii, La- „ vateri, Lindani, & aliorum scriptis apparet (omnes has ad 212. nominatas .) Vide in Anatomia Ecclesiæ Catholicæ Francofurti 1653. edita . Hucusque Remundus ex Calviniano Catholicus , ac proindè optimè conscius .

Quare subdit „ Mihi quidem sentinam hanc, vel potiùs cloa- „ cam Diaboli fœdissimam aggredienti , religio quædam objici- „ tur , tot execrabiles blasphemias , quas tangere me oportet , ex- „ horrescenti : eòque breviter tantùm hæreses cæteris magis no- „ tabiles recensebo „ . Hoc præstat citato Cap. & sequentibus , quem studiosus adire poterit , sicut Lindanum Dubitantii seu Dialogo 2. & Dupin. Tom. 1. Bibliothecæ Auct. à Communione Ecclesiæ Romanæ separatorum , ubi eorum scripta & errores sigillatim exponit . His ergo omissis ad Anabaptistas me convertam .

CAPUT CX.

De Anabaptistis .

§. I.

Hæresis origo , Auctores , & primi propagatores .

I. ANABAPTISTARUM Sectam (sic dictam , quia puerorum Baptisma rejicit) à Luthero conceptam fuisse & præformatam,ejusque monstruosam prolem extitisse,ostendit Ulembergius in Vita Lutheri . Fratres enim Walienses , qui in Moravia & Bohemia degebant , comperto , quòd Wittembergæ nova Religio cuderetur , quosdam Discipulorum suorum ablegaverant

verant Wittembergam exploratum, an cum nova Ecclesia in communionem venire possent. Cum his Lutherus de variis rebus egit, & præcipuè de Baptismate infantium. Legati asseverabant Baptisma infantium retineri à suis, quia licèt in ea ætate nondum crederent, eâ tamen conditione baptizarentur, ut postmodum per ętatem de fide instruerentur. Id reprobavit Lutherus, asserens, satius esse Baptismum omitti, quàm infantes sinè propria fide baptizari. Hoc planè fuit fundamentum Anabaptismi, quod Lutherus ante annum 1522. infeliciter posuit; & super quod Anabaptistæ præcipuum suæ Sectæ Articulum ædificarunt. Quia enim à Luthero audierant verba Christi Marci 16. v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit*: & quia absurdum illis videbatur dicere cum Luthero, parvulos habere propriam fidem actu dum baptizantur, satius illis visum est omittere Baptismum in parvulis, & nonnisi credentes baptizare.

II. Primum hujus Sectæ evulgatorem communiùs asseritur fuisse Nicolaum Storkium, etiam Pelargum nuncupatum, natione Silesium. Hic primùm Luthero adhæsit, sed ab eo postea deficiens, & insolitas Revelationes jactans, & propterea Wittembergâ pulsus, incertisque sedibus per Thuringiam vagatus, specie sanctitatis, quam egregiè mentiebatur, apud rusticorum vulgus fidem invenit de secretis mysteriis, quæ sibi per Michaelem Archangelum revelata dictitabat. Illis ergo persuasit, ut libertatem Evangelicam profiterentur, & rebus mundanis valere jussis, mentem oculosque ad Deum intenderent, seque rebaptizari finerent: ac eos omnes qui huic doctrinæ contradicerent, Magistratus simul ac Principes, velut tyrannos igne ac ferro ad internecionem delerent; cùm natura omnes liberos ac fratres genuerit, nec gravari ab aliquibus voluerit, sed omnia singulis esse communia: Episcopos & Pastores vel trucidarent, vel finibus suis ejicerent, bona eorum diriperent, Monasteria diruerent, abusus omnes pessumdarent. Hanc esse Summi Numinis voluntatem, cui morem gerere tenerentur. Nonnullis Sacræ Scripturæ testimoniis ad arcana sibi divinitùs (ut ajebat) revelata detortis, ad insana illa crudeliaque dogmata confirmanda abutebatur.

III. Nicolai Storkii vesanum furorem auxit Thomas Muntzerus Concionator Alstetensis in Thuringia doctrinæ non mediocris, ex Sacerdote Catholico Lutheranus factus, qui Enthusiastam agere sciens, ac rigidioris vitæ speciem præferens, Sectam adeò propalavit, ut illius Auctor à multis existimetur. Quia autem intelligebat, ad stabiliendam doctrinam suam alio fundamento, quàm somniis & visionibus opus esse, rerum inter omnes communitatem

ex Sacra Scriptura prædicare cœpit: *Fratres*, ajebat, *omnes sumus, & filii Adami. Quare æquum non est, ut alii intereant famé, dum alii in summis divitiis ac rerum abundantia deliciantur. Apostoli nihil proprium habuerunt, sed omnia erant communia.*

Ad veram Evangelii viam, quam nec Pontifices Romani, nec Lutherus adhuc invenissent, annuntiandam, Apostolum se à Deo missum in Concionibus & scriptis publicabat, nimirùm: *Divinitùs sibi inspiratum, ut tam Pontificem quàm Lutherum oppugnaret, quòd utriusque doctrina esset vitiosa & impura. Pontificem nimiùm duris legibus atque vinculis alligasse hominum mentes: Lutherum solvisse quidem ea vincula, sed in contrarium partem peccare, nimiùmque indulgere. Suam verò doctrinam medium tenere. Non plus tribuendum esse Pontificiis Constitutionibus, quàm Lutheri statutis.* Interim externâ quâdam sanctitatis specie vitia detestabatur, etiam quæ levia videntur, ac docebat, castigandum esse corpus ac jejuniis macerandum, quæ à Luthero nimiâ saginâ distenta sint. *Doctrina Lutheri* (inquit Anabaptistarum Apostolus Menno) *carnalis & dissoluta populum carnalem & dissolutum in tantam deduxit impietatem, ut inter Turcas & Tartaros major reperiri non possit.* Hæc ex Remundo Lib.2. Synopsis cap.1. num.4.

IV. Insuper somnia, exstases, revelationes, & colloquia cum Deo fingebat, ut ab ipso Luthero propheta per contemtum vocaretur. Precationem verè impiam ipse; ac sui ad Deum fundebant, dum elevatis ad Cœlum oculis dicebant: *Pater, infunde animo meo perfectum desiderium justitiæ tuæ. Quod nisi feceris, te tuosque Apostolos ad unum omnes abnegabo.* Nunquid non hæc potiùs injuriosa in Deum blasphemia, quàm precatio est? Saxoniæ Dux, ubi de novo vate Muntzero audivit, Lutherum quid faciendum esset consuluit, qui suasit, ut eum toleraret; sperans hoc modo doctrinam suam plausibiliorem redditum iri. Sed postquam vidit tantam ad Muntzeri partes accessionem fieri, suæque doctrinæ æquè ac Pontificiæ detrahi, calamum in eum strinxit *Diabolum incarnatum appellans*, civibusque, apud quos Muntzerus & socii concionabantur, consilium dedit, ut eos ejicerent, nisi doctrinam miraculis confirmarent. Sic enim ad Senatum & Magistratum Mulhusinum scribit: *Sapienter eos facturos, si Muntzerum interrogarent, à quo prædicandi acceperit potestatem. Si dicat à Deo, id ei probandum, & vocationem suam miraculo aliquo confirmandam. Id si facere non possit, extrudendum. Illud enim Deo proprium esse, ut voluntatem suam per miracula declaret, quoties usitatum ordinem mutari velit.* Ita Lutherus Tomo 2. Jenæ ad Senatum Mulhusin. pag. 455.

V. Sed infelix non videt, suo se ipsum gladio æquè ac Muntzerum

zerum jugulare? Dic ergo mihi Luthere: Si & tu interrogeris, à quo prædicandi acceperis potestatem; & dicas à Deo: id tibi probandum erit, & invocatio tua per miracula confirmanda. Quod si id facere non possis, ut re verâ nunquam potuisti, jure te anathematizavit Ecclesia. Illud enim Deo proprium est, ut voluntatem suam per miracula declaret, quoties usitatum ordinem mutari velit. Tu te à Deo missum ad totum usitatum in Ecclesia ordinem mutandum, ac reformandum, & Evangelium, quod sub scamno diù latuerat, in lucem revocandum asserebas, conclamabas: quibus miraculis missionem tuam à Deo fuisse declarasti? nullis certè. Ergo non à Deo, sed à Satana ad evertendam Ecclesiam missus fuisti. *De ore tuo te judico.* Sic volens nolens coactus es confiteri, miracula esse veræ ac legitimæ & non falsæ & adulterinæ Ecclesiæ notas; & consequenter tuam Ecclesiam, in qua nulla fuerunt unquam, falsam & apostaticam esse. (De hoc egi in Vera Ecclesia Tom. 1. c. 2. §. 3.) Jure igitur exclamat Erasmus: *O miseros Evangelicos, qui precibus suis nec claudicantem ullum equum sanare potuerunt! Miracula ipsorum sunt, ignis, sanguis, cædes, & carnificinæ. Nec ipsorum Deus Deus pacis est, sed dissensionis.* Hanc veritatem historiæ produnt, & de ea inferiùs aliqua dicam.

VI. Anabaptistæ ut hanc invidiam declinarent, aliqua in sua Secta miracula comminisci conati sunt. Sed qualia? Vel falsa, & ab ipsis conficta, vel qualia Magi Pharaonis patrarunt. Inter conficta celebre est illud quod refert Gastius Lib. edito Basileæ anno 1554. nempè ex Anabaptistis *Rogatos quosdam de vocatione sua & miraculis, noctu in lacum quemdam castello vicinum ingentem vim piscium comportari curasse: quum deindè ipsos quàcumque incederent, ad pœnitentiam vitæque emendationem magno clamore exhortantes, & extremum Judicis adventum annuntiantes, ingens hominum multitudo sequeretur, ac multi ex iis fame premerentur: Unum istorum præconum in genua provolutum precari cœpisse, ut Deus populo esurienti prospicere, ac bona sua largiri vellet. Deindè retia & nassas afferri jussisse, ac cum sociis in lacum ingressum, incredibilem piscium copiam extraxisse, eosque assistentibus distribuisse, magno cum omnium qui hoc adspexerant stupore, quòd antehac vix ullus in eo lacu piscis visus fuisset. Miraculum hoc statim undequaque fuit divulgatum, & pisces etiam ad diversa loco missi, multis ad hanc famam undique confluentibus, & ad novos hos Apostolos, quos Divinos homines, & ad perditi mundi salutem cœlitùs missos dicebant, se se aggregantibus.* Similis miraculi artifex fuit Mahometes, qui urnas multas lacte plenas in vertice cujusdam montis clam defodit; deinde populo supra modum famelico, prostratus Deum invocavit, ut doctrinam

suam testimonio aliquo roboraret. Precatione completâ, in loco sibi soli noto terram jussit effodi, ibique urnis lacte plenis inventis ac distributis, tanquam cœlesti munere barbaros illos stupore confixos pavit.

Menno etiam Anabaptistarum coryphæus in Libro de libero arbitrio ait, multos Lutheranos, qui doctrinæ ipsius illuserant, subitaneâ morte periisse: & Vincentium quemdam Anabaptismum refutare aggressum, subitò loquendi usum amisisse. Sed quæ fides huic impostori qui ut simplices decipiat, talia mentitur, habenda est? Quæ verò Lindanus & alii narrant de quibusdam legendi omninò impetitis, qui facti Anabaptistæ illicò Sacras Scripturas promtè ac expeditè legerent & explicarent, redeuntes verò ad Catholicam fidem literarum imperiti, ut ante, prorsùs fuerint (si vera sint) Diaboli calliditati tribuenda erunt, qui sicut falsorum prophetarum linguas movit, ut dicerent quæ nescirent: ita & horum infelicium linguas expedivit, ut legerent quæ ignorarent: cujus signum est, quòd ab eo recedentibus tota scientiæ apparentia deficiebat.

VII. Vera igitur signa, quæ suæ vocationis Muntzerus & alii Anabaptistæ dederunt, alia non fuerunt, quàm seditiones, quas sub revelationum & libertatis specie inter vulgares homines, & præcipuè rusticos excitarunt, quas innumeræ secutæ sunt cædes, strages, calamitates, & miseriæ omnibus in locis, quæ hujusmodi pestis infecit. Quapropter commoti Principes Germaniæ arma contra rusticos contumaces sumserunt, & commisso prælio centum & triginta efferatorum hominum millia cæsa sunt anno 1525. & Muntzerus ipse è prælio in Oppidum Francusium profugus, in lecto morbum insimulans captus est. Factum exponit Sleidanus L. 5. his verbis: *Quum impetus factus esset, miseros homines velut attonitos, ac mente captos, neque se defendisse, neque fugâ salutem quæsisse; sed carmen populare, quo S. Spiritus petitur auxilium, cantasse: quod plerique Muntzeri pollicitationibus confisi (non minùs frustra quàm olìm Baalitici Sacerdotes) Cœlestem opem expectarent.*

VIII. Captus Muntzerus, & à Georgio Duce Saxoniæ interrogatus, quid ita miseros homines in fraudem pertranxisset? *Ego*, inquit, *feci quod Cœlitùs mihi fuit injunctum. Hoc modo omnes Magistratus, qui doctrinam Evangelii recipere nolunt, coercendi ac tractandi sunt.* Comprehensus quoquè cum eo fuit Pfeifferus socius ejus Ordinis Præmonstratensis apostata. Mulhusium ambo ducti capite damnati sunt. Pfeifferus in hæresi obstinatus obiit. De Muntzero controvertitur. Quidam volunt, quòd dum supplicium pararetur, vultu intrepido tanquam Prophetam se ferebat. Quæstio-

stioni subjectus inter ipsa tormenta, tam ipsam mortem, cujus apparatum videbat, quàm ipsos Judices provocabat. Ad supplicii locum adductus Principes hortatus fuit: *Ut Biblia, præsertim Libros Regum, diligenter legerent, ac Verbum Dei discerent.* Et hæc postrema ejus fuisse verba volunt. Alii verò sentiunt, quòd Muntzerus ante mortem errores revocavit, & Confessione Sacramentali expiatus, & Eucharistiæ Sacramento Catholico ritu suscepto, caput lictori obtulit. Ita inter alios Alexandre in Hist. Sec. 15. & 16. cap. 2. art. 11. Unde Petrus Rebsock Lutheri commensalis ait, Magistrum suum post mortem Muntzeri pro ipso preces ad Deum fundere solitum.

§. II.

Anabaptistarum promotores alii, & Sectarum diversitas.

I. MUntzero extincto, Anabaptistarum hæresis nedum extincta non fuit, sed tractu temporis majori furore invaluit. Anno 1534. novæ seditionis incendium in Civitate Monasteriensi Westphaliæ Metropoli excitarunt Anabaptistæ, ducibus Joanne Matthiâ pistore Harlemiensi, & Joanne Bocoldo sartore Leidensi, qui allecto in partes Bernardo quodam Northmanno Sacerdote apostatâ, Henrici fabri ferrarii filio, tunc Lutheranæ superstitioni addicto, & promiscuæ plebis ingenti multitudine, falsis revelationibus proximique Judicii terroribus deceptâ, in Magistratus insurrexerunt, ac eò usque seditionem promoverunt, ut quicumque rebaptizari nollent, aut urbe pulsi, aut cæsi fuerint: omnis Dei cultus extinctus, sacræ Virgines violatæ, Senatus pro eorum arbitrio mutatus, bona direpta, politia omnis eversa nutu Joannis Matthiæ, qui se Prophetam Dei Patris asserebat, & pro tali ab omnibus colebatur. Eo tempore Liber prodiit *Restitutionis* titulo, quo asserebatur, Regnum Christi ejusmodi futurum ante extremum Judicii diem, ut pii dumtaxat & electi regnarent, impiis ubique deletis: Licere populo Magistratum abrogare: Ecclesiæ Ministros debere sibi sumere Jus gladii, novamque Rempublicam constituere: Lutherum, & Romanum Pontificem falsos esse Prophetas, sed Lutherum deteriorem: Matrimonium eorum qui verâ fide illustrati non essent, adulterium potiùs habendum esse. Porrò obsessâ urbe ab Episcopo Principe Monasteriensi, Joannes Matthias eorum Propheta in eruptione ab hostibus confossus interiit.

II. Post Joannis Matthiæ necem Joannes sartor Leidensis alter pseudo-propheta Anabaptisticæ Reipublicæ suscepit regimen. Hic rerum potitus, multisque in civili administratione mutatis, cùm

(ut

(ut aliqui volunt) in adulterio fuisset deprehensus, ut invidiam declinaret, legem promulgavit de polygamia, cujus forma erat, *Virum non esse uni devinctum uxori, sed licere quantumvis multas ducere :* Mox ut suo exemplo alios incitaret, ternas duxit uxores, quibus deindè alias undecim superinduxit, non aliter, quàm emissarius equus ex uno jumento in aliud insiliens, quamvis fronte nonnisi castitatem præ se ferret. Exemplum Prophetæ secuti reliqui, alii tres, alii quatuor, alii plures ducere cœperunt uxores. Ad hoc fuisse motus dicitur scriptis Lutheri, è quibus doctrinæ suæ plures articulos hauserat. In Genesim enim scribens Lutherus, & quæstionem excitans: an Abraham rectè fecerit pluribus uxoribus implicitus, ita concludit: *Ego consuetudinem hanc inducere nolim. Sed nec reprobare ausim, quum Sanctorum Patriarcharum exempla habeamus.* Quod facto comprobavit, dum Philippo Lantgravio Hassiæ Duci, cujus libidini unica uxor sat non erat, re cum suis Theologis discussâ, alteram concessit. De quo egi Tom. 4. in 3. p. De Matrim. q.4. Dub.3.

III. Demùm Joannes Leidensis è Propheta Rex factus, quodam fabro aurario Enthusiastâ à Deo designatum eum proclamante, & ab insana multitudine salutatus, ac susceptus Coronam sumsit. In foro sibi solium panno vestitum aureo fieri curavit: pro Regum consuetudine delegit sibi proceres aulicorumque comitatum, ex ornamentis Ecclesiasticis pretiosè amictum, quæ ex Ecclesiarum spoliis sibi comparaverat. Quoties in publicum prodibat, Catonianam quandam gravitatem vultu præ se ferebat. Ante eum equitabant adolescentuli bini, quorum dexter Biblia aureis laminis cooperta, alter evaginatum ensem gestabat. Ibi omnes, nisi se satis vixisse arbitrarentur, in genua & ad pedes ejus se prosternebant. Ipse manu aureum orbiculum ferebat his inscriptum literis *Rex Justitiæ in terra*. Eam urbem *Sion* & *Jerusalem* appellabat, ex qua Imperium in terrarum Orbem universum esset propagaturus.

Deindè, velut ex mandato Patris Æterni, Apostolos ad novum Evangelium Orbi prædicandum electurus, magnificam Cœnam instruxit, in qua multitudinem universam (circa quatuor millia) discumbere jussit. Mensis sublatis, paropsidem afferri mandavit panis triticei fragmentis repletam. Tum singulis ordine frustulum porrexit, formâ Sacramentariorum dicens: *Accipite, comedite, & mortem Domini annuntiate.* Regina verò ejus uxor præcipua poculum vino plenum porrigens dixit: *Bibite, & mortem Domini annuntiate.* Mox interrogatis omnibus, num pro fide mortem oppetere parati essent, illisque communi acclamatione ani-

animum sibi non deesse significantibus, viginti (vel ut aliis placet viginti octo) elegit, quos in quatuor Orbis plagas emitteret cum potestate signa & prodigia patrandi. Hoc facto sacrilegiis pleno Leidendis Rex, seu verius Diabolus, ad suum pseudo-Evangelium prædicandum expeditionem paravit.

IV. Porrò (ut refert Remundus Lib. 2. cap. 2. n. 5.) ille Anabaptistarum Rex inter cœnandum surrexit, & quemdam, quem proditionis tanquam alterum Judam reum insimulavit, suâ manu decollavit, imitatus, non Christum, sed Antichristum præveniens, de quo dicitur: *Et ab initio homicida fuit*. In illa verò actione cœnali coronam eximiam capite, multosque pretiosos annulos digitis gestabat aureo vestimento amictus. Mira sanè puritas Evangelii à Luthero è scamno sub quo latebat in Orbem producti! Rex ille interea, quos secum cœnatos elegerat, emittit, & quò cuique proficiscendum sit demonstrat, dato cuique præter viaticum nummo aureo, quem iis in locis, quæ doctrinam illorum non admitterent, relinquere jubentur.

V. Hi cùm egressi ad suum quisque locum venissent, per Oppida passim horribili voce illud: *Pœnitentiam agite*: ingeminabant; seque à Deo & Propheta ejus novæ Hierosolymæ Rege ad hoc missos dicebant, ut Evangelium hactenus nunquam benè intellectum interpretarentur, eosque rebaptizarent: ut qui aliter Regnum Cœlorum adipisci non possent. Multis jam seculis universum Mundum à Papa fuisse seductum. Sed & Lutherum dum omnia interpolare velit, omnia corrupisse. Unus eorum Knipperdolingus nomine, nihil scilicet, ut sibi videbatur, nisi sapientiam exhalans (verè stultitiam, & impietatem) obviis in os insufflabat, dicens *Accipite Spiritum Sanctum*. Mira quidem temeritas: sed quam veterem hæreticum Marcum ostendisse testatur Irenæus L. 1. Missi isti novi Apostoli, plerique variis in locis capite multati sunt, ac unus tantùm ad Regem est reversus. Idem in Hollandiam postea alios ablegavit, nimirùm Jacobum Campesium & Joannem Matthiam, quorum opera Anabaptismus ibi fuit valdè propagatus, & in Frisia, quò Joannes Galleus missus fuerat. Cætera, quæ sub novo hujus Regis ac Prophetæ Regno contigere, videri possunt apud Henricum Dorpium, Lambertum Hortensium, Kersembrochium, Bolandum, & Meshovium Lib. 6. & 7. Hist. Anabaptistarum.

VI. Obsessa à Germaniæ Principibus Monasteriensi Civitate Anabaptistarum Metropoli, & tandem vi occupatâ, captus quoque ipse Rex inter alios fuit, & ad incutiendum cæteris Anabaptistis terrorem supplicii per diversa loca in ludibrium traductus fuit.
Ha-

Habito cum eo sermone de variis fidei articulis, pervicax, & alienus à fide Catholica permansit; adeò ut ad Episcopum adductus, & interrogatus, quâ fretus auctoritate Regnum sibi in Civitatem ac populum arrogasset, responderit, se divinitùs eò vocatum, hancque voluntatem uni ex prophetis suis Deum manifestasse. Major fuit Knipperdolingi & Krecthingi sociorum ejus obstinatio, qui nec ejus delictum fateri vellent, & sua ad extremum pertinaciter defenderent. Cùm dies supplicio constitutus advenisset anno 1536. mense Januario, admonitus est, ut peccata sua fateretur seque ad mortem pararet, cum oblato ad hoc Sacerdote longum quidem sermonem habuit, sed cùm nec ipse, nec socii prædicti ullâ viâ flecti possent, sed in mediis tormentis se pro Christo mori gloriarentur: sic ignitis forcipibus (quæ ad perpetuam detestationem uncis & plumbo ad columnas Curiæ Monasteriensis Civitatis affixæ diù manserunt) lacerati atque excarnificati, infelices tandem animas efflarunt. Hunc progressum & exitum in Civitate Monasterii habuit Anabaptisticum Regnum.

VII. Fanatica hæc arbor in tot se se expandit ramos, ut tot Sectæ capita, quot Sectarii numerari posse videantur. Sectas septuaginta septem Anabaptistarum Francus in sua Historia enumerat, puto Antilutheranos cum Anabaptistis conjungens: duodecim recenset Staphilus, & alii plures; quarum singulæ, vel à dogmate, vel ab auctore, vel à regione nomen accepere: nimirùm *Muntzeriani* à Thoma Muntzero, de quo supra. *Hutitæ* à Joanne Hut, qui se Corporales Israelitas appellabant Chananæorum omnium expugnatores. Diem Domini instare dicebant, ideòque omnia ante ejus adventum obligurienda. Quare ad summam inopiam sunt redacti, illum Domini diem intempestivè expectantes. Ita Lindanus Dialogo 2. Dubitantii. *Augustiniani* ab Augustino Bohemo, qui præter communia Sectæ dogmata, animas fidelium à visione Dei, ob Cœlum nondum reseratum, ante ultimam Judicii diem exclusas contendebat. *Bukoldiani* à Joanne Bukold sartore Leidensi, qui Regnum Mundanum statuebant, plures uxores ducebant, bona omnia communia habebant.

VIII. *Melchioritæ*, & *Hofmanniani* à Melchiore Hofmanno, qui ad se tractâ monstruosâ discipulorum turbâ, se Eliam dictitans docebat, Verbum non assumsisse ex Virgine carnem, Christum unam tantùm naturam habuisse. Qui acceptâ gratiâ voluntariè peccasset, nunquam in gratiam recipi; salutis assequendæ vires esse à nobis. Pædobaptismum esse à Diabolo. Sunt etiam, qui volunt Millenarium Regnum Christi cùm Chiliastis eum statuisse. Quibus plures antiquas & damnatas hæreses excitabat.

Ada-

Adamitæ, quòd nudi incederent. *Denkiani*, qui Dæmonum existentiam negabant. *Vgonvallistæ*, qui cuique peccatori etiam impio, imò & ipsis Dæmonibus salutem promittebant. *Francistæ* à Frank, qui Sacris Scripturis adimens auctoritatem, earum dicta & facta in dubium revocabant. *Apostolici*, sic dicti à paupertate, quam affectabant, à Scripturis, quas semper literaliter intelligebant, & à lotione pedum, quam frequentabant, unde etiam *Pedonitæ* appellati fuere. *Separati* illi erant, qui omne humanum commercium fugiebant.

IX. *Cathari*, qui se ab omni peccato immunes, & qui eorum Sectæ adhærerent, impeccabiles pronuntiabant: ideòque in Oratione Dominica omittebant verba *Dimitte nobis debita nostra*, &, *Sed libera nos à malo*. *Silentiarii*, qui sententiam rogati, silent, & obmutescunt, quia non multiloquium tantùm vitandum, sed & privatas & publicas super Religione concertationes censent; eò quòd Mundum non esse dignum existiment, cui prædicetur Evangelium. *Euchitæ* seu *Orantes*, qui vim omnem mala avertendi, & bona in se derivandi, precibus tribuebant, & illis dumtaxat vacandum esse contendebant, nec media conquirenda ad vitam temporalem necessaria, sed omnia à Deo immediatè expectanda. *Servetiani* à Michaele Serveto Hispano, qui præter communia cum Anabaptistis, execrandas in Sanctam Trinitatem & Filium Dei effudit blasphemias: ideòque etiam promovente Calvino Genevæ combustus fuit anno 1554. Kalendis Aprilis, de quo Cap. sequenti *§. 3.*

X. *Fratres Caritatis*: qui omnia vendebant, & si pretium non dabatur, gratìs concedebant, cætera egentibus dividebant. *Ejulantes*, qui incompositis ejulatibus conversi ad Cœlum semper plangebant. *Effrontes*, qui loco Baptismi sinciput scarificabant, & ungebant. *Abecedarii*, hi quemcumque legere aut scribere nossent damnabant. *Amaxarii* & *Borbonitæ*, qui quoscumque apostatas ad se recipiebant, publicè clamantes, *Venite ad nos omnes, Venite ad nos omnes*. Hi adhuc in Belgio perseverare dicuntur, nam scissione factâ à Mennonitis ob anathematum severitatem, quemvis ab aliis excommunicatum in suam Sectam recipiebant. Aderant etiam *Stebleri* se *Bacularii*, qui omne genus armorum præter baculum Christianis illicitum esse dicebant. *Sabbatarii*, diem Sabbati venerantes, & diem Dominicum rejicientes. *Clancularii*, qui asserebant satìs esse clam tenere fidem, & eam palàm negare licitum. *Condormientes*, qui omnes in una aula viros & mulieres promiscuè dormire volebant.

XI. Anabaptistarum Sectam turpiorem effecerunt *Davidiani*,

seu *Georgiani* à Davide Georgio, qui vitriariam artem Gandavi exercens, mulierculas aliquot peccatis onustas ubi reperisset, se se tertium esse Davidem verumque Messiam super terram regnaturum illis persuasit; quæ se beatas existimabant, si relictis maritis, ex promisso ipsius (ut gloriabatur fœdissimus impostor) ex ejus semine conciperent. Cum Sadducæis veram omnium corporum resurrectionem, Angelos insuper, Dæmones, extremum Judicium, vitam æternam negabat. Mulierum communionem admittebat. Stultum esse ajebat, si quis peccatum esse putaret abjurare Christum coràm hominibus: & ideò stolidos vocabat Apostolos & Martyres, quòd ob eam causam se occidi permisissent. Non animam, sed solam carnem peccatum contrahere asserebat: quòdque animæ eorum, quos Infideles nuncupamus, æquè salvabuntur, atque Fidelium: & Apostolorum corpora æquè damnabuntur, atque Infidelium. Omnem doctrinam hactenus à Deo per Moysen, Prophetas, Christum & Apostolos traditam, fuisse imperfectam, & ad salutem inutilem asserebat, suam verò perfectam esse. Se enim esse dilectum Dei Filium, non ex carne, sed ex spiritu natum, qui peccata verè condonet ac reservet, qui denique judicaturus sit in novissimo die. Post tot effusas blasphemias obiit Basileæ 8. Kal. Septembris anno 1556. spem fanaticis discipulis suæ resurrectionis post triennium futuræ relinquens. Verùm ejus cadaver Senatus Basileensis decreto post triennium effossum, & à carnifice in foro combustum est cum libris & scriptis diligenter conquisitis anno 1559. Hæc pseudo-Prophetæ digna Anastasis. Ita Alexandre Sec.16. cap.2. art.11. num.4. præter alios.

XII. Ex Anabaptistica cloaca emerserunt etiam *Libertini*, seu *Liberi*, qui à Divinis & politicis legibus, decimis, tributis &c. se per Christum immunes gloriari, & communionem uxorum, aliaque impura dogmata promulgare & opere confirmare non verebantur. Sectam hanc invexit in Gallias Quintinus quidam, eamque Antonius Pocquius propagavit. Docebant isti, unicum tantùm spiritum immortalem esse, scilicet Spiritum Dei, qui sit ac vivat in omnibus creaturis. Angelos inspirationes esse, non substantias, Diabolum & peccatum imaginationes inanes & frivolas asserebant. Unicum spiritum immortalem omnia efficere, adeò ut ipsa peccata Deo imputanda sint; nec ullius ampliùs rei conscientiâ moveri quisquam debeat, nec fas sit quidquam improbare. Christum ex spiritu Dei & opinatione esse compositum. In eo positam Redemtionem nostram, quòd Christus solùm velut typus fuit, in quo contemplemur ea quæ ad salutem nostram Scriptura requirit. Regenerationem esse restitutionem innocentiæ, in qua Adam,

Adam, antequam peccaſſet, conſtitutus erat. Hunc autem innocentiæ ſtatum ſic accipiebant: Nihil diſcernere, quaſi mali cognitione ſublatâ, ac puerorum more naturalem ſenſum atque inclinationem ſequi. Libertatem Chriſtianam in eo poſitam, ut omnia homini ſinè exceptione licita ſint. Propriam cujuſque ad malum propenſionem eſſe vocationem, in qua ſecundùm Apoſtoli mandatum permanere debeat. Matrimonium etiam ſolemni ritu initum coram hominibus, carnale eſſe, niſi ſpiritus benè conveniant; adeòque Chriſtianum hominem minimè ad id adſtrictum eſſe, ſed id ſolùm inter Chriſtianos firmum eſſe debere, in quo utrique ſimul cum altero benè eſt. Communionem Sanctorum eſſe, ſi nemo poſſideat tanquam ſuum quidquam, ſed unuſquiſque, undecumque nanciſci poterit, ad ſe rapiat. Reſurrectionem jam eſſe factam, cùm homo ſcit Animam ſuam ſpiritum immortalem eſſe perpetuò viventem in Cœlis: ac Chriſtum morte ſuâ opinationem aboleviſſe, eâque ratione nobis reſtituiſſe vitam, quæ in eo eſt, ut nos minimè mori cognoſcamus. Fas eſſe diſſimulare Religionem. Literæ Scripturæ Sacræ minimè nos obnoxios eſſe, ſed ſpiritum qui vivificat ſequi oportere. Unde Scripturam in allegorias totam detorquebant.

XIII. Hæc de ſola Anabaptiſtica Libertinorum verè horrenda Secta refert Calvinus ipſe, qui licèt pſeudo-evangelicæ libertatis cæteroquin defenſor, ea tamen probare non valens, Inſtructionem edidit adversùs errores communis Sectæ Anabaptiſtarum, & ſpecialem Librum adversùs Libertinos. Certè ſi congeriem errorum, quos ſingulæ Anabaptiſtarum Sectæ profeſſæ ſunt, unitim complectamur, nedum turpiores per diverſa ſecula diſperſas hæreſes eos collegiſſe, ſed de proprio pejores, & Chriſtianæ fidei everſivas addidiſſe deprehendemus. Quapropter non Catholici tantùm, ſed & aliarum Sectarum hæretici, ut Calvinus, Zuinglius, Melancthon, & Lutherus ipſe Diſputationibus, ſeu Libris editis, Anabaptiſtas ut hæreticos agnoverunt, & impugnarunt. At tu Luthere, quid de Anabaptiſtis conquereris? nonne iſti de tuo ſemine prognati ſunt, ac de tua ſchola, ſicut & alii, prodierunt? Tu primus fuiſti, qui ad reformandam, ut ajebas, Eccleſiam, non à Deo, ſed à Satana miſſus indiviſibilem ejus unitatem deſtruxiſti. Ex hoc factum, ut pars illa avulſa momento temporis in infinitas alias diviſa fuerit, te ſæpiùs ſtupente & exclamante (in Colloquiis Menſ. & alibi) *Quid hoc eſſe dicam? Vix unum os Diaboli obturo, & ecce decem ille alia aperit*. Quid miraris? Tu os Diabolo primus aperuiſti. Ergo ne per te ſolum eum loqui volebas, ac loquendi quæ ſibi placebant poteſtatem dediſſe? Eâdem ratione quâ te miſit, miſit & alios,

 qui

qui tuo exemplo adducti, se à Deo excitatos ac missos, sibique eumdem spiritum, qui tibi, totius Ecclesiæ consensu tutiorem datum esse jactarent, sibique & cuique illorum licere de Deo loqui sentire & scribere, quid & quomodo vellet, nullo antiquæ fidei, nec tui ipsius, licèt magistri, habito respectu. Justum est ergo, ut tu cum illis missus in ignem æternum paratas Diabolo & Angelis ejus pœnas luas.

§. III.

Anabaptistarum errores.

I. SPecialibus enarratis erroribus, qui unamquamque Anabaptistarum Sectam ab alia discindebant; modò eos qui omnibus Anabaptistis communes erant, expendam. Dogma igitur Sectæ præcipuum est, parvulis usu rationis carentibus nihil prodesse Baptisma, quòd fidem pro se profiteri non possint, sinè cujus propria confessione inutilis sit Baptismus, cùm Christus dixerit, eum salvum fore, qui crediderit & baptizatus fuerit; qui verò non crediderit, condemnatum iri (Marci *16. v.16.*) Ideòque Pædobaptismum non inutilem solùm, sed illicitum & nullum esse declarant, quia Verbo Dei contrarium: ac proindè omnes qui ad eorum Sectam ex Catholicis, aut ex aliis Sectis deficiunt, & in infantia baptizati sunt, iterùm baptizant. Propterea *Anabaptistæ* appellati sunt, sivè quòd ipsi rebaptizentur, sivè quòd rebaptizent in infantili ætate baptizatos: & etiam *Catabaptistæ*, quasi Baptistis oppositi, seu Baptismum oppugnantes.

II. Errorem hunc præsocaverat S.Thomas 3.p. q.68. art.9. ubi: *Dicendum*, inquit, *quòd sicut Apostolus dicit Rom.5.* „ Si unius delicto, mors regnavit per unum, *scilicet per Adam*, multò magis abundantiam gratiæ & donationis & justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum „: *Pueri autem ex peccato Adæ peccatum originale contrahunt: quod patet ex hoc quòd sunt mortalitati subjecti, quæ* „ per peccatum primi hominis in omnes pertransiit „ *ut Apostolus ibidem dicit. Unde multò magìs pueri possunt per Christum gratiam accipere, ut regnent in vita æterna. Ipse autem Dominus dicit Jo. 3. quòd* „ Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei „. *Unde necessarium fuit pueros baptizari, ut sicut per Adam damnationem incurrerunt nascendo, ita per Christum salutem consequantur renascendo.* Quibus ex Scriptura deducit S. Thomas necessitatem pueros baptizandi, ut salutem consequantur per Christum renascendo, qui damnationem ab Adam contraxerant nascendo.

III. Quo-

III. Quomodo autem pueri, qui, utpotè non habentes liberum arbitrium, non habent intentionem, recipere possint Baptismum; & cùm non habeant fidem, Sacramento fidei donari possint, exponit S. Doctor ibi ad 1. his verbis: *Dicendum, quòd regeneratio spiritualis quæ fit per Baptismum, est quodammodo similis nativitati carnali, quantum ad hoc, quòd sicut pueri in maternis uteris constituti, non per se ipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentatur, ita etiam pueri nondum habentes usum rationis, quasi in utero Matris Ecclesiæ constituti, non per se ipsos, sed per actum Ecclesiæ salutem suscipiunt. Unde Augustinus* (Lib. 1. de Peccat. Meritis & Remissione cap. 25.) *dicit: Mater Ecclesia os maternum parvulis præbet, ut Sacris Mysteriis imbuantur: quia nondum possunt corde proprio credere ad justitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. Si autem propterea rectè fideles vocantur,* (& cap. 19.) *Quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, cur etiam non pœnitentes habeantur, cùm per eorumdem verba gestantium, Diabolo & huic seculo abrenuntiare monstrentur? Et eâdem ratione possunt dici intendentes, non per actum propriæ intentionis, cùm ipsi quandoque contra nitantur, & plorent, sed per actum eorum à quibus offeruntur.*

Et ibidem ad 2. addit: *Quòd Augustinus scribens Bonifacio dicit* (Epist. 23. modò 98.) *in Ecclesia Salvatoris parvuli per alios credunt, sicut ex aliis, quæ in Baptismo remittuntur, peccata traxerunt.* Hoc eodem argumento Anabaptistas premit Jo. Eckius Hom. 9. de Bapt. dicens „ Cùm parvuli peccatum originale ex aliena contra-„ xerint voluntate, & transgressione Adæ; cur misericors Deus „ non hoc etiam permitteret, ut alienâ fide, non quidem suorum „ parentum vel patrinorum, quod perindè necessarium non est, „ sed Ecclesiæ Catholicæ baptizarentur „? De hoc egi Tomo 2. in 3. p. de Bapt. qu. 5. Dub. 3.

IV. Verùm quia Anabaptistæ hunc suum errorem tuebantur, quòd in Scriptura nullus puerorum legitur ab Apostolis baptizatus, sed quot ab eis baptizabantur adulti erant, & juxta præceptum Christi credentes, & parvulorum Baptisma ex sola Traditione & Ecclesiæ & Patrum usu introductum, cui standum non esse dicebant, Lutherani ipsi, alioquin Traditionum contra Catholicos oppugnatores, ut Anabaptistas vincerent, Traditionum defensionem assumserunt. Eorum verba placet hîc referre, ut eadem possit Catholicus Lector in ipsos retorquere.

V. Lutherus Serm. contra Anabapt. (apud Remundum Lib. 2. cap. 3. num. 5.) *Concedimus*, inquit, *in S. Scriptura nullum textum expressum esse ad refutandum Anabaptistarum errorem, ubi scilicet di-*

dictum sit, baptizandos esse infantes quia credant. Si quis ipsorum nos velit, ut hæc verba ipsi ostendamus, cedimus. Contumacium est Anabaptistarum, non virorum Christianorum, tam angustis nos terminis circumscribere. Illud satis cuique esse debet, quòd institutionem Apostolorum sequimur omni tempore in Ecclesia Dei observatam, etiamsi Scriptura id non præcipiat. Hæc Lutherus. Ex quibus Catholice Lector habes, quid respondeas Lutherano, vel alii ex Sectariis neganti aliquod dogma Apostolicâ Traditione semper in Ecclesia Dei observatum, quia Scriptura id non præcipit, vel in ea expressum non legitur.

VI. Accedit Œcolampadius inter Zuinglianos magni nominis, qui cum novem Anabaptistarum Doctoribus coram Senatu Basileensi de hac re disputationem iniens: *Eja*, inquit, *ostendite nobis, quando hæc nova baptizandi forma in Ecclesia recepta sit; neque enim eam ex vestro vobis capite introducere licet. Nos in hoc totius Ecclesiæ consensum & consuetudinem monstrabimus. Cyprianus in Epistola ad Fidum ait, parvulorum Baptismi in Carthaginensi Concilio mentionem fuisse factam, non tamen tanquam in dubium vocati, sed quòd nonnulli imitatione Judæorum ante diem octavum eos non esse baptizandos dicerent: quæ opinio ab Ecclesia fuit damnata. Origenes Commentariis in Epistolam ad Romanos asserit, consuetudinem hanc infantes baptizandi ab Apostolis descendisse. An fieri potest, ut qui Apostolorum temporibus propinquus fuit fabulas Christianis narrare voluerit, tum quum Ecclesiæ Traditione mendacii convinci posset? S. Augustinus quoquè affirmat morem infantes baptizandi in Ecclesia semper viguisse. Eodem modo Concilium Milevitanum de Pædobaptismo loquitur, non tanquam de re controversa: sed ad refutandum Pelagianorum de peccato originali errorem: Cæteri... infantium Baptismum reprobare ausi non sunt.* Quis Œcolampadium ita loquentem audiens, eum Catholicum non existimaret?

VII. Porrò cùm Anabaptistæ Sectariorum more responderent: *Ad quid nobis tot Patres, Doctores, Concilia allegas? Homines fuerunt, quorum dictis & decretis stare non tenemur, nisi quatenus Sacræ Scripturæ sunt conformia. Atqui ex hac infantium Baptismum probare non potestis, neque nos in eo acquiescere possumus, quod fieri consuevit, nisi fieri debere ex Scriptura doceamur. Quòd si usque ad hæc tempora in eo erratum est, certè tempus est, ut error emendetur, postquam Deus veritatem nobis revelavit, utque purum & simplex Christi Verbum amplectamur, qui vult ut fides præcedat Baptismum, necesse est, ut qui baptizat, & qui baptizatur, integram & perfectam habeant fidem; quod si non sit, Baptismus est potius Satanæ à Papa inventus.* Hæc Anabaptistarum loquendi phrasis, nonne eadem est,

eſt, ac ea, quâ omnes moderni Heterodoxi in iis à quibus diſſentiunt contra Catholicos loquuntur?

VII. Anabaptiſtas tamen adhuc Catholicè loquens Œcolampadius ita excepit: *An tot animarum millia, quæ in Eccleſia hoc modo baptizatæ ſunt, & quæ talem Baptiſmum rectum eſſe crediderunt, æternis flammis adjudicatas arbitramini? An credibile eſt à Deo eos Satanæ tanquam prædæ relictos? An vos propterea à tam doctis & ſanctis hominibus per ſchiſma diſcedere oportet?* His Œcolampadius diſputationem clauſit. Eodem diſcurſu eos feriunt Genevenſes: *Si vos*, inquiunt, *Dei eſtis Eccleſia, ſequitur Deum ſinè Eccleſia fuiſſe uſque ad annum 1522. quo Nicolaus Storkius & Thomas Muntzerus prima Eccleſiæ veſtræ fundamenta jecerunt. Excutite omnes Mundi angulos, neminem qui vobiſcum ullo tempore ſenſerit, invenietis. Quum verò Deus ſinè populo & Chriſtus ſinè regno non ſit, ſequitur vos non magis populum ejus, quàm Eccleſiam eſſe poſſe.* Hæc ſubjicere operæ pretium duxi, ut hinc ad evidentiam norit Catholicus Lector, quàm obcæcati ſint Heterodoxi omnes Lutherani, Zuingliani, Calviniſtæ, dum videntes eadem, quæ contra Anabaptiſtarum Baptiſma ipſi objiciunt, à Catholicis in ſe retorqueri, malunt ſe proprio gladio jugulari, quàm ad veritatis ſolem oculos aperire.

IX. De Euchariſtia, quam Cœnam cum aliis Heterodoxis nuncupabant, cum Sacramentariis ſentiebant, realem Corporis & Sanguinis Chriſti in ea præſentiam & corporalem manducationem negantes: nec aliam ob cauſam eam celebrare dicebant, quàm ad mutuam caritatem inter Chriſtianos confirmandam, & memoriam Dominicæ Paſſionis recolendam. Ritus eam celebrandi apud eos hic erat „ Indictâ ab Inſpectore horâ, & cœtu congregato, „ unus Evangelium linguâ vulgari legit. Interim Paſtor ſuggeſtum conſcendit & Bibliorum Codicem ante ſe pluteo imponit. „ Pſalmos non decantant, ut plerique alii Evangelici; ajunt enim, „ id ab Apoſtolis nunquam mandatum, nec permiſſum, ut mares „ & fœminæ permixtis vocibus ac ſonitu templa impleant. Factis precibus, Paſtor locum aliquem Scripturæ explicat. Sermone finito, de pane exiguam particulam ad ſingulos fratres circumfert, qui omnes ſuis quiſque locis ſtantes & capitibus nudi „ conticent. Panis hanc particulam ſinguli manibus tantiſper „ tenent, dum Paſtor ad locum ſuum reverſus, pro ſe quoquè particulam accipit. Tum ille longâ oratione myſterium explicat. „ Ac tandem, mei fratres, inquit, Accipite, manducate, & annuntiate mortem Domini. Sic igitur ſinguli buccellam deglutiunt, & ſuum Chriſtum fide accipiunt. Deindè eodem modo vi-

„ vinum circumfert dicens: Bibite in nomine Christi in commé-
„ morationem effusi sui Sanguinis. Fit sæpenumero, ut hâc ra-
„ tione integrum diem absolvant, Deo gratias agendo, precando,
„ meditando, ac lacrymas precibus miscendo, ut Anabaptistæ
„ ipsi mihi narrarunt. Licèt autem cum Zuinglio credant, nihil
„ in hoc Sacramento esse præter solum panem, nec Corpus Chri-
„ sti aliter quàm per fidem recipi; in eo tamen differunt, quòd
„ Zuingliani Cœnam nonnisi in publicis cœtibus celebrant, &
„ accipiunt, quam Anabaptistæ etiam ad ægrotos deferunt, ut &
„ Lutherani. Illi transeuntes panem & vinum accipiunt: hi verò
„ suo in loco quiescentes, dum ad se deferatur, expectant „. Hæc refert Minister quidam Caroli Regis Galliæ apud Remundum L. 2. cap.3. num.4.

X. Sacrificium & Sacerdotium tollunt, ac Missam tanquam Satanæ inventum detestantur: ajunt enim eam in novo Testamento non reperiri, nec eâ opus esse, sed ad Divinum cultum sermonem & preces sufficere. Papam Romanum eodem, quo Lutherani, Calvinistæ, & alii ejusdem furfuris, titulo insigniunt, Antichristum eum appellantes. Delirium arbitrantur Purgatorium credere, ac pro defunctis orare. Qui Sanctos invocant, injuriam Deo facere dicunt. Nomini Jesu, aut Deiparæ Virgini nullam reverentiam exhibent. Imagines itidem detestantur, & à Cruce abhorrent. Quibus cum aliis hæreticis hujus temporis conveniunt.

XI. Solam Scripturam admittunt. Jurare, litigare, arma tractare, Magistratum gerere, Christianis illicitum putant: adeò ut si quis Magistratum gerens, aut militum ductor ab ipsis rebaptizari velit, non admittatur, nisi iis muneribus abdicatis, & facto per votum promisso, ea imposterum non suscipiendi. Ad fidem neminem cogendum esse ajunt, ut quæ donum Dei sit. Nec Christum nec Apostolos ullâ vi usos, aut contra hæreticos, aut infideles seculare brachium implorasse. Nam animi armis vinci non possunt, nec religio imperari, sed rationibus & argumentis in corda induci debet. Sic Anabaptistæ nemini Religionis causâ vim, multò minùs quamcumque ob causam Christiano mortem inferendam esse docent, sed, si opus sit, excommunicatione utendum.

XII. Singularem pietatis & caritatis erga proximum speciem præferebant: unde Nicolaus Amsdorfius Lutheranus Lib. Recta fides de Cœna: *Anabaptistis*, inquit, *vitæ sanctitate modò Germaniam decipere incipiunt, quemadmodum Monachi olim totam Christianitatem deceperunt* (comparatio Lutheri discipulo verè digna) & Hosius Lib. 1. de Hæref. addit: *Lutherani & Zuingliani zelo Religionis Anabaptistis multum cedunt*. Imò Floremundus Remundus Lib. 2.

Lib. 2. cap. 4. num. 1. non finè admiratione Burdigalæ se expertum fuisse dicit, eos in turba nationum, & negotiorum tumultu eandem vultus faciem & animi statum semper servare, nec ullâ injuriâ, irâ, alioque affectu unquam ab eo dimoveri. Additque, quod cùm anno 1598. eo tempore, quo tota Aquitania extremâ fame premebatur, in eorum aliquot incidisset, ex iis unum liberrimè dicentem se audisse refert: *An vos, Catholici, Christiani dici vultis, qui deliciis immersi ante fores fratres vestros incedere sinitis? En plateas vestras languentibus & semimortuis plenas, interea dum mensæ vestræ ciborum & vini deliciis redundant. En laceros illos & cutem nudam ostendentes, dum vos bysso & serico vestiti superbitis. Non hoc apud nos fieri solet. Nemo nostræ Religionis panem suum mandu-cat. Si cui quid desit, id reliquorum fratrum liberalitate ultrò suppletur. Nemo apud nos eleemosynam petit; sed nec quisquam otiosam vitam ducit. Omnes laboramus. Quòd si quis naufragium, aut jacturam faciat, ea communi omnium contributione ex parte resarcitur.* Ita, & fortè verè, Catholicis ille improperabat. Sed non advertebat miser, suam & suorum inanem, & fictam, quia finè veræ fidei fundamento, esse coram Deo pietatem & caritatem; quia *finè fide impossibile est placere Deo*. Sed hos dimittamus.

CAPUT CXI.

De Calviniana hæresi.

§. I.

Calvini ortus, studia, hæresis initia, & indoles.

I. DUM in Germania eique conterminis Provinciis à Luthero, eique succedentibus prænominatis Sectis, Ecclesia Christi deplorabili incendio vastaretur, aliud non minùs fatale in Gallia Diabolus excitavit, Ministro & facem apponente Calvino utens. Natus fuit hìc Novioduni Veromandorum in Picardia (Gallicè Noyon) sexto Idus Julii anni 1509. Parentem habuit Gerardum Chauvinum Procuratorem & Episcopi Actuarium. Matrem Joannam Frankam, ambos fide Catholicos. Joannes *Chauvinus* primò dictus est; sed quemadmodum *Manes* cognomen in Manichæum, & *Ludder* in Lutherum vertit: ita iste non *Chauvinus* sed *Calvinus* appellari voluit. Sed cum ne hoc quidem nomen satis illi placeret, *Alcuini* nomen sibi aliquandiù usurpavit, ejus scilicet qui Caroli Magni Præceptor fuit, & ob institutam

 Aca-

Academiam Parisiensem celebris. Hoc apertè demonstrat prima Institutionum Calvini editio Argentorati anno 1539. primitùs vulgata, quæ nomen *Alcuini* præ se fert, non *Calvini*. Ita ex Flor. Remundo Lib.7. Synopsis cap.8. num.4. ubi etiam ejus stemma Genethliacum exhibet, quod Astrologiæ studiosis relinquo. Hoc unum dicam, omnia quæ ex eo funesta (etsi artis vanitate) colliguntur, in Calvino impleta fuisse.

II. Calvinus postquam ex'ephebis excessit, positis jam literararum fundamentis, de parentum consilio Lutetiam studiorum causâ missus, & Richardo patruo fabro ferrario commendatus, in Gymnasio Marchiano præceptorem habuit Maturinum Corderium, qui postea è magistro factus discipulus, & Sectam Calvini professus fuit, eodem anno quo Calvinus Genevæ mortuus est. In Gymnasium deindè Montis Acuti translatus, in Philosophia Hispanum Professorem tunc celebrem audivit. Ipsi quasi sacris destinato, pater ab Episcopo Noviodunensi duo Beneficia impetraverat: primùm, Capellam B. Mariæ Virginis de Partu in Ecclesia Cathedrali; deindè Parochiæ Pontis Epis propè Noviodunum Curam. Sed patris mutatus animus fuit, quòd Jurisprudentiam certius iter esse ad opes & honores videret, tum ipsius Calvini, cui cognatus quidam suus Petrus Robertus Olivetanus novæ doctrinæ, à Lutheri & Zuinglii Discipulis in Galliam jam allatæ, studium eidem afflaverat.

III. Statui ergo & vitæ Clericalis professioni vale dicto, Aureliani sub Petro de Stella insigni Jurisconsulto ad Jurisprudentiæ studium animum applicuit. Inter hæc studia Psychopannychiam edidit (anno 1534.) quâ refellendum eorum errorem suscepit, qui animas post hanc vitam usque ad ultimum Judicium dormire putarent.

Avaricum Bituricum profectus, *Andream Alciatum* Jurisconsultum ætatis suæ facilè Principem ex Italia illuc evocatum audivit. Aderat ibi Melchior Wolmarus, quem Navarræ Regina fovebat, natione Germanus Græcarum literarum Professor. Cum eo amicitiam iniit Calvinus, cujus etiam auditor factus, & ad Theologiæ studium animatus, novæ hæresis principia hausit. Wolmarus quamvis Catholicum se simularet, corde tamen Lutheranus erat, & Lutheranum virus Calvino insimulavit. Cum enim in juvene hoc singularem ingenii alacritatem, firmitatem memoriæ, facilitatem in iis quæ audierat, vel lectione didicerat, conscribendis & explicandis deprehendisset, quâdam die cum ipso deambulans, auctor ei fuit ut Justiniani Codice seposito, totum se ad Theologiæ omnium scientiarum reginæ studium converteret.

ret. Sic ad cuniculos, quos Lutherus jam suffoderat, incenso velut pulvere, uno spiritu ad perniciem Ecclesiæ difflandos Calvinum Wolmarus excitavit.

IV. Is ergo Wolmari aliquandiù usus consuetudine, & acquisitâ Græcæ linguæ cognitione, ejus consiliis obtemperare statuit. Intereà repentina mors patris nuntiata Calvinum in patriam revocavit, ubi duo illa Sacerdotia, quæ pater illi procuraverat, vendidit. Dum in patria moraretur, Wolmarus ad eum frequenter literas dabat, Librosque, quos è Germania acceperat, mittebat; acriter exhortans, ut de reformanda atque illustranda Dei Ecclesia cogitationem & curam seriò susciperet, quibus hominis aliàs ambitiosi & propensi animum vehementer incendebat. Quin etiam idem Wolmarus licèt ab Ulrico Duce Wittembergico revocatus, literis tamen animare Calvinum non cessabat. Illud tamen mirum videri meritò potest, quòd idem Calvinus, dum de vocatione sua agit, Wolmari ne verbo quidem meminit, sed hâc tantum dicit occultâ Dei Providentiâ se pertractum fuisse.

V. Novioduni aliquandiù commoratus Lutetiam rediit, & in Collegio Fortereftano domicilium habuit, & Commentarium in Senecæ Librum *De Clementia* edidit; ibi cum Lutheranis & Zuinglianis clandestinos conventus agentibus initâ familiaritate, præsertim cum Nicolao Copo Guillelmi Copi Basileensis Regii medici filio, qui novæ doctrinæ principiis afflatus, ea in Oratione Academica in Festo Omnium Sanctorum publicè exponere ausus fuit. Hæc cùm Joannes Morinus rerum capitalium Judex æquissimus, & in primis Catholicus, severissimam quæstionem in Novatores exercens, detexisset, tum in Copum, tum in Calvinum inquirere cœpit. Quare Copus Regno excedens Basileam se contulit, Calvinus verò è Collegio Fortereftano, ubi degebat, pannorum lineorum ope per fenestram evadens, Engolismam (qui ultimus & remotissimus tractus est Parisiensis Curiæ Jurisdictioni subjectus) fecessit; ubi Ludovici Tilii Canonici Engolismensis & Curionis Claixensis, docens interea pueros Græcam linguam, cujus licèt tenuem habebat notitiam, sumtibus triennio vitam sustentavit.

VI. Dum hic moraretur (inquit Remundus dicto Lib. 7. cap. 9. num. 3.) *Ajunt quidam, & à multis scriptum invenio, Calvinum magni & detestabilis flagitii à primario Buncurrensis Collegii sodali fuisse accusatum, & ad puerorum querelas contumaciæ damnatum.* In hac officina primam Institutionum suarum ordiri cœpit editionem, quam deindè alibi pertextam ad capiendos simplicium animos tetendit, & successivè perfecit, ut Hæreticorum Alcoranum eam jure appellare possis. Libros hos ex Œcolampadii, Melancthonis,

nis, & aliorum Sectariorum scriptis magna ex parte consarcinavit: sed novâ methodo, & purioris latinitatis elegantiâ sic adornatos, ut incauto lectori laqueum injicere possent.

VII. Quamdiù tamen Calvinus Engolismæ commoratus est, Catholicum se simulavit, sacris etiam, sed quàm rarissimè potuit, interfuit; quin etiam ad recitandas latinas preces à Collegio electus, id munus semel atque iterum in æde S. Petri obivit. Quòd si in colloquiis & disputationibus cum familiaribus suis aliquid diceret, quod contra fidem sapere videretur, indagandæ veritatis studio id se dicere asserebat. At Tilius Calvini animum probè noscens, imò in ejus opiniones propendens, ut eas cum Lutheranis aliisque novæ doctrinæ professoribus conferre posset, Genevam primùm, deindè in Germaniam Calvinum secum adduxit. Id ægerrimè ferens Tilii frater Curiæ Parisiensis Protonotarius, fratrem sequutus, brevì in Galliam ipsum reduxit, relicto in Germania Calvino, qui postmodum Rufo, de quo supra, in familiam se dedit, in cujus comitatu plerosque Catholicæ fidei Adversariorum antesignanos visitavit, & allocutus est. Memorabile est illud, quòd cùm Bucerus ad Erasmum adduxisset Calvinum, eumque de aliquot subtilioribus Religionis capitibus disserentem Erasmus audivisset, ad Bucerum conversus dixit: *Video in hoc juvene magnam pestem oriri, Ecclesiæ plurimùm nocituram*. Simile de Berengario primo Sacramentariorum auctore à Fulberto Carnotensi Episcopo prædictum narratur. Cùm enim decumbentis in lecto cubiculum Berengarius ingressus esset, Sanctus vir à circumstantibus quæsivit: Quis esset ille homo, cui Diabolum auribus nescio quid insufflantem videret? Tilius interea ad patriam & sanam mentem reversus Calvini doctrinam ejuravit; ægrè tulit Calvinus, se hoc trophæo defraudatum, omnemque artem, ut eum ad se revocaret adhibuit; sed frustra. Nam Tilius constans in fide Catholica, novæ Religioni retundendæ imposterum totus incubuit.

VIII. Calvinus in Galliam reversus Pictavium petiit. Ibi cum aliquibus viris doctis sensim familiaritatem contraxit, & inter alios cum Petro Fonqueto Monasterii Mousteriensis Priore, qui & hospitium ipsi præbuit, necnon Carolo Lesago Scholæ Pictaviensis Rectore, in eodem quo Calvinus oppido nato. Initio cum his sermonem habens hanc artem adhibebat, ut frequentem quidem faceret de rebus Religionis mentionem, sed obscuram admodùm, & magis ad tentandum, quàm ad docendum. Tandem verò secreta suæ Religionis nonnullis aperuit, & quid de Lutheri, Melancthonis, & Zuinglii opinionibus ipse sentiret, & præcipuè circa Eucharistiam, quasi mediam viam ipse inire vellet. In horto congressus

isti

isti persæpè habebantur, atque inter eos de Religione disputare solemne erat, & ea quæ Lutherus, Zuinglius, & Novatores cæteri de Missæ Sacrificio, Eucharistia, Papa, & aliis Catholicam fidem tangentibus scripserant, revolvere, interim Calvino virus suum adstantibus insinuante. In horto primi nostri parentes à Diabolo sunt decepti: in horto etiam pauci illi, quos supra dixi, ab eodem per Calvinum tanquam alterum serpentem seducti sunt. Ibi Cœnæ Calvinisticæ forma primò celebrari cœpit, ibi Sectæ hujus exordia nata sunt.

IX. Non displiceat audire ex Floremundo Lib. 7. c. 10. *Synopsis* comparationem inter indolem Calvini, & Lutheri, qui diversis & contrariis tam moribus, quàm doctrinis toti Mundo imposuerunt. Si vivendi rationem spectes, Lutherus cibo & potui indulgentissimus erat, ubi Calvinus ab adolescentia abstinentissimus, sivè ut valetudini consuleret, sivè ut studiis liberiùs vacaret. Lutherus quæcumque æstus ac bilis suggereret, liberè evomebat; & quasi animum in fronte gestans, nihil celabat. At Calvinus summus dissimulandi artifex, sub tristi vultu affectus à cogitationibus & verbis planè dissentientes mentiebatur. Lutherus genio indulgens per summam hilaritatem cum amicis & aliis tempus transigebat. Calvinus è contra raram in moribus affectabat gravitatem; nam pauca & cum paucis, ac nonnisi de seriis & arduis rebus loquebatur, nec sensus suos facilè expromebat.

Si ingenium compares; Lutherus in concionando facundus auditorum animos facilè pertrahebat: Calvinus autem minùs in dicendo gratus, quotiescumque è suggestu ad populum sermonem faceret, nihil erat, quod auditoris animum allicere, aut detinere posset, multa è contra quæ fastidium & nauseam afferrent, utpotè qui nulla actionis elegantiâ instructus esset. Porrò in scribendo Calvinus Lutherum excelluit; & quia à puero latinis literis elegantioribus multò majus studium posuerat, & quia plura eaque acutiùs, utpotè in syllogizandi arte peritior, ingenio potior, ac studio magis deditus, scripta reliquit.

Quoad Religionem, unusquisque genio suo accommodatam instituit. Lutherus genio crassus Religionem crassam & pinguem, ut ita dicam, commentus est. Calvinus verò genio teter & constrictus subtiliorem & strictiorem excogitavit. Ita Spondanus ad annum 1534. num. 12. *Calvinus*, inquit, *Religionem subtiliorem, Lutherus crassiorem & pinguiorem commentus est*. Lutherus Ecclesiam agitare, ac ejus dogmata novo modo proponere ac immutare aggressus fuit. Calvinus præcipua fidei mysteria funditùs contendit evertere: ideòque Calvinus quantò ingenio subtilior, tantò

Ec-

Ecclesiæ factus fuit perniciosior: ut qui ejus principiis imbuti obstinatiores sint, & difficiliùs, ut praxis ostendit, ad Catholicam fidem reducantur. Hinc inter ipsos duo pseudo-Apostolos non rarò ortum dissidium, & mutua æmulatio. Calvinus Epist. 57. ad Bullingerum ait: *Agnoscere se quidem Lutherum ut insignem Dei servum: sed sicut multis polleret virtutibus, ita magnis vitiis laborare*: Et Epist. 63. ad Melancthonem vocans Lutherum novum Periclem dicit, eum *nimiâ intemperie ad fulminandum raptum, præsertim cùm ejus causa nihilo melior esset suâ*. Quare (opportunè subjicit Spondanus ad annum 1544. num.17.) *Hinc videas, quæ fuerit Reformatorum hujusmodi concordia, & quem quique Primatum sibi asserere ambierint*. Hoc certè demonstrat, neutrum illorum à Spiritu Dei, qui unitatis, pacis, & humilium corde spiritus est, fuisse missum; sed utrumque spiritu Satanæ, spiritu dissensionis & superbiæ, velut lupos ad dispergendum oves Christi, ab inferis fuisse immissos.

§. II.

Calvini hæresis disseminatio & eventus.

I. CAlvinus, qui ex dictis Serpentem Diabolum imitatus, virus suum in horto paucis insinuarat, videns, apud illos sibi rem prosperè evenisse, de eo toti Galliæ, imò si fieri posset, toti Orbi, propinando cogitare cœpit. Tribus itaque è secretiori hoc conventiculo persuasit, ut hanc novam doctrinam suam per Galliam, apud eos præsertim, qui aliquem Lutheranismi gustum haberent, disseminarent, & sic miserè deceptis Papistis (ita vocabant, & hodie etiam vocant eos, qui antiquam, & per manus Apostolorum eorumque Successorum traditam fidem sequuntur) oculos aperirent. Consilio ergo habito decretum fuit, ut Vernovius Pictavii & in vicino agro animas, ut ajebant, lucrifaceret; verè tamen perderet. Alii duo, ut securitati suæ consulerent, nova sibi nomina sumserunt. Unus dici voluit *Ramasseur*, seu Ramasserus, idest dispersi gregis Recollector: & ad Santones & Engolismenses missus fuit. Alter *le Bon homme*, idest Bonus vir, dici voluit: & hic Burdegalæ, per reliquam Aquitaniam, & Tholosanas partes passim aberrans, in conventiculis tam preces, quàm Cœnæ manducationem ad novam illam formam, quam Calvinus tradiderat, celebrabat. Quia verò hic prius in Pictaviensi Academia Institutiones Juris in Cathedra *Ministraria* appellata legerat, indè ortum aliqui putant, ut qui apud Lutheranos *Prædicantes*, apud Calvinistas *Ministri* appellentur.

II. Ve-

II. Verùm jam invalescente novæ Sectæ famâ sibi metuens Calvinus, ne deprehenderetur, Neracum Urbem Aquitaniæ ad Jacobum Fabrum Stapulensem, & Gerardum Rufum se recepit, ut unà cum eis sub Margaritæ Navarræ Reginæ præsidio tutus esset. Uterque horum ex Doctorum Sacræ Facultatis Parisiensis Ordine ob nova dogmata resectus fuerat: Meldensem Diœcesim uterque infecerat cum Guillelmo Farello & Arnoldo Rufo, à Meldensi Episcopo Guillelmo Brisonneto literarum amore & linguarum studio imprudenter evocatus. Uterque demùm, præfatæ Margaritæ Francisci Regis Christianissimi sororis favore, quæ novæ doctrinæ patrocinabatur, Neracum se receperat. Catholicam Religionem Faber & Rufus exteriùs profitebantur, sed novam falsamque animo imbiberant. Faber Neraci obiit anno 1537. Rufus, Abbas Cleriacensis, & Episcopus Oloronensis favore Reginæ factus, lupus in ovili Domini, non modò sub ovis, sed sub Pastoris veste latens, plurimis ruinæ ac perversionis auctor fuit. Obiit anno 1549.

III. Franciscus I. Galliarum Rex Catholicæ fidei zelo accensus in Sacramentarios acriter tunc sæviebat. Joannem Clericum arte lanarium, quòd Papam *Antichristum* appellasset, flagris cædi, & in fronte notari jusserat: & cùm postea ausus fuisset Sacras Imagines in quodam Oratorio Metensi nocturno tempore sacrilegè conterere & lacerare, convictum igne cremari imperavit: quod Theodorus Beza in Clerici encomium vertit, vocans eum *Primum Instauratorem Ecclesiæ Metensis, eumdemque & Meldensis*. E' contra verò ob pœnam in Clericum, & honorem Sacris Imaginibus restitutum, & ob Edictum contra sacrilegos Novatores in Synodo Parisiensi editum, à Romano Pontifice, & omnibus Catholicis Christianissimus Rex summis laudibus celebratus fuit. Qui subindè cùm audivisset, se Parisiis absente infames libellos contra Sacram Eucharistiam sparsos, & Regio Palatio affixos; illicò Parisios reversus solemnem Processionem indixit, quam, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum Parisiensi Episcopo deferente, ipse unà cum Regiis Filiis, ac Principibus summâ devotione prosecutus fuit: Protestatus insuper, se *suum quoquè brachium excisurum, si eâ peste infectum sciret, atque idipsum in proprios liberos præstiturum*. Eâdemque die tres præfati delicti reos flammis addixit; terribili sanè supplicio: nam *ad machinam alligati, & in sublime elati, deindè in subjectum ignem demittebantur, iterumque sursùm sublati, & demissi, tandem carnifice restim præcidente, in flammam præcipites ruebant*. Ita Spondanus ad ann. 1535. num. 4.

IV. Hæc cùm ad Calvini aures pervenissent, justo metu perculsus, ne sibi quid tale eveniret, relictâ Galliâ Basileam fugit. Ibi

Ibi præcipuos habuit amicos Simonem Grinæum, & Wolfangum Capitonem, se seque Hebraicis literis dedit. Ibi quoquè quatuor Libros Institutionum Christianæ Religionis (ut vocat) edidit anno 1535. ætatis 26. Opus, primùm Gallicè, deindè in latinum idioma versum, ab eo pro animi levitate, & dogmatum incertitudine, pluries confectum, defectum, & refectum. Illud Opus (quod audacem ejus temeritatem demonstrat) ferociori Hæreticorum hosti Francisco I. Regi Christianissimo dicare ausus fuit, præmissâ ad ipsum eleganti Præfatione, & hoc, ut si non Regem ipsum, saltem Galliæ populos Regis inscriptione pertraheret, quod nimiùm evenit. Quale autem futurum esset illud Opus, emblemate in fronte Libri apposito, significavit, gladio scilicet flammeo cum hoc symbolo: *Non veni pacem mittere, sed gladium*. Quod planè affatim impletum est contrario verbis Christi sensu, & horrendâ totius Galliæ, aliarumque regionum, ubi pestilens ejus doctrina grassata est, calamitate.

V. Mox in Italiam profectus ad Renatam Ludovici XII. Francorum Regis filiam, Herculis Ducis Ferrariensis uxorem, ipsam Novatoribus jam impensè faventem, Sectæ suæ penitùs addixit. Sed metu Inquisitionis citò ex Italia egressus, & Galliam repetens, ac rebus cum Antonio Calvino fratre compositis, Genevam pervenit. Civitas hæc paulò ante tum à Sabaudiæ Ducis obedientia, tum à Religione Catholica ad Sacramentariorum hæresim, operâ Guillelmi Farelli & Petri Vireti, defecerat. In hujus defectionis triumphum (veriùs dedecus) erectum fuit supra Portam Prætorii perenne hoc blasphemum monumentum: *Quum anno Domini 1535. profligatâ Romani Antichristi tyrannide, abrogatisque ejus superstitionibus, Sacrosancta Christi Religio hìc in suam puritatem, Ecclesia in meliorem ordinem singulari Dei beneficio reposita, & simul pulsis fugatisque hostibus, urbs ipsa in suam libertatem non sinè insigni miraculo, restituta fuerit, Senatus Populusque Genevensis monumentum hoc, perpetuæ memoriæ causâ, fieri atque hoc loco erigi curavit, quo suam erga Deum gratitudinem ad posteros testatam faceret*. His infelix ille populus suam ab illo tempore usque ad præsens celebrat perditionem.

VI. Huc igitur opportunè adveniens Calvinus, à Farello & universo populo tanquam verus Legislator extensis brachiis susceptus fuit, & curante Farello, non Concionator tantùm, sed Theologiæ Professor à Magistratu designatus anno 1536. Tunc quamdam doctrinæ Formulam Genevensium ingenio accommodatam edidit, necnon Catechismum, non illum in quæstiones & responsiones distributum, qui inter ejus Opera legitur, sed alium breviorem.

rem. Aggressus deindè cum Farello & Coraldo novam Ecclesiam (veriùs Synagogam) componere, obtinuit, ut palàm præeunte publico Scribâ, à Senatu populoque Genevensi in Capita novæ Religionis ac disciplinæ à se præscripta juraretur. Tunc fortè contigit impium illud facinus, quod narrat Bolsecus in Vita Calvini de Amico Perrino, qui ut sacrilegio adderet improperium, à furenti populo sacrum lapidem ab Ecclesiæ Cathedralis Majori Altari extractum, extra portam Civitatis asportari, eumque in locum reorum supplicio destinatum projici fecit. Sed brevì meritas luit pœnas; nam super eumdem lapidem, excitante Calvino, sub specie quòd in Gallos Genevæ profugos proditionem machinatus fuisset, re verâ tamen, ut æmulum tolleret, Perrinus ipse capite plexus fuit.

VII. Non diù inter Satanæ ministros perstitit pax. Farellus, Calvinus, Viretus accusantur à Petro Caroli, quòd de Sanctissima Trinitate malè sentirent. Habitâ de hoc Bernæ Synodo, Petrum Caroli calumniæ damnatum Beza scribit, Calvini scilicet factione, non veritate & justitiâ prævalente. Cæterùm Petrus Caroli agnitâ novarum opinionum falsitate, ad Ecclesiam Catholicam quam deseruerat (ex Doctore Sorbonico factus Minister Genevensis) reversus est, Romamque profectus, ut apostasiæ veniam impetraret, illic apud Robertum Cardinalem Lenoncurium benignè exceptus, piè & laudatè obiit, ut ex testimonio Philippi Lenoncurii ejusdem Cardinalis nepotis, postea etiam purpurâ ornati, probat Genebrardus in Chronico Lib. 4. Quo Bezæ „ Mendacium refelli- „ tur scribentis; illum Romæ cum ludibrio exceptum, premente „ inopiâ, & Gallicâ scabie, vix in Xenodochium receptum sti- „ pendium tandem peccati, mortem videlicet, à filio peccati re- „ tulisse „. Ita Beza.

VIII. Eâdem tempestate inter Bernenses & Genevenses alterum dissidium emersit ex Rituum ab illis usurpatorum discrepantia. Nam Genevenses pane communi utebantur in Cœna sua, & Baptisteria, diesque Festos, unico excepto die Dominico, sustulerant. Quibus de rebus cùm Synodus Lausannæ à Bernensibus congregata azymum panem, aliaque Genevæ restitui postularet, Genevenses autem Ministri se prius audiendos contenderent, eamque ob causam altera Synodus Tiguri esset indicta; Farellus, Viretus, & Calvinus, qui Cœnam aliter quàm in fermentato, vel ipsâ Paschatis die celebrare recusaverant, Genevensium Syndicorum Edicto urbe pulsi sunt. Sic Calvinus, qui triennio ante nimirùm anno 1535. tanquam novus, & à Deo missus Legislator, à Genevensibus cum honore susceptus fuit, anno 1538. ab eisdem cum dedecore fuit ejectus.

IX. Mutato Calvinus domicilio, non tamen animo, Basileam se contulit, ac mox Argentoratum transmigravit. Illic Buceri & Capitonis favore, Theologiæ Professor, constituto stipendio, designatus est. Cùmque Calvinismum & Zuinglianismum simul conciliare mirâ arte studeret, tanta discipulorum frequentia ad eum audiendum undique accurrebat, ut ex Senatus consensu, novum Gymnasium, & novum Templum pro profugis ex Gallia & Belgio hæreticis fuerit erectum, quorum curam ipse suscepit. Interea anno 1539. Jacobus Cardinalis Sadoletus Carpentorensis Episcopus, vir eloquentiâ, doctrinâ, & pietate insignis, literas luculentissimas dedit ad Senatum, Consilium, & populum Genevensium, in quibus nihil eorum prætermisit, quæ eos ad Ecclesiæ gremium revocare possent. His Argentinæ manens (ad eum fortè transmissis) Calvinus respondit Kalendis Septembris. Ibi eodem anno manum iterùm apposuit ad suos Institutionum Libros, eos multò auctiores reddens. Commentarios edidit in Epistolam ad Romanos Simoni Grynæo dicatos. Sequenti anno Libellum *de Cœna Domini* Gallicè composuit, à Galasio latinè redditum. Inter hæc studia, hortante Bucero (quasi ex Reformatoribus nemo inuxoratus esse deberet) quamdam *Idelletam* nomine, Joannis Storder Leodiensis Anabaptistæ viduam, ad Sectam suam traductam, uxorem duxit, ut ei solatio esset; ex qua tamen nullos unquam suscepit liberos.

X. Interea nihil Calvino magìs cordi erat, quàm Genevam, unde exulabat, postliminio reverti. Quod anno 1541. postquam Synodo Ratisponensi interfuit, consecutus, summo populi totius plausu exceptus fuit. Ibi, Senatu probante, omnem Sectæ suæ disciplinam constituit, additâ lege, *quòd à doctrina Calvini ampliùs discedere, nec Ministris, nec Civibus liceret*. Eodem anno Catechismum Gallicè & Latinè scripsit à priore minimè discrepante, sed in quæstiones, & responsiones distributum; quem postea tanti fecerunt Calvinistæ, ut non modò in alias vernaculas Sectariorum linguas Germanicam, Belgicam, Anglicam, Scoticam, translatus sit, sed & in Hebraicam ab Emmanuele Tremelio: & in Græcam ab Henrico Stephano. Huic addidit Precum Ecclesiasticarum & administrandorum Sacramentorum Formulam.

XI. Hâc aurâ inflatus, quasi alter Lucifer se in Monte Testamenti sessurum confidens, omnes qui cum eo non sentiebant impudenter aspernabatur. Quare cùm anno 1542. die 10. Martii Facultas Parisiensis Articulos 25. super capitibus fidei nostræ tunc controversis providè edidisset, quibus innotesceret omnibus, quidnam circa illa catholicè credendum esset, Calvinus contra illa scripsit *Antidotum* stylo adeò temerario ac petulanti conceptum,

ut inter alia Facultatem illam celeberrimam *Gregem porcorum* appellet. Anno 1543. sex Libros Alberti Pighii pro liberi arbitrii defensione scriptos confutare aggressus est Libro, cui præfixit titulum: *Defensio sana & orthodoxa Doctrinæ de servitute & liberatione humani Arbitrii*; quem Librum Philippo Melancthoni dicavit. Anno 1544. Neocomensibus scripsit *De modo exercendæ disciplinæ in Fratres*. Eodem anno cùm Sebastianus Castellio, indignatus, quòd novam Gallicam Novi Testamenti ejus Versionem non probasset, quòd exotica quædam doceret: Cantica etiam Salomonis, tamquam impuram & obscenam cantionem, ex Canone expungi vellet, ac repugnantes Ministros convitiis proscinderet; illum Senatus consulto calumniæ damnari, & urbe expelli Calvinus obtinuit.

XII. Imò nec Summo Pontifici Paulo III. pepercit. Cùm enim gravissimis literis Carolum V. Imperatorem redarguisset, quòd anno superiore æqualem Lutheranorum & Catholicorum conditionem fecisset, non expectato Universalis vel Nationalis Concilii de Religione judicio, Calvinus maledicentissima scholia in literas Pontificis edidit, eum non *Farnesium*, sed *Frenesium* appellans. Ac insuper Libellum adhortatorium *de Necessitate reformandæ Ecclesiæ* scripsit ad Carolum V., Principes, aliosque Ordines Spiræ congregatos, quo se suosque justis ac necessariis causis ad mutationem Religionis, quam *Emendationem* vocat, fuisse compulsos, conatur ostendere. Eodem anno ad Ministros Comitatus Neocomensis direxit *Instructionem adversùs errores communis Sectæ Anabaptistarum*, & aliam *adversùs fanaticam & furiosam Sectam Libertinorum, qui se Spirituales vocant*. Hoc displicuisse Reginæ Navarræ Beza commemorat, quòd tanquam illius Sectæ Antesignanos *Quintinum* & *Poquettum* Calvinus nominasset, à quibus eò usque fuerat decepta, ut licèt eorum errores non teneret, pro bonis viris illos haberet, ideòque se quodammodo in illis confossam arbitraretur.

XIII. Anno 1548. confirmato à Francisco I. Galliarum Rege Decreto edito ab Aquensi Parlamento contra infelices reliquias veterum Waldensium, tunc Zuinglianis, & Calvinianis fraternitate junctas, ut earum pagi solo æquarentur, & incolæ omnes trucidarentur, ob eorum in hæresi armis etiam propugnanda pertinaciam: cùm hoc decretum severâ in omnes, nulli ætati ac sexui parcendo, executione impleretur, plurimi ex miseris illis Genevam jam factam omnium Sectarum asylum, profugerunt, quos Calvinus amantissimè suscepit ac fovit. Cùm autem plerique in Galliis novæ Religionis Sectatores pœnarum metu Religionem

 simu-

simularent, & fas esse contenderent Ecclesiæ Catholicæ Romanæ sacris corpore interesse, animo verò aliam fidem tenere, Calvinus adversùs illos, quos *Nicodemitas* vocat, Exhortationem, & Librum edidit, animans illos & dicens „ Bono animo estote, Fratres: „ Alacriter ad ignem pergite: nullum supplicium aut dolorem „ formidate. Hæc via regia ad Cœlum est. Ecce Christum ex- „ pansis brachiis vos expectantem, & ad æterna gaudia vobis præ- „ parata introducere gestientem „. Is Calvini zelus in alios. Dum interim ipse cuti suæ metuens loco sibi cavit, Genevæ mœnibus se includens, neque unquam indè egressus, ne vitæ periculum adiret, quod alios fortiter contemnere jubebat. De quo facetè Ronsardus Poeta Gallus sic ludit:

Càlvinus annis obsitus dudum, quid est
Quòd se Genevæ continet, nec Franciam
Adit, ut honorem martyris quærat sibi?
Illos Tragœdos nempè homo ignavissimus
Imitatur, alios qui subornant scenicas
Partes peracturos, popello fabula
Ut si minùs probetur, ipsi non tamen
Exsibilentur, aut fiant ludibrio.

XIV. Non defuere tamen ex Sectariis, qui à Calvino & aliis decepti, nedum supplicia pro sua Secta pertulerunt, sed ultrò se ignibus objecerunt, quorum cineres tanquam Martyrum Calvinus in scriptis magnificè jactat. Id quoquè faciebant Donatistæ, & postea Anabaptistæ. At hi martyres erant Diaboli, non Christi. Similis erat pœna, sed dissimilis causa; quia non pro Christo ejusque fide, sed contra Christum ejusque fidem, non pietate moti, sed furore & desperatione adducti pœnam subierunt: *Martyrem* autem teste S. Augustino, *non facit pœna, sed causa*. Nec mirum. Nam si lectio Libri Platonis de Immortalitate Animæ tantum potuit, ut Philosophus quidam de rupe in mare se præcipitaverit, & Cato sibi ipse mortem consciverit: quid mirùm, etiam hodie aliquos reperiri, qui opinionis errore decepti, & à Diabolo excæcati, nulla supplicia aut tormenta reformident, malè facientes, cùm benè facere sibi persuadeant? Monet S. Bernardus, ne mirum hoc nobis videatur, quum Diabolus magnam habeat potestatem, ut quos sæpè inducit, ut suspendant se, præcipitent, aut propriis manibus occidant: eodem modo homines tentet quo Salvatorem, cui persuadere voluit, ut de pinnaculo Templi se dejiceret.

XV. Sed ad reliqua Calvini gesta redeamus. Quibusdam parvi momenti prætermissis, anno 1549. Calvinus cum Farello Tigurim profectus, Zuinglianos in causa de Cœna Domini cum Calvini-

viniſtis in concordiam traxit, ſcriptaque eſt omnium Helvetiorum & Rhetiorum Miniſtrorum approbatione conſenſio, cujus capita exhibet Calvinus Tomo 8. & Hoſpinianus Hiſt. Sacramentariæ p. 2. atque ita Bullingerus cum Calvino, Tigurinique cum Genevenſibus arctiſſimo vinculo colligati ſunt.

Anno 1550. excitante Calvino, qui res ad Religionem ſpectantes ut ſupremus arbiter moderabatur, à Genevenſi Senatu decretum prodiit, quo jubebatur, ut Miniſtri non ſolùm in Concionibus, ſed etiam certo anni tempore ſigillatim per domos & familias cujuſque regionis urbis Decurione præſente plebem inſtituerent, & ab unoquoque fidei ſuæ rationem expoſcerent. Decretum inſuper eſt, ut celebratio Natalis Domini in proximum diem referretur, nec ulli alii feſti dies eſſent præter Dominicum. Id factum plurimos offendit, Calvinum in magnam vocavit invidiam, eique occaſionem dedit ſcribendi Libellum *De Scandalis*. Decretum tamen hoc ab omnibus Evangelicis modernis ſuſcipitur, apud quos præter diem Dominicum omnes alii feſti dies ſuppreſſi ſunt.

XVI. Annis 1551. & 1552. inter Hieronymum Bolſerum Ordinis Carmelitarum apoſtatam tunc Genevæ medicum agentem, & Calvinum cæteroſque Miniſtros Genevenſes de Prædeſtinatione graviſſima exorta eſt contentio. Iſti ineluctabile decretum, & quod abſolutam neceſſitatem inferret, prædicabant: Bolſecus liberum arbitrium, & operum præviſionem propugnabat. (Hanc contentionem Caſtellio anno 1554. contra Calvinum renovavit) Bolſecus tanquam ſeditioſus à Magiſtratu in cuſtodiam traditur. Cauſa multis diſputationibus agitatur. Senatus Helvetiorum etiam Miniſtrorum requiſitâ ſententiâ, Bolſecum ut ſeditioſum & Pelagianum, inſtigante Calvino, publicè damnatum, urbe expulit, fuſtuariam pœnam minatus, ſi vel in urbe, vel in urbis territorio deprehenſus eſſet. Eâ occaſione Calvinus Librum ſcripſit *De æterna Dei Prædeſtinatione*. Hoc tamen exilium Gratia Dei Bolſeco vertit in ſortem. Nam priſtinum apoſtaſiæ errorem deteſtatus ad Eccleſiam rediit, & vitam Calvini, aliaque contra Calvinianam Sectam utilia ſcripſit. Bolſeco Genevâ pulſo, Calvinus, qui ſuperbiâ elatus omnes ſuis erroribus obſequentes volebat, in Joachimum Weſtphalum injuriis inſanire cœpit. Is Hamburgi Miniſter Sectâ Lutheranus contra Calviniſtas & Sacramentarios invehi dictis & ſcriptis non ceſſabat. Calvinus tamen ſupremum Hierarcham agens in eum tulit Libellum velut Monitorium his verbis conceptum: *Vltima admonitio Jo. Calvini ad Joachimum Weſtphalum, cui niſi obtemperet, eo loco poſtea habendus erit, quo pertinaces hæreticos habendos, jubet Paulus*. Jure ergo hic exclamat Spondanus ad annum 1552. num. 18.

num.18. *Quid arrogantius? Si quid tale Romanus Pontifex in aliquem ex istis segregibus protulisset, Antichristus esset: Calvinus cùm in unum ex Symmistis, Angelus censebitur?*

§. III.

Serveti damnatio & alia usque ad Calvini exitum.

I. IN Michaelis Serveti damnatione reliqua pseudo-Evangelica gesta aliquo zeli pro vera fide titulo Calvinus coronare voluit. Michael Servetus gente Hispanus, patriâ Tarraconensis addiscendæ medicinæ studio Parisios se contulit. Indè in Africam navigans, animo tum Arabicæ linguæ tum Alcorani notitiam accipiendi, hæreticalibus onustus mercibus in Europam rediit. Anabaptista primùm fuit, Pædobaptismum velut humanum figmentum suggillans, Magistratum omnem rejiciens, & alia illius Sectæ deliria amplectens: De Eucharistia cum Sacramentariis, eam esse merum symbolum Corporis & Sanguinis Domini, sentiebat. Mox Librum edens *De Trinitatis erroribus*, in Sanctissimam Trinitatem tot blasphemias, quot verba evomuit, ut Arium, Sabellium, aliosque veteres Hæreticos superarit, & factus sit caput Anti-Trinitariorum, de quibus infra sermo erit. Cùm ergo Servetus instar vespertilionis huc illucque volitans, modò ex Hispania in Galliam, modò ex Gallia in Africam, modò ex Africa in Germaniam, Genevam pervenisset, atroces illius in Trinitatem blasphemias Calvinus, cæteroquin novorum de Religione dogmatum amator, ferre non valens, ad Magistratum Servetum detulit, cujus sententiâ in errore pertinax vivus combustus fuit die 27. Octobris anni 1553.

II. Eodem anno Bertelerius quidam, cui Genevense Concistorium Cœnâ Domini interdixerat, in Senatum veniens, postulavit ex auctoritate Senatus absolvi. Obstitit Calvinus; vicit tamen multitudo, adeò ut in Diacosiorum Consilio statueretur, ultimum excommunicationis judicium ad Senatus cognitionem pertinere, ut quos vellet absolveret. In quam sententiam à Senatu absolutorias Literas sigillo Reipublicæ communitas Bertolerius obtinuit. At Calvinus vehementissimis concionibus habitis cum Collegis & Senioribus, à Senatu & à Diacosiis postulavit, ut apud populum ipsum audirentur, cùm de Lege à populo lata ageretur. Quamobrem in eam sententiam itum est, ut suspenso interim illo Diacosiorum decreto, statueretur, petendum esse à quatuor Civitatibus Helvetiorum Judicium, nec interea præjudicium ullum receptis Le-

Legibus fieri oportere. Helvetii Calvinianam disciplinam comprobarunt. Et sic Calvinus victor evasit.

III. Vix Serveti cineres calere desierant, cùm occasione severi supplicii in ipsum ob hæresim exerciti, facto inter Calvinistas Genevæ velut schismate, agitari cœptum est, an hæretici causâ hæresis pœnâ mortis essent puniendi. Quam quæstionem accenderunt illius temporis eventus, quibus in Gallia, Belgio, aliisque Regnis & urbibus, ingens Hæreticorum numerus ob causam Religionis igni tradebatur. Quidam ergo asserebant, hæreticos coercendos quidem, sed ultimo supplicio non afficiendos. Alii unius esse Dei judicio relinquendos. Hujus autem sententiæ auctores fuere Sebastianus Castellio, & Lælius Socinus *Suam ipsorum causam agentes* (inquit Beza.) Alii verò contra suam causam agentes, hæreticos jure gladii coercendos esse dicebant, quibus ipse Calvinus præibat.

Quamobrem anno 1554. ineunte, Comministris omnibus subscribentibus, Michaelis Serveti errores refutavit, atque hæreticos à Magistratu, legitimâ cognitione præcedente, jure gladii coercendos esse demonstravit. In suæ assertionis testimonium, nedum Sacræ Scripturæ auctoritatem, sed & Traditionem (quam in aliis co ntemnebat) & continuam omnium seculorum in Ecclesia consuetudinem afferebat. Insuper ipsorum hæreticorum Lutheri, Melanchthonis, Urbani Regii, Lutheranorum Saxonum in Confessione, quam Tridentino Concilio obtulerunt, Brentii, Buceri, Capitonis, Bullingeri, Musculi, & Genevensis (ut vocat) Ecclesiæ testimoniis, Adversarios frangere conatus fuit. Quin & ipsa Lutheri verba addidit. Is enim in Serm. Dominicæ 5. post Oct. Epiph. Parabolam de Zizaniis exponens: *Custodit*, inquit, *Magistratus non solùm secundam, verùm omnium maximè primam Tabulam, Idololatrias, blasphemias, execrationes, perjuria ulciscitur. Oblatos hæreticos, ut in verum Numen contumeliosos atque alios eas blasphemias docentes coercet. Perfractiores, atque in errore pertexendo contumaciores, ut cum certissimo plurium exitio, pro maleficiis puniendos suscipit.* Ita Lutherus: sibi tamen de more contradicens oppositum asseruerat. Nam in Propositione 33. à Leone X. damnatâ docuerat: *Occidere hæreticos est contra voluntatem spiritus.*

IV. Adversùs Calvini Libellum desperatè surrexit ficto Martini Bellii nomine Castellio, farragine quâdam rationum, quibus Hæreticorum causam agere contendit. Huic Theodorus Beza sigillatim respondit, ut Calvinum in Commentariis super Genesim edendis occupatum ab ea cura liberaret. Videat ergo Lector, Hæreticos suâ se sententiâ condemnare, ut si interdum adversùs eos feralibus pœnis, etiam fœderatis armis à Principibus processum fue-

fuerit, conqueri justè non possint. Ecclesia tamen Catholica pia mater, omnes qui ab ea secesserunt, ut in sinum suum revertantur invitat, & Patris Evangelici exemplo desertores filios gementes ac dicentes *Peccavi in Cœlum & coram te* extensis brachiis suscipit: ac solos eos, qui eam contumaces audire nolunt, ac in aliorum perniciem moliri non desistunt, ut Ethnicos & Publicanos habet, ac judicio brachii secularis puniendos relinquit.

V. Porrò tantus Calvini zelus, quo pro Hæreticis etiam capitali supplicio puniendis fervebat, suæ Sectæ homines, qui licèt coràm Ecclesia, non tamen sibi ut hæretici habebantur, non comprehendebat. Unde cùm audisset, Anglicanos Episcopos, Thomam Cramerum Cantuariensem, Joannem Hopperum Glocestrensem, Robertum Ferrorum S. Davidis in Wallia, Nicolaum Ridlæum Londinensem, & Hugonem Latimerum Wigorniensem ob hæresim fuisse crematos; item quinque Sectæ suæ homines Cameraci pari supplicio fuisse damnatos, id molestissimè tulit. Imò cùm Nicolaus Durandus dictus Willagagno, re cum Gaspare Colignio Castellonio supremo in Gallia maris Præfecto communicatâ, navigationem in Americam suscepisset, impetratâ classem instruendi à Rege Christianissimo facultate, specie quidem Gallici nominis & commercii illuc promovendi, re verâ tamen ut Calvinianâ Sectâ, cui uterque addictus erat, novum Orbem inficeret; ad hoc Calvinus præbuit illis Ministros duos, Petrum Richerium Ordinis Carmelitarum desertorem, & Guillelmum Carterium, quibus plures viri feminæque se adjunxerunt. Cùm in Americam appulsi formam Genevensis Religionis constituissent, orta est inter Ministros dissensio, tum circa materiam Eucharistiæ, uno ex illis in azymo, altero in fermentato pane esse conficiendam contendente, tum circa istorum Christi Verborum intelligentiam: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*: asserente Richerio, Verbum carnem factum nec adorari, nec invocari debere: nec Eucharistiam utilitatem ullam sumentibus afferre, quocumque tandem modo recipiatur in ea Christi Corpus. Quas blasphemias audiens Willagagno, Calvinianam superstitionem palàm ejuravit & Catholicam fidem cum suis professus est anno 1558., quam postea egregiis scriptis defendit. Sic itaque Divinâ providentiâ factum est, ut opere infecto Ministri in Galliam reversi sint, & ingens illud Americanæ expeditionis ad Calvinianam Sectam propagandam consilium, penitùs dissipatum sit, imò Willagagni ad fidem Catholicam reditu in bonum Ecclesiæ conversum.

VI. Anno 1557. Calviniani, Parisiis intercepto illorum Cœtu in

in Vico Sanjacobæo in Bertomeenſibus ædibus è regione Collegii Pleſſæi, quò ad Cœnam ſuam noctu celebrandam convenerant, centum circiter & viginti capti ſunt, Martinio rerum capitalium Quæſitori traditi. Inter illos aliquot primariæ nobilitatis mulieres, etiam è Reginæ comitatu cernebantur. Eos Martinius vix à plebis impetu ſalvos primâ luce in carcerem duxit. Multorum criminum infamiam, occaſione cœtuum hujuſmodi nocturnorum, in novæ doctrinæ Sectatores rumor publicus derivavit. Licèt autem Libello Apologetico tam horrenda flagitia ſibi per calumniam imponi conquererentur, Antonius tamen Demochares Theologus Pariſienſis, & Fidei Inquiſitor, & Robertus Abrincenſis Epiſcopus Apologeticum confutarunt. Habitâ interim de vinctis quæſtione, & causâ ad Senatum relatâ, nonnulli flammis traditi ſunt. Dumque alii recuſarent Judices,& de cauſis recuſationis ageretur, Germanorum Principum & Helvetiorum intervenerunt Literæ, quibus ad mitiorem cum eis agendi rationem Rex Chriſtianiſſimus inflexus eſt. Porrò primus Calvinianæ Sectæ Pariſiis Miniſter fuit Joannes Maſſo Andegavenſis, qui referente Bezâ in ſuis Iconibus anno 1555. inſtitutus fuit, cùm annum ætatis trigeſimum ſecundum dumtaxat ageret.

VII. Anno 1558. Calvinus contra Valentinum Gentilem, Paulum Alciatum, & Georgium Blandratam Tritheitas egit. Cœtu de hac re coacto decretum eſt, ut formulæ fidei à Calvino & Symmiſtis editæ Itali omnes ſubſcriberent; quod peregerunt, ſex dumtaxat exceptis: qui tamen & ipſi poſtea ſeorſim vocati, manu quidem, at corde non item, ſubſcripſere, ut comprobavit eventus. Nam rediens ad ingenium Gentilis, eamdemque blaſphemiam ſpargens capitur: captus auditur; tandem veluti victus reſipiſcentiam ſimulat, palinodiam canit. Sed de hoc Gentili & Sociis cum Antitrinitariis infra ſermo erit. Calvinianâ peſte per Galliam in dies ſerpente, anno 1559. in Senatu Pariſienſi, poſtulante Ægidio Bordino Regio Cognitore, ut ex Regio Edicto judicia in Hæreticos exercerentur, Quæſtio de illis habita eſt, in qua aliquot Senatores Calvinianæ factioni addictos ſe prodiderunt, cenſentes ſupplicia in novarum opinionum Sectatores eſſe remittenda, donec Univerſale Concilium cogeretur, in quo de cunctis Religionis Chriſtianæ controverſiis ferretur ſententia. Nihilominus jubente Rege capti & in cuſtodiam traditi ſunt. Cauſæ ipſorum cognitione ſelectis Judicibus à Rege commiſsâ, inter quos Euſtachio Bellajo Pariſienſi Epiſcopo, & Antonio Demochare Fidei Quæſitori, Annas Burgius, à Sacris Ordinibus Subdiaconatus & Diaconatus, quibus initiatus erat, priùs ab Antiſtite degradatus, capitali ſupplicio damna-

damnatus est. Hunc inter Sectæ suæ (Diaboli scilicet non Christi) Martyres Beza prædicat.

VIII. Calviniana hæresis in Gallia palàm furere cœpit anno 1560., Ambosianâ conjuratione adversùs Guisios Principes, & Franciscum II. Regem Christianissimum à Calvinistis instructâ, Duce Ludovico Principe Condæo Antonii Regis Navarræ fratre. Hujus conjurationis Calvinum conscium fuisse multis persuasum fuit: & quamvis Beza oppositum testetur, perspectam tamen sibi fuisse conjurationem antequam erumperet, ipse Calvinus Epistolâ ad Bullingerum declarat, & ad eam ne longiùs progrederetur suam auctoritatem interposuisse dicit. Sed cùm de ipsa Regem non præmonuerit, ut debebat, à suspicione immunis esse non potest. Eo tempore Calvinistæ in Gallia *Hugonoti* appellari cœpti sunt; unde autem, inferiùs dicam.

IX. Anno 1561. Poyssiacense colloquium habitum est, cui Calvinus ob continuos penè gravesque morbos interesse non potuit, sed eò Theodorum Bezam delegavit. Post hæc Hæreticis copia Parisiis facta est publicè diebus Festis concionandi. Beza & Malotius in Antoniano & Sanmarcelliano suburbiis conciones habuerunt, comitante ex Reginæ mandato Excubitorum Præfecto cum suis Apparitoribus. Dum concionaretur Malotius juxta Ecclesiam S. Medardi eo tempore quo Campanæ ad Vesperas de more pulsabantur, missi sunt ex Hæreticorum cœtu, qui sonitum prohiberent, hique cum ludibrio remissi. Dimissâ concione Calviniani seditione factâ in Sacram Ædem furentes irruerunt, Sanctissimam Eucharistiam conculcarunt, Altaria everterunt, Imagines Sanctorum disjecerunt, Presbyteros saucios & cruentatos, tanquam seditionis auctores, per mediam urbem in publicum carcerem traxerunt. De hoc tam sacrilego facinore triumphans Beza epistolam blasphemiis plenam ad Calvinum dedit: *Plus* (inquit) *in mediis etiam armis valuit Regii Præfecti auctoritas, quàm ira. Sed qui hostibus armatis pepercerant, Idolis & Panaceo illi Deo parcere non potuerunt, frustra reclamantibus, quibus ista non placebant .... Captivi hostes triginta sex, ita ut erant ferè omnes vulnerati, & in iis decem ad minimum Sacrifici, funibus vincti, spectantibus, & ne mutientibus quidem adversariis, non aliter transvecti sunt, & in Minoris Castelli carceribus traditi, quàm olim nostri illi fratres in D. Jacobi Vico deprehensi*. Ita mentem & calamum, Diabolo dirigente, sacrilegia contra Sanctos, & Deum ipsum celebrat Beza, & Calvino magistro suo celebranda proponit. Hi sunt Ecclesiæ Christi prætensi Reformatores.

X. Adfuit tandem dies, quâ post diù verbo & scriptis lacera-

tam

tam Ecclesiam, ad supremum tribunal Christi Judicis redditurus rationem Calvinus vocaretur. Fuit hæc vigesima sexta Maii anni 1564., cùm annos 54. menses decem, dies septemdecim vitæ egisset. Ipsum *placidissimè obiisse* scribit Beza: Alii tamen magis veridici, & quorum aliqui ejus morti interfuerunt, referente Bolseco in ejus vita, testati sunt: *Dæmones invocantem, dejerantem, exe-crantem, vitæ suæ diras imprecantem, ac suis studiis scriptis maledicentem; denique ex suis ulceribus intolerabilem fœtorem emittentem, in locum suum descendisse*. Sepultus fuit Genevæ in communi cœmeterio nullo apposito cippo, ut ipse mandaverat. Vir fuit summam in habitu corporis affectans gravitatem, superbiâ & fastu incredibili, morosus, iræ ac vindictæ impotens, in tractu asper, & rabidus: adeò ut Bucerus, etsi amicus, familiari epistolâ eum vocarit *Canem rabidum*, & Scriptorem maledicendi studio abreptum, judicare de hominibus prout amaret, vel odisse prout liberet: Et Genevenses ipsi, eo adhuc vivente, vulgò dicerent, *Malle se apud Inferos cum Beza esse, quàm apud Superos cum Calvino*. Illius etiam memoria apud nationales Gallos detestabilis fuit: unde Papirius Massonius Jurisconsultus Parisiensis (in Vita Pii IV.) ait: *Pudere se fateri, hoc monstrum in Gallia natum, multumque debere Galliam anno 1564., quo portentum illud extinctum est*. Candentis ferri stigmate inustum olim Calvinum Novioduni ob nefarium crimen, rogante Episcopo, ut pœna mortis cum infami illa nota commutaretur, scripsit Bolsecus in ejus Vita, & damnationis illius instrumentum adhuc in illa Urbe asservari, ubi à Genevensis Reipublicæ Secretario Berthelorio illuc misso, ut in rei veritatem inquireret, visum sit. Hoc crimine fuisse quoquè notatum dum Engolismæ degeret, supra dixi *§.1.* num. *6*.

§. IV.

De Theodoro Beza, Maroto, & Hugonotis.

I. CAlvino mortuo in Caliphatu Genevensi Theodorus Beza ab eo designatus successit, verè alter Calvinus, tum in fœditate morum, tum in impietate doctrinæ, ideòque verè dignus, ut ei in honore succederet. Natus fuit, teste Remundo Lib. 8. c. 17. apud Vezelios anno 1519. ipso die S. Joannis, unde discipuli ejus alterum Joannem eum fuisse dicunt. Nativitatem suam, & quomodo mirabiliter à Deo ex parentum Papisticorum manibus liberatus fuerit, ipse in epistola quadam ad Wolmarum scripta exponit, inter alia optans ut parentes sui verâ Dei cognitione potius

illustrati, quàm nobiles fuissent. Verè crudelis parricida, qui animam eorum, à quibus vitam accepit, dum eos Orco traditos cupit, animo saltem occidit!

II. Quomodo à parentibus liberatus, & quàm parum à præsentissimo vitæ periculo abfuerit, narrat ipse in præcitata Epistola: *Se nimirùm insciis parentibus à patruo Lutetiam abductum, ut literis operam daret. Dum puer cum pueris luderet* (ludo pudendo & infami) *scabiem capitis, seu porriginem contraxisse. Cujus curandæ cùm in tanta Civitate nullus medicus satis peritus esset, tantis doloribus fuisse vexatum, ut ad memoriam eorum etiam nunc cohorrescat. Abductum ergo à Patruo in Chirurgi cujusdam ædes, unà cum alio cognato sibi puero eodem morbo laborante, in summa miseria vixisse. Indè dum uterque ad patruum in Universitate habitantem per pontem molendinarium commearet, comitante famulo, sed, ut solet id genus, omnia alia potiùs, quàm pueros observante, cognatum suum militari ac feroci ingenio puerum consuluisse, ut cùm alia ratione tantis doloribus liberari non possent unà se in subjectum flumen præcipitarent. Ad consilium hoc se, naturâ aliquantò timidiorem, initio cohorruisse, tandem verò instantis importunitate & doloribus victum, consensisse se, quàm primùm alter desiisset, statim sequuturum. Dum in eo jam essent, & à Diabolo constricti tenerentur, Deum sui misertum esse, illo ipso momento patruo præter omnem opinionem interveniente: à quo domum reducti, deindè in patrui ædibus curati. Sicque miraculosè è Satanæ faucibus fuerint liberati.* Hæc de se Beza: qui tamen aliis viis à Satana absorptus, ab ejus faucibus nunquam evasit, ut videbimus.

III. Post hæc Lutetiâ Aurelianum profectus ad Jurisprudentiæ studia animum applicuit: indè à malo suo genio aliò abductus. Non multò post enim Prioratum non procul à Lutetia nactus genio indulgere cœpit. In eo statu nil aliud quàm cutem curabat, feminarum in primis consortio delectatus. Erat enim homo bonâ totius corporis formâ, palmâ ludendi peritus, ad aulicos mores compositus, in sermone elegans ac facundus, par quibuscumque negotiis, quem & concionantem non semel se audivisse, & Ludovici Borbonii Princips Condæi lateri adequitantem, ferroque accinctum vidisse, Florimundus Remundus citato loco testatur.

IV. Quæ autem causa ad hæresim ipsum impulerit, hæc fuit. Poesim, in qua peritus erat, summoperè affectabat, & multa Poemata & Epigrammata in sui ostentationem ingenii evulgabat. Porrò cùm inter ista quoddam Epigramma legeretur, quo summum desiderium suum & amorem erga Audebertum quemdam Aurelianensem testabatur, Curia Parisiensis, cui Beza de nefario cri-

crimine jam suspectus erat, impudicum aliquid latere rata, juvenem hunc Poetam citari jubet. Sic enim Bolsecus in Vita ejus: *Vocatus*, inquit, *in Judicium de pæderastia, & præpostera libidine apud Senatum Parisiensem*. Beza sui criminis conscius è patria, & toto Burgundiæ Ducatu clam se subduxit, Genevam, tunc omnium flagitiosorum confugium, petens, ubi se totum Calvino dedit. Et ut flagitium flagitio cumularet, secum abduxit Claudiam (quam suis versibus sub *Candidæ* nomine celebrat) Sutoris cujusdam Parisiensis adhuc viventis uxorem, quam deindè ut conjugem habuit.

V. Beza priusquam Genevam aufugeret, Prioratum quem obtinuerat pro mille circiter ac ducentis scutis vendidit (in hoc etiam secutus Calvinum); qui dictum Prioratum administrabant, turpiter deceptis: de qua fraude querelæ postea factæ sunt, unde Beza ad Colloquium Poyssiacense accedens, partem saltem aliquam restituit, & in Launæi tunc sui Collegæ postea ad Catholicam fidem reversi, manus tradidit. Hoc autem elogio Bezam ornat Launæus: *Postquam Beza omnibus flagitiis se polluit, suamque ipse infamiam versibus suis divulgavit, etiam vicini uxorem corrupit, venditisque Ecclesiasticis, quæ habebat, beneficiis, non tam persecutionis quàm pœnæ metu, unà cum illa aufugit. Antequam verò discederet villicos suos decepit, beneficiorum redditibus priùs quàm deberentur perceptis. Quæ res nobis in Possiacensi Colloquio multum negotii exhibuit; si quidem vidua quædam cum liberis suis eò venerat, à Beza æs alienum per fraudem contractum repetens. Cujus rei expediendæ negotium mihi datum fuit. Vidua illa mihi tum dixit, se ac maritum plus quàm mille & ducentis libris Gallicis esse defraudatos*. Hæc Launæus. Propter hæc Beza sub hoc nomine ampliùs apparere erubescens, sub *Theobaldi de Majo* nomine Genevam ingressus est.

VI. Genevam appulsum Bezam Calvinus non humaniter modò, sed & cupidè excepit, jam tum hunc sibi in laboribus socium, ac deindè in Pontificatu successorem fore præsagiens. Itaque suâ operâ & auctoritate effecit, ut Græcæ linguæ in Lausannensi Academia professio ipsi demandaretur, ac postea Theologiæ, quam feminis quibusdam certis diebus explicabat. Dignum scilicet patellâ operculum. Ac licèt Ministri nonnulli, Copus, Raymundus, & Enoch apostatæ omnes, compertis, tam vero ejus nomine, quàm flagitiis ab eo patratis, videntes insuper eum tum moribus tum vestibus lascivientem, in Ministerio locum ei dandum esse negarent, Calvinus tamen perfecit, ut ad ministerii functionem admitteretur; quem deinceps in omni sermone *Patrem suum* Beza appellabat, & velut Numen venerari cœpit, ut *Calviniolatra* postea di-

dictus fuerit. Heshusius Lutheranus Bezam ita descr ibit: *Non adolescentiam modò per illicitos amores, adulteria, aliaque flagitia turpiter exegisse, sed ipsa scriptis quoquè & versiculis divulgasse, atque gloriam indè quæsiisse. Incredibilem esse monstri hujus impudentiam, cujus turpis atque impia vita per Cynica illa, impura, & detestanda Epigrammata toti Galliæ innotuerit. Eumdem tamen si loquentem quis audiat, Sanctum aliquem Eremitam, aut alterum Jobum, immo ipso Paulo Apostolo majorem videri. Sic illum exilium suum, labores, vitæ integritatem & sanctitatem laudare.* Ita teste Heshusio, Beza pharisaicâ hypocrisi vitia sua tegere studebat.

VII. Cæterùm impius, imò magis quàm Calvinus, fuit Beza. Tum in Deum: ubi enim Calvinus saltem figuraliter Christi Corpus in Eucharistia esse admittebat, ipse in Poyssiacensi colloquio, cui nomine Calvini adfuit,,, Tanto nequam spiritus impetu abre-
,, ptus est, ut etiam suæ professionis hominibus parùm acceptus
,, fuerit: Catholicis autem ita exosus; tum præcipuè cùm ausus
,, est execrabiles in Sanctissimam Eucharistiam ore impurissimo
,, blasphemias effutire, dicens: *Tantum ab ea distare Corpus Christi,*
,, *quantum supremum Cælum ab infima terra*, non sinè adstantium
,, fremitu auditus est,,. Quamvis autem se retractare ibi coactus fuit, perstitisse tamen sæpiùs indicavit, præcipuè Epist. 76., ubi scribit: *Corpus Christi tanto intervallo abesse à nobis, idest ab eo loco, in quo versamur, quanto abest Cælum à terra, cùm illud quidem sit in Cælo, nos verò in terra.* Quare meritò unus è suis dixit, mirùm non esse, si Beza non crederet Corpus Christi esse in Eucharistia: *Qui vix in Cælo crederet ullum esse Deum* (apud Spondanum anno 1561. num. 19.)

VIII. Quòd si pro sua hæresi talia dixit contra Deum, multò plura dixit contra homines; Bezæ auctori tribuitur Calvinistarum in Ecclesiam S. Medardi Parisiis irruptio, & omnium Sacrorum, præcipuè Eucharistiæ, contaminatio, de qua epistolâ ad Calvinum datâ gloriatum fuisse §. præced. nu n. 9. supra dixi. Qualis autem ejus esset animus in promovenda hæresi, expressit ipse epist. dedic. N. Testam. ad Reginam Angliæ, ubi de prælio inter Hugonotos & Catholicos commisso: *In prælio Druidensi*, inquit, *plantatam à se esse fidem in Gallia gladiis & armis*; in hoc fidum Calvini se ostendens discipulum, qui, ex supradictis, protestatus fuerat, *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Quare cùm Beza, ad Colloquium Wormatiense à Calvino missus, ut ibi Hugonotis Galliæ militum auxilium imploraret, à Melancthone interrogaretur: *Cur seditiosi Galli Regem suum tempore periculoso, & Regnum satis aliunde perturbatum vexarent?* Respondit Beza, *nihil ipsos agere, quod non egissent*

sent Apostoli. Melancthone autem reponente: ***Cur ergo non paterentur potiùs quod Apostoli patiebantur?*** nesciens quid respondere Beza, obmutuit, & vultu elato indignatus abscessit.

IX. Reliquam Bezæ vitam silentio prætereo, ut & id quod in Viretis perpetravit; necnon quomodo post Claudiæ, seu Candidæ suæ mortem cum vidua quadam Itali juvencula jam septuagenarius secundas nuptias contraxerit. Unum tantùm indicabo, ut quæ ejus studia & mores ad sepulcrum usque fuerint, intelligatur. Ita ex Florimundo Remundo citato Lib.8. cap.17. num.6.

„ Nobilis quidam Aquitanus anno 1600. Româ revertens unà
„ cum Marocani Regis medico, ac per Genevam iter faciens,
„ Bezam invisit. Erat is tunicâ crasso filo contextâ, & ad suras
„ usque demissâ indutus, cingulo coreaceo, cui grandis præfixa
„ erat fibula, cinctus: barbam gestabat oblongam, canam, &
„ malè plexam, promissam Cæsariem cincinnis in humeros us-
„ que propendentibus, petasum latum ac pinguem. Manu tene-
„ bat schedulas quasdam multâ liturâ inductas, quibus paulò an-
„ te Phaleucios aliquot versus inscripserat, amatorios, an alios,
„ incertum sibi nobilis ille ajebat. Beza illos ipsos versiculos
„ ostendens: *Sic*, inquit, *tempus fallo*. Tum nobilis apud se, ***Hem!***
„ ***Itane sanctus hic vir, jam pedem alterum in Charontis habens cym-***
„ ***ba, senectutem suam transigit? Siccine meditationibus Theologus***
„ ***occupatur?*** Constat certè jam ætate decrepitum hunc Patriar-
„ cham à nugis istis abstinere non potuisse „. Hactenus Remundus. Qui addit, famam fuisse, de reditu ad Ecclesiam non semel eum cogitasse. At difficile est, ipso Luthero teste, ut Sectæ alicujus princeps ac caput opinionem mutet.

X. Annis 41. Genevensem Ecclesiam post Calvinum rexisse, seu veriùs jam corruptam, suis doctrinis ac moribus penitùs perdidisse fertur: ex quo fit ut usque ad annum 1605. vitam protraxerit & annum agens ætatis octuagesimum quintum vitam temporalem cum morte æterna, ut meruerat, commutarit. In vita & moribus Lutheri, Calvini & Bezæ exponendis immorari operæ pretium duxi, ut ex his quoquè colligat Lector, quanti eorum doctrina facienda sit; & indè certò inferat, homines tot flagitiis sordidatos, non ad Ecclesiam reformandam à Deo fuisse missos, sed ad eam deformandam operâ Diaboli ab inferis erupisse.

XI. Theodoro Bezæ Clementem Marotum similiter Poetam adjungere placuit. Is è Cadurcorum Metropoli oriundus, admirabili poeticæ venæ felicitate, & singulari poeticarum inventionum artificio, etiam Gallico idiomate sui, qui poetas omnes facilè superabat. Proindè Francisco I. Galliarum Regi æquè promovendi lite-

literas amantissimo, ac fidei Catholicæ defensori, acceptus, & à Regiis Cubiculis fuit. Homo tamen ridiculus, ac penè scurra, ratus poetis ac pictoribus omnia licere, res pias ac sanctas versiculis suis profanare cœpit: quo cum hæreseos suspectum se fecisset, ac ne manus sibi injicerentur metueret, ad Margaritam Navarræ Reginam profugit. Animadvertens verò, ne hic quidem satìs se tutum esse, Ferrariam in Italiam profectus est, à Ducissa humaniter exceptus, ut & alii, quos ignis metus è Gallia expulerat. Ejus intercessione impetratâ à Rege veniâ Lutetiam rediit.

XII. Aderat ibi Franciscus Vatablus Hebraicæ linguæ Professor, qui Maroti familiaritate admissâ, eum hortatus fuit, ut relictis profanis ac ridiculis argumentis, poesim suam sacris potiùs rebus impenderet, ac Davidis Psalterium vertendum susciperet. At non advertit Vatablus cæteroquin Catholicæ Religionis studiosissimus, inconsultis Ecclesiæ Præsulibus, & maximè Romano Pontifice, quem ut Christi Vicarium Spiritus S. unctio specialiter regit, Sacra aggredi, aut eis manum apponere non oportere. Ita autem evenit. Nam cùm Marotus Psalmos usque ad triginta vertisset, sivè Vatablo tantam, ut par erat, diligentiam non adhibente, sivè Maroto nimiam licentiam, quæ poetis esse solet, permittente, opus profanis vocibus adeò interpolatum, truncatum, auctum & mutatum apparuit, ut in eo nihil sacrum appareret, sed potiùs comicum. Undè cùm publicè editum publico in loco *Prato Clericorum* dicto cantari cœpisset, non sinè magno populi tumultu, Facultas Parisiensis hoc modo hæresi fenestram aperiri animadvertens, Regem adiit rogans, ne *Sacram Scripturam ab illiterato planè homine profanari, ejusque versionem sinè Ecclesiæ approbatione & permissu edi pateretur*. Annuit pius Rex, & ne quid ampliùs in hoc genere à Maroto scriptum publicaretur, Edicto vetuit.

XIII. Marotus interim, quòd linguæ moderari non posset, sibi carcerem metuens Genevam profugit, ubi ad triginta Psalmos jam Gallicè versos alios viginti addidit. Quamvis autem sacro hoc studio versaretur, mores tamen non mutavit; nam fertur hospitam suam corrupisse, & flagris cæsum fuisse. Quare in Pedemontium concessit, cùmque illa regio à Gallis tunc teneretur, sub Regiorum Præfectorum patrocinio tutus ibi aliquamdiù vixit, Augustæ Taurinorum anno ætatis 60. mortuus. Eidem mortuo Beza Gallico carmine parentavit: & aliorum centum Psalmorum qui supererant versionem elaboravit multò instructiorem doctrinâ & aliis rebus, licèt non eâdem felicitate, & elegantiâ, quâ Marotus: & sic totam Psalmorum Gallicam versionem absolvit.

XIV. Quia Calvinistæ, qui Galliam non modico tempore turba-

barunt, *Hugonoti* appellati fuere, non abs re fore existimo inquirere, unde hoc nomen acceperint. Spondanus & ipse Gallus in Annal. ad ann. 1560. num. 10. incertam esse hujus nominis originem sequentibus tradit: *Observant*, inquit, *Auctores, hoc primum tempore Calvinianos in Gallia cœpisse dici* Hugonotos: *nec tamen de vocis origine, quæ multiplex affertur, adeò consentiunt. Conveniunt plerique deductam à porta urbis Turonis, quæ Regis Hugonis appellatur, ad quam Calviniani sua conventicula celebrare consueverant. Quidam expressiùs, quòd cum singulæ Galliæ urbes peculiaria nomina habeant, quibus mormones, lemures, manducos, & cætera hujusmodi monstra inania anilibus fabulis ad incutiendum infantibus ac simplicibus feminis terrorem vulgò indigitant; Turonis Hugo Rex celebretur, qui noctu pomeria Civitatis obequitare, & obvios homines pulsare, ac rapere dicitur: ab eoque* Hugonotti *appellati fuerint, qui ad ea loca ad conciones audiendas ac preces faciendas itidem noctu agminatim conveniebant. At convenientissimè id quidem, si mores eorum, studia, conatus, seditiosa turbulentaque consilia spectes: si sævitias & crudelitates in Deum, Ecclesiam, Regem, Patriam, Divinas humanasque leges, omnes bonos, quibus ingentem ubique & terrorem & horrorem strepitumque Acherontis primùm, deindè perniciem & subversionem attulerunt; adeò ut præcipua eorum fides esse videatur omnia sursùm deorsum agere, ima summis permiscere; præcipuus scopus, clade, cæde, ferro, sanguine, igne, patriæ suæ cineribus saginari. Hugonotorum non adeò ineptam olim retulimus rationem sumtam à voce fœderis Helvetici, quâ se ipsos* Eydgenossen *vocitant, malè à Gallis pronuntiata, seu denique, ut alibi eam interpretatam reperimus, ad rem item convenientissimè, quasi* Hens-guenans, *quod apud eosdem Helvetios significat gentes, & homines seditiosos*. Ita Spondanus de origine hujus vocis *Hugonoti* suspicatur potiùs quàm asserit. Convenit ex parte Alexandre in Hist. Sec. 15. & 16. cap. 2. art. 12. §. 1. dicens: *Calviniani in Galliis* Hugonoti *appellari cœpti à voce Fœderis Helvetici, qua se invicem* Eydgenossen, *idest* Fœderatos *nuncupant, malè à Gallis pronuntiata. Hinc enim formata est vox Gallica* Huguenotos, *quasi* Eignots, *& Calvinianis attributa, quòd ad novam Religionem stabiliendam essent confœderati. Quamquam de ipsius vocis origine alii alia proferant, fabulis ut videtur, quàm historiæ propiora*.

XV. Undecumque autem nomen sumserint, certum est, Hugonotos Galliæ Regnum non solùm suis erroribus diu contaminasse, sed cædibus, rapinis, seditionibus agitasse. Eorum furor præcipuè in Ecclesias ferebatur; Sanctorum Imagines lacerantes, eorum cineres in ventum projicientes, & Sacrosanctam Eucharistiam

ab Altari raptam mille modis profanantes. Unum pro innumeris similibus flagitiis, referam, cui tamen pœna promerita non defuit. Anno 1563. *Sceleratissimus quidam hæreticus* (Hugonotus Gallus) *spiritu Satanico motus, in Ecclesia S. Genovefæ è manu Sacerdotis Missam celebrantis Sanctissimam Eucharistiam rapuit. Qui confestim captus condemnatusque manu sceleratâ ante Ecclesiam truncatus est, & in platea Mauberti suspensus, & igne crematus: adstante Monmorantio Provinciæ Præside manu armatâ, ne quid tumultus à fremente populo adversùs Hugonotos excitaretur. Ad pleniorem verò tam horrendi facinoris expiationem, die vigesimâ septimâ ejusdem mensis facta est solemnis supplicatio à Sancta Capella ad prædictam Ecclesiam S. Genovefæ, cui Rex cum Matre & Fratribus, cæterisque Principibus ac Proceribus, Cancellario, Senatu, aliisque Magistratibus, gestantibus singulis faces candidas ardentes in honorem Sanctissimæ Eucharistiæ, interfuit.* Ita Annales Gallici ad præfatum annum.

XVI. Ad extirpandam hanc è suo Regno pestem, Galliarum Reges sæpius adlaborarunt. Hoc tamen opus feliciter complevit Ludovicus XIV. qui missis primùm viris Apostolicis, videns eorum perfidiam prædicatione vinci non posse, Legibus pœnalibus eos adeò coercuit, ut brevi temporis spatio multi ad fidem Catholicam sint reversi, contumaces bonis privati è Regno ejecti. Sic Hugonottis in Gallia, quod olim in Africa Donatistis, accidit: de quibus S. Augustinus Epist. 48. modò 93. cap. 5. *Docuit eos*, inquit, *solicitudo, quos negligentes securitas* fecit: & addit: *Mea quidem primitùs sententia erat, neminem ad unitatem Christi esse cogendum: verbo esse agendum: disputatione pugnandum: ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea, non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis.* Indè causam allegans subdit: *Ut Legum istarum vinculis, Hæretici tamquam phrænetici ligarentur, & tamquam de somno lethargico emergerent, & in salutem evigilarent timore Legum Imperialium.*

XVII. Regis Ludovici pro Catholica fide zeli sonitus, cùm ad Innocentium XI. Romanum Pontificem pervenisset, ejus animum adeò commovit, ut datis ad Regem literis sub die 13. Novembris anni 1685. meritis laudibus ipsi gratulatus sit, ita scribens: *Cùm præ cæteris illustribus documentis, quæ ingenitam Majestati tuæ pietatem abundè declarant, maximè excellat eximius ille, Regeque Christianissimo dignus planè zelus, quo strenuè incensus, fallentes istius Regni hæreticas Constitutiones penitùs abrogasti, fideique Orthodoxæ propagationi sapientissimis editis Decretis, egregiè consuluisti, officii esse nostri duximus, splendido ac mansuro hoc literarum nostrarum testimo-*

ſtimonio inclytam animi tui Religionem effusè commendare, cùmque rebus hucuſque à te præclarè geſtis, inſigni hujuſmodi facto immortalium cumulum laudum adjeciſti, impensè tibi gratulari. Recenſebit profectò ſuis in Faſtis Catholica Eccleſia tam grande tuæ erga ipſam devotionis opus, nomenque tuum non interituris præconiis proſequetur. Uberem verò inprimis à Divina bonitate præſtantiſſimi conſilii retributionem polliceri tibi meritò poteris, perſuaſumque habere, non omiſſuros nos enixa ad eandem bonitatem in hunc ſcopum vota continenter effundere. Hæc Innocentius. Qui etiam in Conciſtorio coram Cardinalibus in laudes Regis Chriſtianiſſimi Ludovici prolixâ Oratione ſe ſe effudit.

§. V.

Calvini errores de Deo, Chriſto, Homine, & Juſtificatione.

PLurimas in ſuis ſcriptis hæreticas blaſphemias, partim ex veteribus, partim ex ſibi proximioribus Heterodoxis hauſtas, Calvinus evomuit: præcipuas hoc & ſequentibus ʃʃ. recenſebo.

I. Primò ergo de vocibus *Conſubſtantialis*, *Hypoſtaſis*, *Trinitatis* non ſatis Catholicè ſentit. Nam Lib. 1. Inſtit. cap. 13. ʃ. 5. de hujuſmodi nominibus ſcribens: *Utinam*, inquit, *ſepulta eſſent, conſtaret modò hæc inter omnes fides, Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum eſſe unum Deum.* Indè negat Filium ſemper à Patre generari, dicens *ſtultè fingitur continuus actus generandi.* Sed in primo inſanit. Nam dum fatetur Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unum eſſe Deum, vel vult eſſe unum in ſubſtantia & natura per identitatem in ea, & non ſolùm per ſimilitudinem, & ad hoc nomen *Conſubſtantialis* Patres excogitarunt: vel hoc non admittit, & ſic cum Arianis, vel Semiarianis convenit. Similiter cùm dicit Patrem Filium & Spiritum Sanctum eſſe unum; vel intendit eſſe unum nedum in ſubſtantia, ſed & in Perſona, & ſic cum Sabellio errat, vel vult tres eſſe in Perſonis diſtinctos, & ſic oportet ut Trinitatem hypoſtaſeon, quæ nil aliud ſignificant quàm Perſonas, fateatur. Quod verò ſtultè ipſe negat, Filium à Patre continuò generari: ſi intendit, quòd ſicut in humanis, ita & in Divinis generatio Filii ceſſaverit, & ita quòd generatio Verbi non ſit æterna, nec Verbum ſit ampliùs apud Deum Patrem contra dictum Joan. 1. nec Filius ſit in Patre: ita mendacem faciet Chriſtum qui Joan. 14. v. 12. dixit: *Non creditis quia ego in Patre & Pater in me eſt? Verba quæ ego loquor vobis à me ipſo non loquor. Pater autem in me manens,*

vens, ipse facit opera. Quomodo autem Pater est, & semper operatur in Filio, nisi quia semper illi per generationem dat esse, cùm esse & operari in eo idem omninò sit? Non ergo Petrus Caroli calumniosè (ut supra dixi) sed justè accusavit Calvinum, quòd de Trinitate malè sentiret. Imò iniquè Calvinus Servetum flammis addixit: cùm ipse eâdem fuligine tinctus esset.

II. Christum Mediatorem esse dicit etiam secundùm Divinam naturam, ita ut illa mediatricis officium & ante Incarnationem exercuerit. Ita scribit ad Polonos contra Stancarum: *Negat Christum posse Mediatorem dici secundùm Divinam naturam, quia Patre esset inferior. Sed excipimus primò Mediatoris nomen Christo quadrare, non solùm ex quo carnem induit, vel ex quo munus suscepit reconciliandi cum Deo humani generis, sed ab initio creationis jam verè fuisse Mediatorem; quia semper fuit Caput Ecclesiæ & Primatum tenuit etiam super Angelos, primogenitus fuit omnis creaturæ. Unde colligimus non modò post Adæ lapsum sæpissimè fungi Mediatoris officio, sed quatenus æternus Dei sermo est*. Modus iste loquendi Arianismum sapit. Si enim Christus secundùm Divinam naturam Mediator est: ergo non est unius ac ejusdem naturæ cum Patre: nam ut ait Paulus ad Galat. 3. v.20. *Mediator unius non est: Deus autem unus est*. Christus ut æternus Dei Sermo est semper primatum tenuit, & primogenitus fuit super omnem creaturam: at Mediator tunc solùm factus est, quando factus est homo: *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemtionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis*, ait idem Paulus 1. ad Tim. 2. v.5.

III. Lib.2. Instit.c.16. inauditam profert blasphemiam, nempè, Christum in suo ad Inferos descensu damnatorum pœnas passum fuisse: *In locum*, inquit, *sceleratorum sponsorem, vadem, adeòque instar rei submissum, qui dependeret, ac persolveret omnes, quæ ab illis expetendæ erant, pœnas: uno hoc dumtaxat excepto, quòd doloribus mortis non poterat detineri. Ergo si ad Inferos descendisse dicitur, nihil mirum est, cùm eam mortem pertulerit, quæ sceleratis ab irato Deo infligitur*. Præscius autem, hanc blasphemiam fore cum horrore excipiendam, subdit: *Hìc nebulones quidam, licèt indocti, malitiâ tamen magis, quàm inscitiâ impulsi, clamitant, me atrocem facere injuriam Christo*. Idem dicit in Harmonia Evangelica ad cap.27. Matthæi. At meritò omnes Christifideles contra ipsum, verè nebulonem, clamare debent. Nam primò, si S.Thomam 3.p. q.52.art.2. sequimur, in Infernum sceleratorum Christus non descendit secundùm præsentiam animæ, sed solùm secundùm potentiam & effectum, eos de sua incredulitate increpando, ac ruit Cal-

Calvini suppositum. Si vero admittamus, eum præsentialiter descendisse; descendit, non secundùm corpus, quod adhuc in sepulcro erat, sed secundùm animam: Anima autem Christi ab initio suæ conceptionis fuit beata, quomodo autem talis Anima potuit esse simul beata, & lumine gloriæ perfusa, & pœnas damnatorum adhuc per breve tempus pati? Christus fuit sponsor & vas pœnas generi humano debitas in se assumens, & ideò corpus mortale assumsit, cujus morte opus sponsionis *Consummatum est*. Mortem autem animæ quod est peccatum, non sumsit, & ideò pœnas animæ in Inferno debitas non debuit pati. Addo inutile fuisse Christum pro damnatis in Inferno pati, cùm redemtionis fructus jam incapaces essent, nisi diceretur, eos à pœnis liberatos fuisse; quod impium est. Sed de hoc aliqua dixi alibi.

IV. Licèt pluribus in locis peccatum Deo esse imputandum, & Deum esse peccati auctorem inficietur, id tamen ex ejus doctrina sequitur. Sed errorem suum his verborum involucris tegere curat; nempè: Illum solùm peccati vocat auctorem, qui proximè scelus committit: ut si quis suadente Diabolo scortatus vel furatus esset, non Diabolus, sed homo tantùm peccati auctor esset. Vult enim peccatum imputari ut auctori illi soli, qui illud ut minister exequitur; non illi qui illud mandat, & ad illud principaliter, & efficaciter movet. Hæc est doctrina Calvini L. 1. Inst. c. 17. §. 2. L. 2. c. 4. §. 5. & Lib. de Æterna Dei Prædicatione. Quæ doctrina quàm sit nedùm impia, sed à ratione dissona, nemo qui rationis particeps sit, non videt. Quis enim ministro purè exequenti peccatum homicidii unicè imputabit, & illud mandantem, efficaciter volentem, imò & manum apponentem absolvit? Numquid immunis erit David ab homicidio Uriæ, quia illud purè mandavit, & solus reus Joab qui illud executus fuit? Tale certè non fuit judicium Dei in David, per Nathan Prophetam ei intimatum Lib. 2. Reg. cap. 12.

Cùm ergo, juxta Calvinum, Deus mala non permittat, sed mandet, imò ad ea etiam ut mala sunt patranda efficaciter moveat, & necessitet; quomodo soli homini, non Deo imputanda erunt? Multò magis à malitia excusandus erit Satan, qui solâ suggestione primos parentes decepit, & successivè alios homines eos non necessitans decipit. Nec est quod Calvinus dicat, ex hominis malitiâ peccatum provenire. Nam cùm, ut dicam, homini nullam dissentiendi relinquat libertatem, dum malè agit, Deo sic mandanti obtemperat. Sed de hoc in præsens satis.

V. Hominis lapsum non tantùm à Deo præscitum, sed decretum ac prædestinatum esse asserit Lib. 3. Instit. cap. 23. *Nudo Dei*

ari-

arbitrio, citra proprium meritum, homines in æternam mortem prædestinari. Nec ad damnationem solùm, sed ad eam, quæ pro damnationis causa obtenditur, corruptionem, docet citato loco cap. 23. & 24.

VI. Hominem lapsum liberi arbitrii non esse respectu boni, & quamvis spontè, & absque coactione peccet, necessariò tamen peccare. Primum quidem hominem creatum fuisse liberum, sed peccato ipsius libertatem fuisse non modò vulneratam, sed confectam, & extinctam. Et qui liberum arbitrium *titulum sinè re esse dicunt*, *Christum habere auctorem*. Ita docet Lib. 2. Instit. cap. 2. & 5. & in Antidoto Conc. Tridentini ad Sessionis 6. Canonem 5. Impiè autem mentitur censens, huic suo errori patrocinari Christum; qui nos liberavit à servitute peccati, & restituit in libertatem gloriæ filiorum Dei.

VII. Deum voluntatem movere, non qualiter multis seculis traditum est, ut nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari. Voluntatem à Domino præparatam suas in agendo partes non habere: & perperam homini tribuit, quòd gratiæ prævenienti pedissequâ voluntate obsequatur; ita dicit Lib. 2. Inst. cap. 3. Huic refragatur Paulus 1. Cor. 15. v. 10. qui suorum laborum potiorem quidem partem gratiæ Dei tribuit, sed suas etiam partes cum illa habuisse demonstrat. Ubi enim, qualis antea ipse fuisset explicaverat: *Gratia autem Dei*, inquit, *sum id quod sum: & gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum*; quod alibi sæpè repetit.

VIII. Concupiscentiam originalem, etiam post Baptisma, peccatum esse tradit Lib. 3. Instit. c. 3. §. 10. Quod Gallicana Calvinistarum Confessio his verbis confirmat: *Affirmamus quoquè, hoc vitium etiam post Baptismum esse verè peccatum, quod ad culpam attinet; quamvis qui Filii Dei sunt minimè idcircò condemnentur, quoniam videlicet Deus pro gratuita sua bonitate & misericordia illud ipsis non imputet*. Fides verò Catholica semper fuit & est, Concupiscentiam in renatis non esse peccatum & culpam. Vocatur quidem à Paulo *Peccatum*, sed quia *peccato facta est*, *cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum, sicut vocatur lingua locutio quam lingua facit, & manus vocatur Scriptura, quam manus facit. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit, sicut vocatur frigus pigrum, non quòd à pigris fiat, sed quòd pigros faciat*. Ita Hosius in Eplic. noni & decimi Præcepti, & Conc. Trid. sess. 5. in *Decreto de Peccato originali*.

IX. De Justificatione dicit, esse meram acceptionem, quâ nos Deus in gratiam receptos pro justis habet, eamque in solâ peccatorum

torum condonatione, & Justitiæ Christi imputatione sitam esse, atque ita nonnisi in ipso, & extra nos, justi reputemur coràm Deo. Illum autem justificari, qui suorum operum justitiâ exclusus, *Christi justitiam per fidem apprehendit, quâ vestitus in Dei conspectu, non ut peccator, sed tanquam justus apparet*. L.3. Inst. c.11. §.2. Ex quibus infertur, hominem justificatum non esse in se ipso justum, sed adhuc peccatorem; & solùm ex Justitia Christi fide applicatâ peccatum ei non imputari, & ac si esset justus coram Deo apparere. Sed hæc justificatio non est illa, quam Paulus docet Ephesios cap. 4. quâ non solùm vetus homo exuitur, sed & novus homo indui debet, *qui secundùm Deum creatus est in sanctitate & justitia veritatis*: & qui cum vetere Adam peccato mortuus erat, cum novo Adam Christo resurgat ad vitam gratiæ necesse est; ubi enim abundavit delictum, superabundare debet & gratia, ut idem Paulus dicit ad Rom. c.5. Sed de hoc egi Tom.3. in 1.2. de Justif. dub.3.

X. Hominem dicit non justificari per Gratiam sanctificantem, sivè per bona opera etiam à fide profecta, sed per solam fidem. Hunc errorem, quem à Luthero hausit, fusè propugnat contra Theologos Scholasticos, quos Sophistas vocat, Lib. 3. Inst. cap. 11. §.15. 16. & 19. De hoc Articulo Confessio Gallicana Calvinistarum sic loquitur: *Credimus nos solâ fide fieri hujus justitiæ participes.... Hoc autem ideò fit, quòd promissiones vitæ nobis in Christo oblatæ tunc usui nostro applicantur, & nobis redduntur efficaces, cum eas amplectimur, nihil ambigentes nobis obventura, de quibus ore Dei certiores sumus*. Imò Calvinistæ Genevenses eò devenere, ut in Recentioribus eorum Bibliis versum 16. capitis 12. Epistolæ ad Galatas fœdè interpolaverint. Ubi enim Paulus dicit: *Ut justificemur ex fide Christi, non ex operibus Legis*, ipsi addiderunt, *seulement par la Foy de Jesus-Christ*; non advertentes, Paulum ibi statuere neminem justificari per opera Legis sed per fidem in Christum, quod & nos dicimus; non autem excludere opera à fide Christi profecta, qualis erat pœnitentia ad quam hortabatur Jo. Baptista; dolor de peccato caritati conjunctus ut in Magdalena de qua dixit Christus Lucæ 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multùm*; cap. 15. in Filio prodigo; cap. 18. in Publicano. Est quidem fides justificationis fundamentum, sinè qua impossibile est placere Deo, non tamen sola est justificationis complementum. Dicit quidem Paulus ad Ephes. 2. num. 8. *Gratiâ enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus ut ne quis glorietur*. Sed quis non videt, Paulum hìc solùm velle opera facta ex nobis quasi ex nobis, idest propriis naturæ viribus, nihil ad salutem conferre, ne quis glorietur quasi ipse per se ipsum au-

auctor esset suæ salutis, non verò excludere bona opera ex fide, Christi profecta quæ, sicut & ipsa fides, Dei dona sunt. Sed de hoc locutus sum dicto Tomo 3. in 1. 2. de Justificatione q.1. Dub.2.

XI. Docet, oportere eos, qui verè justificati sunt, certò apud se ipsos statuere, se esse justificatos. Et omnes fideles firmâ certitudine fidei credere debere, promissiones Divinas sibi applicari. Et maximæ improbitatis esse asserere: quòd nemo scire fidei certitudine potest, se gratiam Dei esse consecutum. Additque, Fidem justificantem hanc certitudinem & securitatem involvere: & neminem esse justificatum, nisi qui se justificatum crediderit. Demum hanc certitudinem ad perseverantiam, & prædestinationem extendit, ita ut certa prædestinationis suæ cognitio piis omnibus communis sit, non secus ac S. Paulo post specialem revelationem. Ita Lib.3. Inst. cap.2. §.16. &c. & in Antidoto Conc. Trid. Adversùs tamen hanc prætensam Calvini securitatem clamant ubique Scripturæ: Ecclesiastes cap.9. v.1. *Sunt justi*, inquit, *atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit*. Ecclesiasticus c.5. v. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu*. Paulus Rom. 11. v. 20. *Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time*. 1.Cor.c.4.v.4. *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est*. Cap.9.v.27. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*. Indè Philippenses c. 2. v.12. hortatur: *Cum metu & tremore vestram salutem operamini*. Cui ergo credendum erit? Scripturæ nos in timore continenti, an Calvino securitatem pollicenti? An ipsi & suis, sicut Paulo facta fuit de justificatione & salute specialis revelatio? Imò sicut Paulus, ut certus esset, speciali eguit revelatione, nemo hâc seclusâ de sua salute certus esse poterit.

XII. Addit, Fidem & Justitiam propriam esse Electorum, & semel verè acceptam nullâ ratione amitti posse: & qui ab ea excidere videntur, nunquam vere habuisse. Ita Lib. 3. Inst. c. 2. §.11. & 12. Quo posito cùm Calvinus à fide exciderit, eam numquam habuisse, à se ipso convincitur. In Antidoto autem ad Canon. 28. sess.6. Conc. Tridentini ait, Peccata omnia ex infidelitate manare, vel saltem ex fidei defectu: & ubicumque regnat fides, iram Dei peccatis omnibus expulsis non secus avertere, ac si quis subducto ligno ignem extingueret. Cùmque fidem, eamque vivam, in prædestinatis semper regnare Calvinus doceat, censet nulla peccata prædestinatis imputari. Ita Calvinus sibi ac suis veram fidem habentibus ac prædestinatis omnem licentiam & immunitatem peccandi concedit. Ei in hoc præcinit Lutherus, sed uterque insanit.

XIII. Nu-

XIII. Nugatoriam Fidei formatæ & informis distinctionem esse docet Lib.3. Inst. cap. 2. §. 8. Hic error ex præcedente nascitur. Si enim ei qui habet fidem nullum peccatum imputatur, fides informis locum non habet, cùm hæc in eo sit, qui fidem retinens in peccato est, quia non operatur ut credit. Fidei tamen informis testimonia nobis Scriptura exhibet. Primò, ipsius Christi verbis Matth. 7. v.31. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse intrabit in Regnum Cœlorum.* Qui autem dicit *Domine, Domine* fidem in ipsum habet, sed dum non facit voluntatem Dei, fidem habet informem. Secundò, S. Paulus 1. Cor.13. protestatur: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum*: Fides ergo sinè caritate informis est, & nihil valet. Apertè autem hunc errorem aggreditur in sua Epistola S. Jacobus cap. 2. ubi fidem sinè operibus esse fidem mortuam pluribus demonstrat, quem Lector percurrere poterit. Interim concludam. Si fides etiam in eo qui malè agit semper est formata & viva; ergo homo dummodò fidem retineat, etiamsi adulter, fornicator, avarus, & omnibus implicatus, nihil ei imputabitur, & Regnum Dei possidebit; quod licèt Calvinus non neget, negat tamen Christus loco nuper allato; & Paulus 1. Cor. 6. v. 9. & sequentibus.

XIV. Cohærenter ad dicta docet, à Mandatorum observantia nequaquam pendere salutis fiduciam: & in eo differre à Lege Evangelium, quia non sub conditione operum sicut illa, sed ex fide vitam promittunt. Sic in Antidoto sess. 6. in Canonem 20. Conc. Trid. Contra hoc clamat Scriptura locis nuper allatis.

XV. Omne peccatum mortale esse dicit: & intantum peccata Fidelium venialia esse, non quia mortem non mereantur, sed quia Dei misericordiâ nulla est condemnatio his, qui sunt in Christo Jesu: unde venialia dicuntur, quia non imputantur; & veniâ delentur. Ita Lib.2. Instit. cap.8. §.59. Lib.3. c.4. §.28. Verè felices Calvinistæ, quibus omne peccatum, licèt sit in se mortale, veniale tamen fit, nec imputatur. Contra hoc egi Tom.2. in 1. 2. qu. 3. de Peccatis Dub.1.



§. VI.

Errores de Operibus, Confessione, Indulgentiis, & Purgatorio.

XVI. OMnia Justorum opera esse iniquitatem ac sordes, peccata damnabilia, dicit Lib. 3. Instit. cap. 14. §. 4. his verbis: *Qui seriò de veræ justitiæ regula quærent, illi certò comperient, omnia hominum opera, si suá dignitate censeantur, nihil nisi inquinamenta esse & sordes: & quæ justitia vulgò habetur, eam apud Deum meram esse iniquitatem: quæ integritas censetur, pollutionem; quæ gloria ducitur, ignominiam.* Et eodem Libro 3. cap. 14. §. 9. *Habemus*, inquit, *nec unum à Sanctis exire opus, quod si in se censeatur, non mereatur justam opprobrii mercedem.* Oh inauditam blasphemiam! Numquid promtitudo Abrahæ, qui ut obediret Deo paratus fuit ad immolandum filium Isaac, propter quam Deus tot benedictionibus eum, & in se, & semine suo cumulavit (Genes. 22.) coràm Deo fuit iniquitas, & eam commendando, commendavit Deus id quod in se & coràm ipso iniquitas erat? Numquid & David, quem Deus ipse Act. 13. v. 22. esse secundùm cor suum pronuntiavit, nil aliud quàm sordes & peccata ei offerebat? Si ita est; ergo peccata erunt secundùm cor Dei. Si ita est: deceptus ergo fuit Zacharias pater Joannis, cùm Lucæ 1. v. 75. dixit: *Ut sinè timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate & justitia coràm ipso omnibus diebus nostris*, si sanctitas & justitia hominis coràm Deo iniquitas est. Malè igitur bona opera justorum, si coràm ipso iniquitates sunt, à Deo in Scriptura commendantur, cùm ea potiùs sicut opera mala execrari ac prohibere deberet. Sed ad alia non minùs blasphema procedamus.

XVII. Legem Dei, quæ bona opera præcipit, impossibilem esse dicit Lib. 2. Instit. cap. 7. §. 5. ubi explicans impossibilitatis causam: *Impossibile*, inquit, *appello, quod nec fuit unquam, & ne imposterum sit, Dei ordinatione ac decreto impeditur. Si ab ultima memoria repetamus, neminem Sanctorum extitisse dico, qui corpore mortis circumdatus, ad eum dilectionis scopum pertigerit, ut ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex tota potentia Deum amaret.* Et in Antidoto Conc. Trid. in Canonem 18. sess. 6. ait: *Si perpetua esset regeneratio in hac vita, possibilis esset Legis observatio. Sed cùm Fideles quamdiù hìc vivunt, medio ex stadio ad vitam aspirent, magnisque difficultatibus anhelent: ubi reperietur, quam isti somniant, obedientiæ perfectio?* Ita Calvinus. Cui sic primò dicam. Vis scire, ubi hæc obe-

obedientia reperietur? In natura hominis sibi relicta & in hisce terrenis occupata, non certè; sed in gratia Dei cor hominis à terrenis totum elevantis, & ad se totum trahentis, ut Deum solum amet, & omnia propter ipsum contemnat; nec hoc præcipit, ut semper actu faciat (hoc enim solis in Cœlo Beatis datur) sed habitu saltem, ut scilicet semper dispositus ad omnia (quatenus opus sit) propter Deum etiam relinquenda, ut *qui habentes, tanquam non habentes sint, qui possident, tanquam non possidentes, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur* (1. Cor. 7.) ac non sibi vivant sed Christo. Unde Paulus ad Galatas 3. v.20. dicit: *Vivo autem jam non ego; vivit verò in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Quod Paulo possibile fuit, hoc omnibus possibile esse debet. Alioqui Deus esset Tyrannus, si legem faceret, quam observari vellet, & non observantes puniret: ut autem ejus observantia fieret impossibilis, ipse ordinatione ac decreto suo impedimentum poneret: sicut si quis præciperet mihi ut currerem, & poneret pedibus meis impedimentum, ne possem currere.

XVIII. Doctrinam de bonorum operum meritis, erroneam esse clamat Lib.3. Inst.c.15. §.2. *Quicumque primus illud* (meritum) *operibus humanis ad Dei judicium comparatis aptavit, eum Fidei sinceritati pessimè consuluisse. Quantùm autem offensionis in se contineat, magno cum Orbis detrimento patet. Certè ut est fastuosissimum, nihil quàm obscurare Dei gratiam, & homines pravâ superbiâ imbuere potest.* Indè carpit Veteres, quòd hujus vocis abusum invexerint. Error iste ex alio præallato fluit, quo dicit, omnia bona opera justorum esse coràm Deo iniquitates; ac insuper quòd putat merita bonorum operum, non ex gratia Dei, sed ex natura ipsorum operum, ut purè ab homine sunt, procedere. At dum ab operibus tollit omne meritum; quid respondebit Christo, qui cùm Apostolis exposuisset omnia quæ propter ipsum passuri erat, eos Matth. 5. v.12. ita animat: *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis?* Merces autem respondet merito laboris. Quid respondebit Paulo 1. Cor.4. v.3. dicenti: *Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo: & reputatum est illi ad justitiam. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum?* At Calvinus vel Scripturas non legit, vel eis non acquiescit. Dicam ergo ei cum Hosio L.5. de Catholica Ecclesia: *Nostra de operibus doctrina hæc est, quòd quatenus nostra sunt, quàmlibet esse bona videantur, nihil tamen nobis prosunt ad vitam æternam consequendam: quatenus autem Dei sunt, quatenus sunt opera manuum illius, ex ipsius beneficentia singulari, & justitiæ titulo & mercede*

Regni Cœlestis digna habentur: Dei autem sunt, & quòd ea Deus operatur in nobis, & quòd quidquid est in eis dignitatis, non est aliunde, quàm ex eo quòd sunt respersa pretioso Christi sanguine, cui debemus, quòd ea facientes Regni Cœlestis præmia consequimur. Nam absque eo si esset, quidquid per omne vitæ nostræ tempus & faceremus, & pateremur, ne minimum quidem nobis prodesset ad gaudia Regni Cœlestis assequenda. En elevata Dei Gratia, & sublata ab homine ob meritum superbia, & Calvinus mendax. De Merito egi Tom.3. in 1.2. q.1. de Merito Justi Dub.2.

XIX. Confessionem peccatorum factam Sacerdoti non esse de Jure Divino, seu Divino præcepto institutam; ejus quidem vetustissimum fuisse usum, sed olim liberum: nullam ante tempora Innocentii III. de ea statam fuisse Legem: extare luculenta testimonia tum in historia, tum apud Veteres Scriptores; hanc fuisse politicam disciplinam ab Episcopis adinventam, non Legem à Christo aut Apostolis positam; conscientiarum carnificinam esse; invectam hanc tyrannidem, cùm fœdâ barbarie oppressus esset mundus. Ita loquitur Lib. 3. Instit. cap.4. & in Respons. ad Art. 4. Facultatis Parisiensis; sed de more mendaciter. Unde enim probat, Confessionem peccatorum faciendam Sacerdoti non esse à Christo institutam? Ex Scriptura? Nequaquam; ista enim Joan.20. narrat, Christum dedisse Apostolis potestatem remittendi & retinendi peccata. Quâ potestate quomodo uti potuerunt Apostoli, vel etiam nunc possent eorum Successores, judicando quæ peccata remittenda & quæ retinenda, quæ medicina eis sit adhibenda, nisi eis manifestentur? *Qui quod novit loquitur, judex justitiæ est*, dicitur Proverb. 12. v. 17. Et *quod ignorat, medicina non curat*, inquit Hieronymus in Ecclesiasten cap.10. Hâc Divinâ institutione, non politicâ disciplinâ edocta, perpetuò sensit Ecclesia, ex Christi præcepto esse, ut qui sibi remitti peccata volunt, ea potestatem habenti aperiant, qui judicet an remittenda sint, an retinenda, & salutarem apponat medicinam. Hinc mentitur Calvinus, dum Innocentium III. primum fuisse ait, qui legem de Confessione tulit: solùm enim ad emendandam quorumdam negligentiam definivit tempus, quo saltem semel in anno, nempè Paschate, peccata sua Confessione expiare tenerentur. De hoc egi in Vera Eccl. Tom.2. p.1. art.11. §.4. & Tom.3. in 3.p. De Sacr. Pœnit. qu.5. Dub.1.

XX. His addit Calvinus, Potestatem absolvendi à peccatis, quorum cognitionem in Confessione habuerint, à Christo non esse datam. Absolutionem quæ fidei servit nil aliud esse, quàm testimonium veniæ ex Evangelii promissione datum. Alteram verò quæ ex disciplina Ecclesiæ pendet, ad secreta peccata non pertinere,

nere, sed ad publica, ut tollatur Ecclesiæ publica offensio. Hæc citatis locis; tot mendacia quot verba. Et quidem primò. Nam cùm Christus Jo. 20. v. 23. dixit Apostolis: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*: peto, an clariùs exprimere poterat, se tunc dare potestatem absolvendi, & quidem omnes, à peccatis, & eorum absolutionem se ratam habiturum? Deindè cum dixit *Quorum remiseritis*, non verò *quorum annuntiaveritis remissa peccata*: nonne apertè declaravit, se eis dare non puram facultatem testificandi, illis à Deo peccata esse remissa, sed illos ejus nomine verè à peccatis absolvendi? Quod verò dicit de disciplina Ecclesiæ, non diffiteor, hanc respicere peccata publica, & pœnitentias publicas ad tollendum scandalum; sed præter hanc propter peccata quæcumque ad obtinendam à Deo veniam, ex Christi præscripto necessarium esse coram Sacerdote ea confiteri, invictè sustineo.

XXI. Adhuc blaterans dicit, satisfactionem ad Pœnitentiam non esse necessariam: nec Deum posse pœnis satisfactoriis placari: illasque cum efficacia mortis Christi & satisfactionis ipsius pugnare. Multa contra hæc eructat Lib. 3. Instit. cap. 4. §. 38. & 39., à quibus referendis abstineo. Dicam solùm, eum ibi contendere, satisfactionem, quæ in Veterum Libris passim occurrit, non eam esse, quæ Deo redderetur, sed publicam testificationem, quâ excommunicati, ut ab Ecclesia reciperentur, suæ pœnitentiæ testimonium dabant. Additque, quòd si ex Veteribus aliqui duriusculè loquuti sunt, hac in parte lapsi sunt. At ipse turpiter labitur. Num enim erat pœnitentia, & satisfactio Deo, illa, quâ David, ut veniam ab eo obtineret Psalmo 6. v. 7. dicebat: *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, & lacrymis meis stratum meum rigabo*? Num & illa quam Simoni Mago indixit Petrus Act. 8. v. 22. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*? Hinc Paulus 2. ad Cor. 7. v. 9. *Nunc gaudeo*, inquit, *non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, seculi autem tristitia mortem operatur.*

Ne autem ampliùs obmurmuret, quasi satisfactio nostra possit Deum placare, & ita cum meritis & satisfactione Christi pugnet; noverit Calvinus, primò, quòd satisfactio nostra fit non ad culpam vel pœnam æternam expiandam; hæc enim satisfactio soli Christo tribuenda est. Hic enim solus factus est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantùm, verùm & totius mundi. Solus ille mortem moriendo destruxit, & per eam pro pec-

peccatis nostris abundè Deo Patri satisfecit: nostrà verò satisfactio, sivè à nobis assumta, sivè à Confessario injuncta, quæ cum fide & caritate peragitur, solùm valet ad pœnam temporalem, vel tollendam, vel mitigandam, vel ad reliquiis peccatorum medendum, causas peccatorum exscindendas Christique exemplum imitandum. Christus pro nobis satisfecit. Sed num ideò passus est ac satisfecit, ut nos nihil jam faciamus, nihil jam patiamur pro peccatis nostris, cùm semel à gratia ejus quâ per Baptismum donati fuimus exciderimus? Minimè, inquit S. Petrus Epist. 1. c. 2. v. 21. Imò *Christus passus est pro vobis, vobis exemplum ut sequamini vestigia ejus.* Unde ipse Matth. 16. v. 24. dixit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.*

Secundò noverit: Quòd satisfactio nostra intantum nobis prodest, inquantum satisfactione Christi, & Cruce Christi valoratur: alioquin satisfactionis & Crucis nostræ nulla esset utilitas pro peccatis, nisi satisfactio & Crux Christi præcessisset, per cujus mortem & sanguinem efficacia redduntur & Deo grata, quæ fiunt à nobis in satisfactionem pro peccatis nostris; & ideò dicit Christus, ut qui tollit Crucem suam, sequatur ipsum: quia nisi Cruce sua ipse nos præcederet, Crux nostra inutilis nobis esset. Hæc est Catholica doctrina de satisfactione, quam inter alios perdoctè tractat Hosius de Sacramento Pœnitentiæ cap. 48. & quâ Calvini & aliorum ejusdem furfuris calumniæ dissipantur.

XXII. Indulgentias dicit esse *Sanguinis Christi profanationem, Satanæque ludibrium, quo Christianus populus à Dei gratia, à vita quæ est in Christo abducatur, & à vera salutis via avertatur.* Lib. 3. Instit. cap. 5. §. 2. Ibidem *Quæstuosas nundinationes de animarum salute, ac pias fraudes* vocat. *Papam plumbo & membranâ gratiam Jesu Christi includere*, calumniatur. Nos *commiscere sanguinem Martyrum Sanguini Christi ad remissionem & satisfactionem peccatorum: Mendax Dei Evangelium esse, aut mendaces Indulgentias.* Ita cum Luthero blasphemat Calvinus. Non latet, ipsum existimare injuriam Christi Sanguini fieri, & Sanguinem Martyrum commiscere, quasi ei aliquid deesset ad plenam pro peccatis satisfactionem. At num insultabit Paulo dicenti Colofs. 1. v. 24. Adimplere se quæ desunt Christi passionum in carne sua; quasi Paulus passionem Christi declaraverit insufficientem ad satisfaciendum pro peccatis totius mundi, nisi ipse adderet passionem in carne sua? Apage blasphemiam! Non enim Paulus vult, quòd cumulus Christi passionum, quas tanquam Caput pertulit, non fuerit sufficiens ad solutionem pœnarum, quæ totius humani generis peccatis debebantur; sed quòd multa pars passionum ejus adhuc corpori ejus,

quod

quod est Ecclesia, deest, quia usque ad finem mundi patitur Christus in suis membris: & hoc est, quod dicit Paulus se adimplere in carne sua id quod deest passionum Christi. Hinc colligere licet, quòd meritum passionis & mortis Christi, ac Sanctorum ejus, in quibus ut suis membris patitur,& patietur Christus usque ad finem mundi, multò fuerit abundantius, quàm fuerint & sint & esse possint omnia totius Orbis flagitia ad illa diluenda, pro quibus vel unâ guttâ Sanguinis sui satisfacere poterat.

Ex hac ergo superabundantia meritorum & satisfactionum Christi & Sanctorum ejus, hoc est Capitis & Corporis, conficitur Indulgentiarum thesaurus, cujus dispensatio præcipuè pertinet ad Romanum Pontificem, qui Petro, cui Christus claves Ecclesiæ dedit, succedit, deindè ad alios Episcopos Apostolis succedentes. Hujus veritatis testis est idem Paulus, tum 1. Cor. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Tum 1. Cor. 9. v. 17. *Dispensatio mihi credita est*. Tum 2. Cor. 5. v. 18. *Omnia autem ex Deo, qui reconciliavit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis*. Hâc facultate merita Christi & membrorum ejus per Indulgentias applicantur in satisfactionem vel plenariam vel partialem pœnæ temporalis, debitam Deo, vel à Confessario impositam, illis tamen qui dispositi sunt, & opus injunctum implent. Ex his, quæ ad præsens sufficiant, evanescunt calumniæ, quas ex adverso evomit Calvinus. De his enim alibi dixi, præcipuè Tom. 3. in 3. p. q. 3. de Indulgentiis.

XXIII. Purgatorium post hanc vitam asserere *exitiale Satanæ esse commentum, quod Christi Crucem evacuat, quod contumeliam Dei misericordiæ non ferendam irrogat, quod fidem nostram labefacit & evertit*, dicit Lib. 3. Instit. cap. 5. §. 6. & 10. Cùmque contra se stare Veteres omnes & præcipuè S. Augustinum negare non audeat, eos contemnit dicens, eos aliquid humani passos esse, & in errorem abreptos. Hoc errore tenentur quotquot modernam pseudo-Reformationem amplexi sunt, contra quos egi in Vera Ecclesia Tom. 2. p. 1. art. 10. & Tomo 16. Theol. qu. 3. Dub. 1. 2. & 3. Attamen ne prorsùs jejunum Lectorem hìc relinquam, aliqua adjiciam. Purgatorium Christi Crucem non evacuare, nec Dei misericordiam evertere, sed potiùs ejus justitiam confirmare, ostendit Scriptura utriusque Testamenti: Veteris quidem: tum Isaiæ 4. v. 4. *Abluet Dominus sordes filiarum Sion & Sanguinem Jerusalem lavabit de medio ejus, in spiritu judicii & spiritu ardoris*. Malachiæ 3. v. 2. *Ecce venit dies Domini exercituum, & quis poterit cogitare diem adventus ejus? Ipse enim quasi ignis conflans & quasi herba fullonum, & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit Filios Levi & co-*

& colabit eos quasi aurum & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. Novi verò. Nam ex Paulo ad Ephes. 5. constat, quòd Ecclesia triumphantium cum Christo non habet maculam neque rugam, de qua Apocal. 21. scriptum est, quòd nihil coinquinatum intrabit in eam. Oportebit ergo dicere, vel quòd omnes fideles ex hac vita discedant ita mundi à sorde, ut nullâ egentes purgatione statim in illam admittantur, quod Heterodoxi dicunt; vel quòd cùm nemo dicere possit, se esse mundum à sorde, non intret in illam nisi priùs purgatus, vel in præsenti, vel in futura vita. Hoc secundum estò Calvinus neget, asserit tamen Paulus 1. Cor. 3. v. 13. *Uniuscujusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. His Paulus unumquemque monet, ut videat, quomodo in hac vita superædificet: & si ad Dei tribunal deferet aurum vel argentum, sciat se recepturum mercedem. Si verò lignum, fœnum vel stipulam, opera nempè imperfecta, necdum plenè purgata, iste salvus quidem erit, sed priùs ob talia opera detrimentum patietur per purgatorium ignem. Sed hæc satis.

§. VII.

Errores de Sanctorum & Angelorum invocatione, & cultu & usu Imaginum.

XXIV. SAnctos cum Christo in Cœlis viventes pro nobis non intercedere, nec absque sacrilegio ac superstitione invocari posse (Lib. 3. Instit. cap. 20.) asserit, per calumniam imponens Catholicis, qui Sanctos invocant, *Christum inhonorare, & Mediatoris titulo spoliare, gloriam nativitatis ejus obscurare, Crucem evacuare: In Litaniis, Hymnis, & Prosis, ubi Sanctis mortuis nihil non honoris defertur, nullam Christi mentionem fieri. Sanctos ut tutelares Deos à Romanæ communionis hominibus coli. Nihil Christo reliquum facere, qui pro nihilo ducunt ejus intercessionem, nisi accedant Georgius & Hippolytus, & similes larvæ*. Hæc impius calumniator Calvinus. Porrò hæc calumniosa esse mendacia factum ipsum demonstrat. Quomodo Christum inhonorant, & Mediatoris titulo spoliant Catholici, qui omnia quæ à Deo petunt, per Christum petunt, ut publicæ Orationes seu Collectæ testari possunt, etsi in eis Sanctos nominant, non aliter eos invocant, nisi ut pro ipsis intercedant

cedant Christi mediationem? Nunquid in humanis titulo spoliaret Mediatoris, qui ad ejus mediationem consequendam aliquem amicum ejus interponeret? Hymni quoque & Prosæ à Deo & Christo inchoant, & in Deum & Christum desinunt. Litaniæ à Deo inchoant per *Kirie eleyson* & *Miserere nobis*, & in Christum terminant per *Agnus Dei* &c. *Miserere nobis*. Dum Sancti invocantur dicitur *Ora*, vel *Orate pro nobis*. Hoc igitur est Sanctos ut Deos colere? hoc est nihili facere Christi mediationem, nisi accedant Sancti? Ad hæc Calvinus quid dicet?

Dicet fortè, Christum se constituisse unicum Mediatorem, nec alio egere apud se Mediatore, fateor. Egemus tamen nos, qui nostræ infirmitatis conscii propterea Sanctos ei caros, & Cœlesti Beatitudine ab eo donatos, pro nobis intercessores apud eum advocamus. Dicat mihi, si ipse dum viveret, in angustiis positus aliquem Dei servum in terris viventem, ut preces suas apud Deum interponeret, rogasset, putasset ne se injuriam facere Christo eumque titulo Mediatoris spoliasse? At quidquid putasset Calvinus, hoc certè non putavit Paulus qui Roman. 15. v.30. ait: *Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, & per caritatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in Orationibus vestris pro me ad Deum*. Et à Colossensibus cap.4. v.3. similiter postulat communes orationes pro se, *ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi*. Si ergo utiles sibi fore sperabat Paulus orationes in terris viventium, qui cùm hoc corpus mortis adhuc circumferant, necesse habent & ipsi dicere Deo *dimitte nobis debita nostra*: & ideò non minus de se ipsis debent esse solliciti; cur inutiles nobis erunt orationes Sanctorum, qui cum Christo in Cœlis felicissimè vivunt, & quorum gratia apud Deum plurimùm valet: & qui cùm sint ejusdem Corporis Christi caritate nobis conjuncti, dubium non est, quin de nostræ salutis cura tangantur.

Rursùs. Si invocatio precum Sanctorum adhuc in terris viventium Christi gloriam non obscurat, quia si quid nobis obtinent per merita Christi obtinent; cur invocatio Sanctorum, in Cœlis cum Christo beatorum, gloriæ Christi detrahet, cùm nec ab ipsis quidquam sperari posse sciamus, nisi per Christum, & sub hac forma illos Ecclesia invocet? Sanè si Christus non obscuravit, imò illustravit gloriam suam, cum Apostolis adhuc viventibus dedit potestatem faciendi ea quæ ipse fecit, & adhuc majora, erga eos qui in nomine suo eos invocarent; Non est credibile ab eis hanc retraxisse potestatem modò, cùm in Cœlis cum ipso sedent, ut qui se invocantibus in nomine ejus possint per ipsum subvenire. Sed hæc, quæ luce meridiana clariora sunt, soli cæci non vident. De

his locutus sum etiam Tom. 16. Theol. qu. 7. Dub. 1.

XXV. Cultum Religiosum etiam Duliæ Angelis & Sanctis hominibus *absque damnanda superstitione* exhiberi non posse, asserit Lib. 5. Instit. cap. 12. De cultu Angelorum verba feci supra cap. 35. contra *Angelicos*, quorum errorem à Catholico dogmate separavi §. 2. De cultu B. M. Virginis pariter egi cap. 53. adversùs Collyridianos & §. 2. Danæi Calvinistæ calumnias dissipavi. De cultu SS. in genere sermonem habui in Vera Ecclesia Tom. 2. p. 2. art. 14. & Tom. 16. Theologiæ loco supra citato. Ibi enim exposui differentiam cultus Duliæ à cultu Latriæ, & quomodo hæc soli Deo debeatur: illa verò etiam aliis, honorando eos ut servos Dei & intercessores nostros apud Deum; qui cultus non purè civilis est, sed religiosus, quia à Religione erga Deum imperatus: pro quo adduxi S. Augustinum L. 20. cap. 21. contra Faustum, ubi mirè hanc veritatem exponit.

Ne verò ab invocatione & cultu Sanctorum resilire possint Calvinistæ, quasi Sancti nec audire possint petitiones nostras, aut motum cordis ejus qui precatur penetrare, cùm hoc solius Dei proprium sit, qui dixit Jerem. 17. v. 10. *Ego Dominus scrutans cor, & probans renes*; audiant Scripturam: hæc enim 4. Reg. 5. tribuit Elisæo, quod absens cognoverit, quæ Giezi discipulus ejus fecerat, cùm à Naaman Syro munera accepisset. Eadem Act. 5. tribuit & Petro, quòd sciverit Ananiam & Saphiram fraudasse de pretio agri: non quòd uterque propriâ virtute, sed Dei revelatione hoc sciverit. Nec solùm viventibus, sed & mortuis revelationem prophetiæ tribuit Ecclesiastici 48. ubi ait, corpus Elisæi mortuum prophetasse, & cap. 49. ossa Joseph post mortem prophetasse. Est ne autem inverisimile, quòd Deus, qui Sanctis viris adhuc in terris agentibus plura ad eos spectantia dignatus est manifestare, hoc neget Sanctorum spiritibus in Beatorum sedes receptis: ita ut nesciant, quid à se petant fideles in terris degentes, de quorum salute constat eos esse sollicitos? Omnia ergo Sancti jam Beati, maximè ad eos spectantia vident: sivè quia clarè videntes videntem omnia, in eo & per eum vident omnia: *Quid enim est* (inquit Gregorius Lib. 4. Dialog. cap. 32. & Lib. 12. Moral. cap. 13.) *quod ibi Sanctorum animæ nesciant, ubi scientem omnia sciunt?* sivè etiam quia omnia ad se spectantia per Angelos, vel alio modo eis revelantur.

XXVI. Imaginum usum & cultum à *Satana manasse*, & *meram Idololatriam* esse asserit Lib. 1. Instit. c. 11. & Lib. 4. cap. 9. §. 8. Pro usu & cultu Imaginum Dei & Sanctorum egi supra cap. 80. contra Iconoclastas, ubi §. 4. earum usum in Ecclesia antiquum esse ostendi;

di ; §. 5. earum usum & cultum probavi ; & §. 6. Iconomachorum objecta dissolvi. Pro eis etiam egi in Vera Ecclesia Tom. 2. par. 2. art. 14. & 16. quæ studiosus adire poterit. Sanè ut observat Florimundus Remundus Lib. 7. Synopsis cap. 12. una ex præcipuis causis, ob quas multi ex clarissima Ecclesiæ luce in spissas hæresum tenebras præcipitarunt, ista fuit; quòd dicerent, honorem uni Deo debitum, à Catholicis Imaginibus, ut ab Ethnicis Idolis suis, tribui. Cùm enim in Bibliis legissent illud *Non facies tibi Imaginem*, Imaginem cum Idolo confuderunt, ignorantes id quod Dialectici pueros docent, Imaginem genus esse, Idolum verò speciem, nec valere à genere ad speciem arguere dicendo, est Imago, ergo est Idolum. Nam & Jesus Christus Dei imago, & homo quamvis creatura ad Imaginem Dei factus dicitur. Imago id quod verè fuit vel est, repræsentat. Idolum verò est quoddam phantasma mente conceptum, quod nihil veri in se habet. Unde dicit S. Paulus 1. Cor. 8. v. 4. *Idolum nihil est*, quia scilicet rem quæ non est repræsentat ; & illorum quos Pagani adorabant statuas & simulacra *Idola* vocabantur, quia licèt materiâ & certâ formâ constarent, nihil tamen quod in rerum natura sit, sed vanum tantùm, & id quod nunquam Deus fuit, imò ne id quidem quod adumbrabant, repræsentabant.

Sed quia Calvinus vult, Imaginem pro Idolo sumi: ideòque cujuscumque Imaginis etiam Christi, Crucis ejus & Sanctorum cultum idololatriam appellat ; Peto: Aut Deus præfato præcepto omnes Imagines prohibuit, aut eas solùm, quæ Divinæ gloriæ derogant? Primum dici non potest. Nam Deus Cherubim humanâ facie in Templo suo collocari, æreum Serpentem ligno ad Crucis formam erigi, aliaque quorum usus in Templo futurus erat, ut Boum, Leonum &c. effigies fieri voluit, quod etiam percurrenti Templum Salomonis Lib. 3. Regum cap. 6. cuique patebit. Addo. Propheta Daniel Deum Patrem, ut Antiquum illum dierum, omnibus ferè lineamentis, & coloribus nobis depingit, quamvis sciret, eum utpotè incorporeum & invisibilem nullâ figurâ exprimi posse. Illas ergo Imagines mandato suo solas prohibuit, quibus alius quàm verus Deus adorandus repræsentatur, aut alius falsorum Deorum cultus introducitur, quæ verè Idola sunt, qualia erant illa, quæ ab Ægyptiis Israelitæ viderant adorari: quale fuit Vitulus ille aureus à populo Israelitico conflatus, Draco ille Babylonicus, & alia innumera, quæ sibi fingebant gentes.

Hæc ergo prohibuit Deus Israelitis, ne facerent, & ne ut Deos adorarent & colerent, cùm ipse solus sit Deus. Hæc sunt verba præcepti Exodi 20. v. 2. &c. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. Non habebis Deos alienos*

coram me. Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem, quæ est in Cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles: Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes &c. His, quis non videt, Deum fieri prohibuisse omne sculptile & omnem similitudinem solis, stellarum, pecudum, piscium, & ea adorare & colere ut Deos, quomodo ea adorabant Ægyptii, & aliæ gentes, eò quia ipse sit solus Deus? Peto igitur. Imagines, quas in Templis suis erigunt Catholici, suntne imagines, vel simulacra Solis, Lunæ, pecudum, piscium, aut Jovis, Mercurii, Veneris &c. ut olim in Templis suis habebant gentes? Nequaquàm; sunt Imagines Christi, à quo redemti sumus; Crucis, quæ fuit instrumentum redemtionis; B. Mariæ Matris Dei, Apostolorum, & Martyrum, qui pro Christi fide vitam dederunt, & aliorum Sanctorum, quos cum Christo in Cœlis regnantes nobis proponit Ecclesia.

Insuper has Imagines coluntne Catholici tanquam Deos? Honorant quidem & colunt. Sed honor & cultus non sistit in Imaginibus, sed transit in repræsentatum per eas. Et in hoc Synodum Nicænam II. sequentes dicunt „ Hæc igitur singula, nempè Christi Imaginem, & ipsam Crucem Crucisque notam, cultu adorationeque prosequentes, honorem & adorationem non in ipsis concludimus, sed ad eum dirigimus, qui propter incredibiles divitias amoris erga nos, factus est homo, & mortem propter nos pertulit contumeliosam. Sic & Sanctorum Templa & Sepulchra, & Reliquias, ex quibus morborum curationes emanant, fideliter adoramus, Christum verum Deum nostrum, qui gloriâ ipsos affecit, collaudantes & celebrantes. Et si quid iis in Mysticis & sanctis nostris Sacrificiis simile est, per munus & gratiam in illis exhibitum, præcipuum auctorem & principem causam agnoscimus & commendamus „. Hæc ex Photio. Similis est doctrina Tridentini.

His tamen Calvinistæ nedum non acquiescunt, sed in Sacras Imagines, ubicumque eas in Catholicorum Templis invenerunt, furorem suum effuderunt; Judæ tamen Iscariotis & Diaboli imaginibus parcentes. Unde ut refert Florimundus Remundus citato cap. 12. Libri 7. num. 7., scribunt nonnulli, quòd in oppido quodam Occitaniæ Singillio appellato, Calvinistas confractis tam Jesu Christi, quàm aliorum Apostolorum Imaginibus, Judæ Iscariotæ tantùm imaginem integram reliquisse. Antuerpiæ Crucifixi confractâ Imagine, Angeli boni adstantis, & Boni Latronis animam excipientis Imaginem itidem confregerunt: at Diaboli animam impii Latronis ad se rapientis, intactam reliquerunt. Idem diversis

locis

locis factum historici fide digni tradunt, semperque Diaboli vel Salvatorem vel Sanctos tentantis imaginibus parcitum, istorum vastatis atque abolitis. Londini Hispanus Templum ingressus, cùm S. Michaelis Archangeli statuam confractam, Satanæ autem sub pedibus ejus jacentis adhuc integram vidisset, educto gladio eam punctim ac cæsim impetens clamasse fertur: Apage, apage, sceleſtissime, non plus quàm cæteris tibi hìc loci erit. Lindanus Episcopus Ruræmundensis testatur, cùm reformationis causâ diœcesim suam obiret, vidisse se inter alia Geusiaci furoris monumenta, inter plures Sanctorum confractas Imagines, solius Satanæ, tanquam virginem tentantis ibi repræsentati, adhuc integram, quam apprehensam in terram projecerit, inquiens: & tu hinc ejicieris, infelix Satan: neque enim fas est, ut ibi maneas, ubi satellites tui venerabiles Jesu Christi & Sanctorum Imagines tanto furore confregerunt.

Scio fortè dicturos, se Satanæ imagini pepercisse, sicut & Judæ, quia his in Templo manentibus nullum erat Idololatrandi periculum, sicut manentibus imaginibus Christi & Sanctorum. Veriùs tamen dicerent, se talibus Imaginibus pepercisse, quia, utpotè in hoc facinore Satanæ satellites ac ministri, suo duci ac patrono debitum servare honorem voluerunt; Judæos imitati, qui latronem Barabbam incolumem potiùs quàm Christum voluerunt. Quàm procul ab idololatriæ periculo Sacrarum Imaginum usus & cultus sit ut ab Ecclesia præscribitur, jam hìc & alibi satis ostendi. Sed quid? Numquid vos ipsi idololatræ estis, qui Lutheri, Calvini & aliorum imagines in tanta habetis veneratione? Calvini imaginem in intimis feminarum cubiculis olim in Gallia cum honore asservari, nonne visum fuit? Lutheri verò in Germania non picturâ modò expressam, sed tapetibus etiam intextam in parietibus & atriis passim, & etiam in ipsis librorum operimentis loco Crucifixi expositam quis non vidit? At dicunt, se imagines hujusmodi habere animi tantùm causâ. At bone Deus! An Bezæ curæ fuit excucullatorum Monachorum, & apostatarum hominum etiam collegarum suorum in æs incidi, & cum vanissimo elogiorum lenocinio populo venditari: & ex primis illis Christianis nemini curæ fuisse putatis, ut Divinæ illæ Cœlestes tam Jesu Christi quàm Matris ejus, uti & Apostolorum, effigies posteris traderentur? An feminam illam à sanguinis fluxu per Christum sanatam idololatriæ insimulabitis, quòd ipsius effigiem in ære exprimi curaverit, quam à se visam Eusebius testatur? An Rex ille Edessenus superstitiosus fuit, qui Jesu Christi effigiem tanto studio desideravit? Repetam ergo. Adeò soliciti fuerunt vestri, ut suorum pseudo-Reformatorum, qui

ad

ad evertendam Christi Ecclesiam conspirarunt, & quorum mores obsceni fuerunt, imagines in solatium, ut dicitis, apud se retinerent: & adeò desides vultis fuisse priorum seculorum Christianos, ut nec Christi, cujus Sanguine per Crucem se redemtos noverant, nec Apostolorum, qui fidem propagarunt, nec tot aliorum qui pro fide Christi vitam dederunt, Imaginem vel effigiem ullam in memoriam & venerationem apud se retinere curaverint, adeò ut primis quinque seculis (quod vos dicitis) Imaginum usus Ecclesiæ fuerit ignotus?

Diffiteri non potestis, nisi oculos veritati claudere velitis, Imaginum usu Intelligentiam, Memoriam, & Voluntatem quæ sunt rationalis animæ potentiæ, mirificè adjuvari. Per repræsentationem namque illam res, à Salvatore nostro & Sanctis ejus gloriosè gestæ, Intellectui velut ob oculos ponuntur; ex quo deindè summa Dei in nos beneficia memoriæ occurrunt, ac tenaciùs infiguntur: quorum denique recordatione,& Sanctorum quorum effigies aspicimus exemplo, voluntas ad Dei amorem, ad Sanctorum imitationem ac venerationem, acriùs incenditur atque inflammatur. Hactenus cum Florimundo Remundo ex Calviniano Catholico locutus sum.

Quòd si nec isti acquiescere vultis, contra vos Lutherum ipsum statuam. Is cum rescivisset, Carlostadium Imagines è Templis ejecisse, factum improbavit; & ut refert Hosius L.1. de Hæres. nostri temporis ,, In altero, quod contra Cœlestes Prophetas edi-
,, dit, scripto monuit, ut Prædicatoribus qui imagines per ple-
,, bem ejici jubent, aquâ & igni interdicatur, aut tale in eos exem-
,, plum edatur, ut abstinere deinceps necesse habeant, quòd ab
,, Imaginum demolitione venitur ad cædem. Boni Domini, in-
,, quit, non est hic Diaboli scopus, ut oppugnentur Imagines, sed
,, vult sibi foramen fieri, per quod sanguinem profundat, & cædes
,, faciat in Orbe terrarum. Spiritus iconomachorum non est bo-
,, nus: spirat enim cædes & seditiones, etiamsi celet & dissimulet
,, ad tempus, quamdiù non videt opportunitatem ,,. Ac re verâ quot cædes & seditiones ob Imaginum eversionem non excitarunt Calvinistæ? In hoc, auctore Luthero, quòd Imagines everterunt, nec Diabolo placuerunt, sed solùm in hoc, quòd ex eversione Imaginum venerunt ad cædes. Quare Lutherani etiam post schisma Imagines in Templis, præsertim Crucifixi, retinuerunt. Soli Calvinistæ vera Iconomachorum soboles fuerunt & sunt.

§. VIII.

§. VIII.

Errores de Romano Pontifice, de Ecclesiæ Legibus, & Conciliis.

XXVII. Quia præsentium Novatorum potissimum studium est Caput Ecclesiæ visibile, quod eam regat, ei abscindere, ut sic tanquam corpus detruncatum, eam quò voluerint liberiùs trahant, ejusque membra pro libito discerpant: Ideò Calvinus contra Romanum Pontificem, quem Ecclesia, loco Christi, hic in terris Vicarium, tanquam Caput semper agnovit, ut eum tollat, impiè arma sua convertit Lib. 4. Inst. toto ferè cap. 6. Ibi conatur ostendere, Romanæ Sedis Primatum neque ex Christi institutione, neque de Ecclesiæ veteris usu sumsisse originem. Petrum honore ordinis, non potestate, fuisse cæteris Apostolis priorem: & dato quòd etiam dignitate reliquos antecessisset, Apostolis ipsi Primatum deferentibus, id ad perpetuitatem non esse trahendum, ideſt non sic constitutum in Petro Ecclesiæ Primatum, ut perpetuâ successione semper maneret. Non inficiatur tamen, Ecclesiam Romanam magno in honore fuisse apud Veteres, eosque de ea honorificè fuisse locutos: *Opinio enim illa*, inquit, *quæ nescio quomodo invaluerat, fundatam & constitutam eam fuisse Petri ministerio, ad conciliandam gratiam & auctoritatem plurimùm valebat. Itaque in Occidente Sedes Apostolica, honoris causâ vocabatur. Deindè cum illìc esset Caput Imperii, & hâc ratione credibile esset, præstantiores tum doctrinâ, tum prudentiâ, tum peritiâ & multarum rerum usu, viros illic esse quàm alibi usquam; ejus meritò habebatur ratio .... Accessit ad hæc & tertium, quod cùm Orientales & Græcæ Ecclesiæ, Africanæ etiam multis opinionum dissensionibus inter se tumultuarentur; hæc sedatior aliis, & minùs turbulenta fuerit. Ita factum est, ut pii & sancti Episcopi sedibus suis pulsi, illuc se veluti in asylum, aut portum quemdam reciperent.... Hoc ergo Romanæ Ecclesiæ plurimum addidit auctoritatis... Has, inquam, tres ob causas non vulgari in honore habita fuit, & multis præclaris veterum testimoniis commendata.*

Non valens ergo Calvinus, negare Ecclesiam Romanam semper ab aliis Ecclesiis in honore habitam fuisse; ut declinet veritatem, eique detrahat Primatum, has ratiunculas adinvenit. Quàm turpiter tamen desipiat, fusè ostendi contra Jacobum Piceninum ejus gregalem in Vera Ecclesia Tomo 2. p. 1. ubi art. 1. pro Primatu S. Petro à Christo concesso certavi, & contraria sophismata dissol-

solvi. Art. 2. in Petri Primatu Episcopum Romanum & Ecclesiam Romanam successisse, multis demonstravi, & Hæreticorum cavillis respondi. Quæ cùm hic repetere foret superfluum, ideò Lectorem meum illuc amando, eum solummodò muniens celebri S. Cypriani dicto Epist.55. ad Cornelium Papam: *Neque enim*, inquit, *aliandè hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quàm indè, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur, cui, si secundùm magisteria Divina obtemperaret fraternitas universa; nemo adversùm Sacerdotum Collegium quidquam moveret, nemo post Divinum Judicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum, Judicem se jam non Episcopi, sed Dei faceret: nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet; nemo sibi placens ac tumens seorsùm foris Ecclesiam novam conderet*. An hæc, quæ de hæreticis sui temporis scribit S. Cyprianus, congruant Calvino & aliis modernis segregibus, qui unum in Ecclesia ad tempus Sacerdotem, & ad tempus Judicem vice Christi, cui secundùm magisteria Divina obtemperare debet fraternitas universa, agnoscere detrectant; nemo non videt.

Sciat tamen Calvinus, se cum suis in Ecclesia Christi non esse: unde quasi ad eum loquens Epist.69. idem Cyprianus: *Scire debes*, inquit, *Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; & si qui cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse; & frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes, obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt; quando Ecclesia quæ Catholica una est, scissa non sit, neque divisa, sed sit utique connexa, & cohærentium sibi invicem Sacerdotum glutino copulata*. Et Epist. 76. ad Magnum de Novatiano ait: *Ecclesia una est, quæ una & intùs esse & foris non potest. Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit. Si verò apud Cornelium fuit, qui Fabiano Episcopo legitimâ ordinatione successit, & quem præter Sacerdotii honorem martyrio quoquè Deus glorificavit, Novatianus in Ecclesia non est*. Propterea S. Hieronymus Epist. modò 14. aliàs 17. ad Damasum Romanum Pontificem: *Facessat*, inquit, *invidia, Romani culminis recedat ambitio, cum successore Piscatoris & discipulo Crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri communione consocior: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante Diluvio*. Calvinus jam periit. Qui adhuc superstites cum ipso sentiunt, quid sibi immineat, seriò cogitent.

Ex his apparet, quàm falsò Calvinus asserat, præeminentiam Romanæ Ecclesiæ supra cæteras fundatam fuisse apud veteres in opi-

opinione, quòd ministerio Petri esset constituta: quòd cùm Roma esset Caput Imperii in ea celebriores homines essent, & quòd ob tumultus & dissidia Episcopi è suis sedibus pulsi, ad eam ut asylum confugerent. Non enim ex hominum opinione sed ex Christi instituto Romana Ecclesia facta fuit omnium totius Orbis Ecclesiarum Caput, Primatum non honoris tantùm, sed regiminis super illas habens. Hanc Primatus dignitatem non semel promiserat Christus Petro, ut Matthæi 16. v. 18. cùm ei dixit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves Regni Cælorum*; & Lucæ 22. ubi postquam omnes Apostolos à Satana velut triticum cribrandos prænuntiavit, conversus ad Petrum v. 32. *Ego autem*, inquit, *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Quod promiserat implevit Joan. 21. cùm post resurrectionem, ter interrogato Petro, an plus aliis eum diligeret, curam loco sui pascendi gregem suum ei delegavit dicens: *Pasce agnos meos, pasce oves meas*. Verba hæc advertens S. Bernardus Lib. 2. de Consideratione cap. 8. *Cui enim*, inquit, *non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolutè & indiscretè totæ commissæ sunt oves?* „ Si me amas, Petre, pasce oves meas „. *Quas? Illius, vel illius populos Civitatis, aut Regionis, aut certi Regni?* Oves meas, *inquit*. *Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

Dicit Calvinus, quòd dato, hanc potestatem fuisse à Christo collatam Petro, collata tamen fuit ejus personæ, & pro tempore, quo illius grex pusillus erat: sicut in veteri Lege unus erat Sacerdos, ad quem omnes Judæi respicere debebant, quia Lex Mosaica ad unam nationem restricta erat. Nunc verò ubi Christiana Religio in totum Orbem diffusa est, uni dari Orientis & Occidentis moderationem, quis non videat esse prorsùs absurdum, ut si quis contenderet totum mundum ab uno regi?

Deindè si Petrus Principatum habuit inter Apostolos: ergo Ecclesia in qua sedit, hoc privilegium habere debet. Cùm autem primùm sedisse Antiochiæ dicant, cur hoc privilegium Antiochenæ Ecclesiæ non deferunt?

Respondeo ad primùm: Christum dedisse Petro curam pascendi oves suas, non limitatè ad Personam, sed præfigens modum, quo volebat oves suas esse pascendas, nempè ab uno, qui vices Pastoris, loco sui in Cœlos ascendentis, successivè in eas gereret, & hoc ut unitatem gregis sui stabiliret. Noverat oves suas per totum Orbem dilatandas, imò ipse hoc præceperat Marci 16. v. 15. cùm ait: *Euntes in Mundum universum, prædicate Evangelium omni crea-*

turæ: & tamen eas omnes pascendi curam soli Petro commisit: non quòd ipse solus per se ipsum omnes pasceret; sed ut alii in partem sollicitudinis vocati, ab ipso ut habente plenitudinem potestatis in fide, cùm oporteret, confirmarentur; & propterea ne in fide unquam deficeret, pro eo solo Patrem se rogasse Christus protestatus fuit. Hanc methodum suscepit ac servavit semper Ecclesia. Multiplicati fuerunt per Orbem Episcopi, qui gregis Christi partem sibi commissam pascerent, omnes ad Petrum ejusque Cathedram, tanquam ad unitatis, & fidei Catholicæ centrum semper respexerunt.

Hanc veritatem agnovit, & confessus est S. Cyprianus in Africa Episcopus Lib. de Unitate Ecclesiæ, ubi præmissis Christi verbis ad Petrum, & maximè his *Pasce oves meas*: dicit: *Super illum unum ædificat Ecclesiam suam & illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat* „ Sicut misit me Pater & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum. Si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur „: *tamen ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suá auctoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli pari consortio præditi & honoris & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia & Cathedra una monstretur. Et Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur.... Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur & resistit, qui Cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* Et infra: *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoquè una est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur; quo modo solis multi radii, sed lumen unum: & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum: & cùm de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licèt diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium Solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit: à fonte præcide rivum, præcisus arescet. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa per Orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur: ramos suos in universam terram copiá ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latiùs expandit: unum tamen Caput est, & origo una, & una Mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est & pudica: unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo servat,*
hæc

hæc filios regno quos generavit assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur: nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi; Alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem. Si potuit evadere quisquam, qui extra Arcam Noe fuit, & qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit. Hæc ex Cypriano Lectori meo exposui, ut si in Ecclesiæ Unitate sit, spe in Domino gaudeat; si verò extra Ecclesiæ Unitatem persistat, quid sibi immineat, seriò recogitet, ac suæ æternæ saluti consulat.

Quod secundò Calvinus dicit, contra ipsum urgeo. Si Ecclesia, quam Christus super Petrum ædificavit, & contra quam portas inferi non prævalituras promisit, non est Romana sed Antiochena, cur istam non elegit ut Matrem? At noverat, se ab ista quoquè, etsi à Romana schismate divulsa, fore ut spurium rejiciendum, uti de facto contigit. Nam cum Cyrillum Lucari Patriarcham Constantinopolitanum Calvini dogmata adoptasse, Ecclesia Græca comperisset, tribus Synodis, Constantinopolitana sub Parthenio anno 1642., Hierosolymitanis sub Dositheo anno 1642. Cyrillum & Calvinistarum errores damnavit. Ecclesiæ ergo Romanæ, cui usque ad mortem præsedit, Primatum sibi à Christo concessum reliquit Petrus. Hoc omnia retrò secula agnoverunt. Unde S. Augustinus Epist. 162. modò 43. impudentiam Donatistarum redarguit, quòd adhuc in schismate persistant, cùm se videant damnatos etiam judicio *Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus*. Quod hoc invictum argumentum demonstrat, quia in ea sola impleta est promissio, quam Christus fecit Ecclesiæ quam in Petro ædificabat, nempè, quòd *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Nam cùm omnes aliæ Ecclesiæ quibus Apostoli præfuerunt, à fide defecerint, sola hæc Sancta & Apostolica à fide quam ab Apostolis accepit nunquam declinavit. Defecit Hierosolymitana Ecclesia, cui præsedit Jacobus: defecit Achaja, ubi Andreas: defecit Asia, ubi Joannes: defecit India, ubi Thomas: defecit Persis, ubi Judas: defecit Æthiopia, ubi Matthæus: defecit Phrygia, ubi Philippus: defecit Græcia, ubi Paulus: sola fuit & est Ecclesia Romana, ad quam ut scribit Cyprianus Epist. 55. *perfidia habere non possit accessum*. Quare Irenæus L. 3. c. 3. *Maximæ*, inquit, *& antiquissimæ & omnibus cognitæ, gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis Traditionem, & annuntiatam hominibus fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam*

oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his sunt undique conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio. Ita seculo secundo Irenæus Episcopus Lugdunensis sentiebat de Ecclesia Romana, quam Calvinus aliique Recentiores sui similes, quia eorum erroribus resistit, contemnere & calumniis proscindere non desistunt.

XXVIII. Hinc Romanum Pontificem *Antichristum* vocat Calvinus Lib.4. Inst. cap.7. §.25. & in eum quadrare asserit, quod Danielis 7. v.25., & 2. ad Thessal.2. v.4. de Antichristo dicitur. Hæc blasphemia, quam Lutherus primus evomuit, facta est vulgaris & quasi tessera omnium recentium Sectarum, ut Romano Pontifici applicari possit, quod de Christo Simeon prædixit Lucæ 2. v. 34. quòd positus sit *in signum, cui contradicetur*. Acatholici enim, præsertim recentiores, legum omnium excusso jugo, nullum volentes, cujus auctoritate contineri possint, omnes sagittas suas in Romanum Pontificem velut in scopum convertunt: sed sagittæ redibunt in sagittarios: nam stabit Christi promissum, quòd contra ipsum & Ecclesiam portæ inferi non prævalebunt, sed ipsi veri Antichristi præcursores spiritu oris ejus interficientur: & in eis implebitur quod ex Paulo 2. ad Thessal. cap.2. in Romanum Pontificem impiè distorquent.

Aliud ibidem §. 27. turpissimum de doctrina Romanæ Ecclesiæ addit mendacium: *Quasi verò*, inquit, *dubium sit, qualem Religionis speciem professi sint jampridem Pontifices cum toto Cardinalium Collegio, & hodie profiteantur. Primum enim arcanæ Theologiæ, quæ inter eos regnat, caput est: nullum esse Deum. Alterum: Quæcumque de Christo scripta sunt ac docentur, mendacia esse ac imposturas. Tertium: Doctrinam de futura vita & ultima resurrectione meras esse fabulas*. Et §. 28. de Joanne XXII. ait: *Qui palàm asseruit, animas esse mortales, unàque cum corporibus interire usque ad diem resurrectionis*

At quis non videt, has atroces esse calumnias, & impudentissima mendacia? Ubi enim pro Deo, pro Christo, pro futura vita & ultima resurrectione, fortiùs quàm Romæ semper pugnatum est, & adhuc pugnatur? Hoc de sua schola dicere debuisset, de qua extat celebre dictum, *Calvinismus facilem parat viam ad atheismum*. Quid moderni ejus Sequaces sentiant de Deo, de Christo, de futura vita, de resurrectione, eorum Libri, qui in dies prodeunt, nimis apertè nec sine horrore demonstrant. Quod verò imponit Joanni XXII., putidissima calumnia est, ut ostendi Tom. 2. in 1. p. Qu.2. de Visione Dei Dub. 3. §. 4. num.34. Visus est quidem Joannes

nes propendere in opinionem, Animas sanctas usque ad supremum Judicii diem Visione beatifica Dei non fruituras: quæstio enim hæc tunc nondum erat à Sede Apostolica definita; sed in utramque partem agitabatur. Sed non asserendo, nec ut ex Cathedra loquens dixit, sed opinando & ut privatus doctor; ut citato loco §.4. demonstravi & in Vera Eccl. Tom.1. cap.10. §.4. num.20.

Porrò etsi darem, Joannem XXII. in opinione, cujus oppositum nondum Ecclesia definierat, inclinasse, in hoc eum carpere non potuisset, cùm ipse etiam post definitam in Concilio Florentino veritatem, ausus fuerit Lib. 3. Inst. cap. 25. §. 6. asserere, tum præmia Beatorum, tum damnatorum supplicia manere suspensa usque ad Christi adventum in fine Mundi his verbis: *Interea quum Scriptura ubique jubeat, pendere ab expectatione adventus Christi, & gloriæ coronam eòusque differat; contenti simus his finibus divinitùs nobis præscriptis: animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam requiem concedere, ubi cum felici lætitia fruitionem promissæ gloriæ expectant: atque ita omnia teneri suspensa, donec Christus appareat Redemtor. Reprobis verò eandem esse sortem dubium non est, quam Judas Diabolis assignat, vinctos catenis teneri, donec ad supplicium, cui addicti sunt, trabantur*. Ita Calvinus. Non ita tamen dives ille Epulo Lucæ 16. qui sepultus in Inferno *Cùm esset in tormentis*, exclamavit dicens: *Crucior in hac flamma*.

XXIX. Ecclesiam dicit non habere potestatem ferendi leges, quæ conscientiam obligent Lib.4. Inst. cap.10.: Constitutiones Ecclesiasticas, sivè quæ cæremonias ac ritus, sivè quæ disciplinam spectant, perniciosas esse & impias, ibidem §.9. &c. Peto; si Ecclesia non habet à Christo potestatem condendi leges & præcepta obligantia in conscientia, cur Christus de peccatore, qui noluit fraternis monitis corrigi, dixit Matth.18. v.17. *Dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus?* Insuper. Cur conversus ad Apostolos statim subjunxit: *Amen dico vobis: quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo.* Quod supra cap.16. v.19. soli Petro Capiti dixerat *Quodcumque ligaveris super terram* &c. modò omnibus Apostolis repetens dicit Ecclesiæ. Dum ergo ea quæ Petrus & Apostoli seu Ecclesia ligaverint super terram, ligata fore & in Cœlo promittit Christus, numquid non dat Ecclesiæ potestatem ferendi leges in conscientia, & coram Deo obligantes? Præterea Paulus ad Romanos cap. 13. v. 1. scribit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damna-*

damnationem acquirunt. His Paulus declarat Principibus laicis, & seculari potestati, quia à Deo est, ejusque legibus sub damnationis pœna, idest in conscientia, obediendum esse. Et Calvinus contendit, Ecclesiæ leges non obligare in conscientia: Ecclesiæ, inquam, ad quam regendam eodem Paulo teste Act. 20. v. 28. Episcopos Spiritus Sanctus posuit: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo?* Hoc dixit Paulus, quia prævidebat, brevi ex ipsis lupos rapaces erupturos, ac viros loquentes perversa ut abducant discipulos post se; monens Pastores Ecclesiæ, ut vigilarent. Propterea Calvinus sibi conscius, ac sciens Ecclesiasticas leges suo fini fore perniciosas, eas & tanquam non obligantes in conscientia, ac propterea despiciendas proposuit; & quæ cæremonias, ritus, & disciplinam spectant, ut perniciosas & impias, ipse verè impius abolere, & sic uno ictu totum Ecclesiæ etiam veteris ordinem evertere tentavit.

XXX. Hinc Quadragesimale Jejunium inter superstitiosas observationes enumerat L.4.Inst.c.12. §.20. ubi carpens Veteres quasi in Jejunii laudes nimiùm effusos: *Et tunc*, inquit, *passim invaluerat superstitiosa Quadragesimæ observatio: quia & vulgus eximium aliquod obsequium Deo se in ea præstare existimabat, & Pastores eam commendabant pro sancta Christi imitatione, quum planum sit, non ideò jejunasse Christum, ut aliis exemplum præscriberet*. Indè §.21. in abstinentiam à carnibus diebus jejunio sacris insurgens: *Latæ sunt*, inquit, *impiæ leges, quæ conscientias exitialibus vinculis stringunt. Interdictus carnium esus, quasi hominem contaminaret*. Additque specie jejunii & abstinentiæ divites Deo illudere, dum lautissimas piscium parant mensas, in quibus ingurgitant. Sed hic est aliquorum fortè abusus, quem Ecclesia damnat, cùm plerique certè pii jejunium, & abstinentiam ad macerationem carnis frequentent. Pro jejunio & abstinentia in Quadragesima & aliis diebus fusè contra Piceninum Calvini gregalem egi in Vera Ecclesia Tom. 2. p.1. toto art. 6. Interim Calvinistæ & alii qui jejunia & abstinentias contemnunt, adeant inter veteres Basilium Homil.2. de Jejunio, & videant, quantùm à Catholica antiqua Ecclesia sint alieni.

XXXI. Ecclesiæ legem de cælibatu Sacerdotum tyrannicam vocat, & Verbo Dei contrariam Lib.4. Inst. cap.12. §. 20. *Certè*, inquit, *quòd Sacerdotibus interdictum fuit conjugium, id factum est impiâ tyrannide, non modò contra Verbum Dei, sed etiam contra omnem æquitatem*. Hæc est totius pseudo-Reformationis basis. Ab hac exordium fecit Lutherus, qui Sacerdos & Monachus sacrilegas cum Moniali nuptias contraxit, quem omnes, qui eum sequuti sunt,

ſunt, imitati fuere,ut ex dictis apparet. Porrò cùm adverſus hunc errorem multa ſcripſerim in Vera Eccleſia Tomo 2. p.1.art.5. & in Colloquiis Theologico-Polemicis Claſſe 1. non eſt cur in eo refutando manum iterùm hîc apponam.

XXXII. Vota abſtinentiæ, jejunii, peregrinationum ad ſanctiora loca, licèt fateatur aliquot ſeculis ſub ſpecie Religionis frequentata fuiſſe, ipſe tamen damnat, non ſolùm ut inania, & nugatoria, ſed ut plena manifeſtæ impietatis Lib. 4. Inſtit. c.13. §.6. Monaſticum Ordinem non eſſe ſingularem ſtatum adipiſcendæ perfectionis. Imò quot ſunt hodie Monaſteria, tot eſſe dicit ſchiſmaticorum conventicula: & quaſi Chriſtus eſſet diviſus, varia factionum nomina ſibi indiderunt, & *pro Chriſtianis, alios Benedictinos, alios Franciſcanos, alios Dominicanos vocari faſtuosè affectant*. Ita ibidem §.14., non advertens, quòd licèt in eis diverſa ſint nomina, in eis tamen diviſus non eſt Chriſtus, ſed unus in omnibus ſpiritus pro Chriſto ejuſque fide tuenda, & toto Orbe diſſeminanda, verbo & ſcriptis contra eos, qui eam quoquo modo lædere conati ſunt. Quod moderni Acatholici experti ſunt, & in dies experiuntur. Dicere potiùs & verè dicere debuiſſet, Chriſtum diviſum fuiſſe in Lutheranis, in ſui & aliorum Sectariis, quorum quilibet Chriſtum & ſuum Evangelium ſe habere gloriantur: cùm tamen de ſingulis Chriſtus dicat *Non novi vos*: ac de eis locutus fuerit Matth. 24. v. 23. *Si quis vobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic: nolite credere. Surgent enim pſeudo-Chriſti* &c.

Proſequitur Calvinus §. 15. ſuas in Monachos blaſphemias, dicens, Monaſteria eſſe potiùs lupanaria, quàm caſtitatis ſacraria, nec aliter porcos in haris ſaginari, quàm Monachos in cœnobiis. Et quamvis negare non poſſit, aliquos ex eis eſſe bonos; hos tamen ab ingenti malorum multitudine non ſolùm contemni, ſed crudeliter tractari dicit. Vota paupertatis & obedientiæ ſuperſtitioſa eſſe pronuntiat, & per ea Deo & hominibus illudi. Votum tamen continentiæ à primis ſeculis nuncupatum negare non audet §.17., ſed illud probat: *Fateor certè*, inquit, *antiquitùs quoquè receptum fuiſſe hunc morem: ſed eam ætatem ſic ab omni vitio liberam fuiſſe non concedo, ut pro regula habendum ſit, quidquid tunc factum eſt*. Et concludit, Monachos omnes Chriſtianæ privilegio libertatis à vinculis votorum abſolvi, maximè ſi ad cælibatum ſe quis idoneum non agnoſcat, quia ſupponitur, Deum tale votum non acceptaſſe. His monachatum & vota ab Eccleſia penitùs auferre contendit; quem omnes moderni Sectarii ſecuti ſunt. Contra hunc errorem videri poſſunt, quæ dixi in Vera Eccleſia Tom.2. p.1.art.5., maximè §.7. & in Colloquiis Claſſe 1.

XXXIII. Quam-

XXXIII. Quamvis Lib. 4. Inst. c. 9. §. 8. quatuor priora Concilia admittat, ac veneretur, quia eorum decreta Sacræ Scripturæ putat esse conformia, undè ait: *Priscas illas Synodos, ut Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, Chalcedonensem ac similes, quæ confutandis erroribus habitæ sunt, libenter amplectimur reveremurque ut Sacrosanctas, quantùm attinet ad fidei dogmata; nihil enim continent, quàm puram & nativam Scripturæ interpretationem, quam Sancti Patres spirituali prudentiâ ad frangendos Religionis hostes qui tum emerserant accommodarunt*. Generaliter tamen Concilia Generalia in tradendis fidei dogmatibus & Scripturæ Sacræ interpretatione errare posse dicit. Potestatem enim interpretandi Sacram Scripturam *sinè provocatione* penès Ecclesiam non esse: nec semper veram esse, & certam Scripturæ interpretationem, quæ Conciliorum suffragiis fuerit recepta, sed eorum decreta Verbo Dei examinanda. Ita discurrit §. 14. ubi Conciliis Romanensibus sub Papa coactis, quamquam ex Sacræ Scripturæ interpretatione pronuntient, standum non esse concludit.

Ad tam execrabilem Calvini impudentiam quis non exhorreat? Petam igitur. Si in definiendis fidei dogmatibus judicium Ecclesiæ in Conciliis Œcumenicis congregatæ adeò tutum non est, quin liceat, ad alium Judicem provocare, ad quem ipse provocabit? Dicet: ad Deum in Scripturis loquentem. Benè. At etiam Concilia ex Deo in Scripturis loquente sua decreta ediderunt: & tamen dicis fieri potuisse, ut Dei mentem non sint assecuta: & ideò ad alium Judicem esse provocandum. Quis ergo erit iste Judex, cui mentem suam Deus revelavit, ut ejus judicio tutò standum sit? An tu, & alii pseudo-reformatores? Ità sentis. At ostende mihi ex Scripturis, vobis factam à Deo hanc promissionem. Eam factam Ecclesiæ à Christo, Matthæus testatur cap. 28. cùm postquam dixerat Apostolis *Euntes docete omnes gentes*, subjunxit: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*. Vel ergo Christus ante modernos pseudo-Reformatores cum Ecclesia non fuit, & eam in via salutis & doctrinæ errare permisit, ac promissis non stetit: vel, ut verum est, Calvinus & alii ab Ecclesia segreges, non à Christo, sed à Satana ad eam à veritate fidei seducendam missi sunt. Sed quia sibi ipsis solis datam esse veram Scripturæ intelligentiam & interpretationem jactant, eos mendacii unico Scripturæ textu ad evidentiam convincam. Circa sensum horum Verborum Christi: *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Sanguis meus*, rejectâ Ecclesiæ Catholicæ perpetuâ interpretatione, nempè, Corpus & Sanguinem Christi verè & realiter in Eucharistia adesse per Transubstantiationem panis in Corpus, & vini in Sanguinem

nem Christi: rejectâ, inquam, tanquam erroneâ, ipsi in eis interpretandis discordes sunt. Lutherus, & qui cum eo sunt, sensum verborum hunc esse volunt, quòd Corpus & Sanguis Christi verè quidem ibi adsint, sed simul cum pane & vino; alii quidem etiam extra sumtionem, alii in sumtione tantùm. Calvinus verò, Zuinglius, Œcolampadius contendunt, sensum verborum illorum esse, quòd Corpus & Sanguis Christi ibi solùm sint tanquam in figura & signo. Alterutram ex dictis interpretationibus falsam, & à mente Christi alienam esse oportet. Quænam ergo erit sensui Scripturæ & menti Christi conformis? Lutherus suam dicet: Calvinus verò & socii, suam. Ego autem neutram, & quidem verè, dicam. En iisdem armis, quibus Ecclesiam Catholicam aggrediuntur, ipsos perculsos ac prostratos.

§. IX.

Errores circa Sacramenta generatim.

XXXIV. SAcramentum Lib. 4. Instit. cap. 14. §. 1. ita definit: *Externum esse Symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem: & nos vicissim pietatem erga eum nostram, tam coram eo & Angelis, quàm apud homines testamur.* Nomine autem *Benevolentiæ* Prædestinationem intelligit, seu æternam illam caritatem, quâ Deus Electos diligit: in solis enim Electis Sacramenta vim suam exercere asserit: *Sedulò*, inquit, *docemus, Deum non promiscuè vim suam exerere in omnibus qui Sacramenta recipiunt, sed tantùm in Electis. Nam quemadmodum non alios in fidem illuminat, quàm quos prædestinavit ad vitam: ita arcana Spiritus sui virtute efficit, ut percipiant Electi quæ offerunt Sacramenta, Reprobis peræquè Sacramenta administrantur: Veritas autem signorum ad hos solos pervenit.* Quomodo alii Acatholici definiant Sacramentum, quomodo verò Catholici, videri possunt quæ dixi Tomo 2. in 3. p. q. 1. Dub. 1. §. 2. & 3. ubi refutatis erroribus, Catholicam veritatem statui.

XXXV. Verbum, quo Sacramentum conficitur, non consecratorium, sed dumtaxat concionatorium, idest, annuntians Dei promissionem esse contendit. Ita Lib. 4. Inst. cap. 14. §. 4. *Verbum*, inquit, *intelligere debemus, non quod sinè sensu & fide insusurratum solo strepitu, velut magicâ incantatione consecrandi elementi vim habeat: sed quod prædicatum intelligere nos faciat, quid visibile signum sibi velit. Quod ergo sub Papæ tyrannide factitatum est, non caruit* in-

ingenti mysteriorum profanatione, putarunt enim satis esse, si Sacerdos, populo sinè intelligentia obstupente, consecrationis formulam demurmuraret: Imò id datâ operâ caverunt, ne quid doctrinæ indè ad plebem perveniret; omnia enim latinè pronuntiarunt apud homines illiteratos. Et post multa concludit: *Ergo cùm de verbo sacramentali fieri mentionem audimus, promissionem intelligamus, quæ clarâ voce à Ministro prædicata, plebem eò manuducat, quò signum tendit, ac nos dirigit.* In hoc convenit etiam Lutherus. Sed uterque delirat. Aliud enim est verbum hominis, quod ad instructionem suscipientis præmittit qui Sacramentum conferre vult (quod tamen de necessitate non est, ut dum baptizantur parvuli) & hoc etiam apud nos, & quidem linguâ vulgari ad modum Catechismi præmittitur. Aliud est Verbum Dei, quo conficitur Sacramentum, & est pars essentialis ejus: & hoc debet esse verbum consecratorium; & hoc est, de quo S. Augustinus dicit Tract. 80. in Joann. *Accedit Verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.* Utrumque indicavit Christus Matth. 28. v. 19. Cùm enim ait Apostolis: *Euntes docete omnes gentes*, ecce verbum concionatorium, cùm verò addit: *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, ecce verbum consecratorium. De hoc locutus sum Tom. 2. in 3.p. Qu.2. Dub. 2. §.3.

XXXVI. Nullam inesse Sacramentis vim & efficaciam conferendi gratiam ex opere operato, sed solùm excitare, & alere fidem, eo modo quo prædicatio Verbi, asserit Lib. 4. Inst. cap. 14. §. 14. *Magno enim consensu Sophisticæ Scholæ tradiderunt, Sacramenta novæ Legis, hoc est, quæ nunc in usu sunt Christianæ Ecclesiæ, justificare & conferre gratiam, modò non ponamus obicem peccati mortalis. Quæ sententia dici non potest quàm sit exitialis & pestilens, eòque magis quòd multis ante seculis magnâ Ecclesiæ jacturâ in bona Orbis parte obtinuit. Planè certè diabolica est. Nam dum justitiam citra fidem pollicetur, animas in exitium præcipites agit: deindè quia justitiæ causam à Sacramentis ducit, miseras hominum mentes in terram suâpte spontè plus satis inclinatas, hâc superstitione illigat, ut in spectaculo rei corporeæ potiùs, quàm in Deo acquiescant.*

Propterea §. 17. *Quamobrem*, inquit, *fixum maneat, non esse alias Sacramentorum, quàm Verbi Dei partes: quæ sunt offerre nobis ac proponere Christum, & in eo cœlestis gratiæ thesauros: nihil autem conferunt aut prosunt, nisi fide acceptâ, non secùs ac vinum, vel oleum, vel alius liquor, quàmlibet largè infundas, effluet tamen ac peribit nisi aperto vasis ore: vas autem ipsum undique perfusum, inane nihilominus ac vacuum manebit. Cavendum præterea, ne in errorem hujus affinem nos abducant, quæ ad amplificandam Sacramentorum dignitatem*

tem paulò magnificentiùs à veteribus scripta sunt : ut scilicet arbitremur latentem aliquam virtutem Sacramentis adnexam affixamque esse, quo ipsa per se Spiritus Sancti gratias nobis conferant, quemadmodum vinum in cratere propinatur : cùm hoc tantùm divinitùs illis injunctum sit munus, testificari nobis ac sancire Dei in nos benevolentiam. Ita Calvinus Sacramenta ad mera sigilla Dei benevolentiam nobis testificantia reducit: & nedum Recentiores, sed & Veteres damnat, quasi id, quod solius Dei est, nempè gratiam sanctificantem conferre, Sacramentis quæ res corporeæ sunt, adjudicarint; quo factum sit, ut homines in spectaculo potiùs rei corporeæ quàm in Deo acquiescant.

Sed Calvinum, & alios similis furfuris, vel in Catholica doctrina prorsùs esse jejunos, vel ei calumniam falsò imponere, jam ostendi Tomo 2. in 3. p. qu.2. Dub.1. ubi dixi, Doctrinam Catholicam semper fuisse, solùm Deum esse causam principalem Gratiæ ad eam causandam in eis, qui cum fide & benè dispositi accedunt; sed uti Sacramentis tanquam instrumentis, & per ea dignè suscipientibus gratiam suam largiri, & aditum ad æternam gloriam aperire. Hoc didicit à Christo ipso Joan.3. v. 5. dicente: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*. Ubi ly *ex Aqua & Spiritu* denotat causalitatem principalem Spiritus, & instrumentalem Sacramenti. Unde Paulus ad Titum 3. v.5. *Salvos nos fecit* (inquit) *per lavacrum regenerationis*, ubi ly *per* denotat causam instrumentalem. Cætera citato loco videnda relinquo, sicut etiam Adversariorum momenta soluta §. 3. & 4.

Quia verò Calvinus, & sui gregales obstrepunt contra Catholicos quòd dicant, Sacramenta causare gratiam *ex opere operato*. unde dicto cap. 14. §. 26. Calvinus ait: *Hujus quoquè rei breviter admonitos esse Lectores expedit, quidquid de opere operato nugati sunt Sophistæ, non modò falsum esse, sed pugnare cum Sacramentorum natura, quæ instituit Deus ut fideles vacui bonorum omnium, & inopes, nihil præter mendicitatem eò afferant. Unde sequitur, ea recipienda nihil istos agere, unde laudem mereantur, vel in actione (quæ eorum respectu merè passiva est) nullum illis posse opus adscribi*. Sed hìc Calvinus dum putat *opus operatum* à nobis Sacramentis assertum esse opus hominis, & suscipientis, in Theologia prorsùs hospitem & peregrinum se prodit. Sciat ergo Calvinus, quòd cum dicimus Sacramenta causare in nobis gratiam *ex opere operato*, non intelligimus opus operatum ab homine, vel ministrante, vel suscipiente Sacramentum, quasi vi hujus conferat Sacramentum gratiam, aliàs deberet dici, quod eam conferant *ex opere operantis*. Sed opus

operatum Christi, qui merito suæ passionis communicat Sacramentis ab ipso institutis vim & efficaciam conferendi gratiam illis qui debitè dispositi ad ea accedunt. Hæc est doctrina Catholica, de qua etiam locutus sum loco supra citato §. 2. & 3.

XXXVII. Ex præcedenti errore alterum infert Calvinus, nempè, Inter Sacramenta Veteris & Novæ Legis quoad vim & efficaciam nullum esse discrimen. Ita Lib. 4. Inst. c. 14. §. 23. ait: *Scholasticum autem illud dogma (ut hoc quoquè obiter perstringam) quo tam longum discrimen inter Veteris ac Novæ Legis Sacramenta notatur, perindè ac si illa non aliud quàm Dei gratiam adumbrarint: hæc verò præsentem conferant, penitùs explodendum est. Siquidem nihilo splendidiùs de illis Apostolus, quàm de his loquitur* (1. Cor. 10. v. 3.) *quum docet Patres eandem nobiscum spiritualem escam manducasse: & escam illam Christum interpretatur. Quis inane ausit facere signum illud, quod veram Christi communionem Judæis exhibebat?* Et post multa: *Nec verò Baptismo nostro plus tribuere fas est, quàm ipse alibi* (Rom. 4. v. 11.) *Circumcisioni tribuit, quam vocat sigillum justitiæ fidei. Quidquid ergo nobis hodie in Sacramentis exhibetur, id in suis olim recipiebant Judæi, Christum scilicet cum spiritualibus suis divitiis.*

De hoc egi Tomo 2. in 3. p. qu. 4. de Efficacia Sacram. Dub. 4. ubi ostendi ex Scriptura & Patribus, Sacramenta Vetera non contulisse ex se gratiam, sed solùm ex fide suscipientis in Christum venturum, Nova verò annexam operi habere justificationis gratiam. Hinc S. Augustinus in Psal. 73. *Alia*, inquit, *sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta Novi Testamenti dant salutem: Sacramenta Veteris Testamenti promiserunt Salvatorem. Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora.* Conformiter ad hæc Qu. 25. in Numeros de Sacrificiis Legis, ait: *Quòd si per se ipsa attendantur, nulli peccato possunt mederi: Si autem res ipsæ quarum hæc Sacramenta sunt inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum.* Hujus congruentiam indicat S. Th. 3. p. qu. 62. art. 6. Congruebat enim, ut quia omnis justificatio semper fuit per Christum, aliter justificaret Christus futurus, ac justificat Christus præsens. Christus enim præsens debet justificare eo modo quo operantur res præsentes: Christus autem futurus debuit eo modo justificare quo causant res futuræ: sed res præsentes possunt operari physicè, agendo etiam per res externas, quibus utuntur ut instrumentis: res autem futuræ non possunt operari, nisi inquantùm sunt intentionaliter in actu animæ eo modo quo finis movet, inquantùm est in cognitione: ergo Christus præsens debet nos justificare activè per Sacramenta, qui-

quibus ipse communicat vim ad causandam gratiam : Christus autem futurus debuit justificare ut apprehensus per fidem. Unde Sacramenta vetera erant quædam protestationes fidei, quâ credebatur in Christum venturum.

Nec Calvino suffragatur, quod ex Paulo colligit de Manna & aqua fluente ex petra, quæ fuerunt Judæis cibus & potus spiritualis. Nam ibi non intendit Paulus assimilare in omnibus Manna & aquam cum Sacramentis nostris, ut hæc non plus habeant :. Sed solùm ostendere quòd licèt omnes Judæi de cibo illo & potu spirituali quia figura erat Christi, participaverint, quia tamen non omnes Deo placuerunt, ideò plures eorum *prostrati sunt in deserto.* Et hoc idem eveniet nobis : unde subdit : *Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut illi concupierunt : neque Idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis*. In hoc ergo stat comparatio, non in vi, & efficacia. Præterea nec Manna, nec aqua illa fuerunt apud Judæos Sacramenta, cùm ex illis etiam bestiæ comederent & biberent. Et dato quòd fuissent, fuerunt tamen puræ figuræ, ideòque non tantæ virtutis, quantæ sunt nostra, quæ per illa figurabantur, sicut non tantæ virtutis est umbra, quantæ est corpus. Idem dico de Circumcisione. Erat enim signaculum justitiæ fidei. Quia scilicet justitia erat ex fide significata, non ex Circumcisione significante : & in ea conferebatur quidem gratia, non ex virtute Circumcisionis, sed ex virtute Passionis Christi, cujus signum erat Circumcisio, & cujus fidem qui eam suscipiebant, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis, profitebantur. At Sacramenta Novæ Legis non fide solâ, sed vi & efficaciâ Passionis Christi jam peractæ in eis, & per ea operantis, gratiam conferunt. Videantur quæ dixi Tom. 2. in 3.p. qu.4. Dub. 5.

XXXVIII. Characterem Sacramentalem, ceu figmentum explodit in Antidoto Conc. Trident. in Canonem 9. sess.7. his verbis : *Quod de charactere indelebili fabulantur, ex eadem prodiit officina : nam Veteribus hoc totum ignotum fuit : & magis consentaneum est incantationibus magicis, quàm sanæ Evangelii doctrinæ. Eâdem ergo facilitate repudiabitur, quâ excogitatum fuit*. Hujus tamen nebulonis impudentem inscitiam coercere fategi dicto Tomo 2. in 3. p. qu. 5. Dubio 1. ubi characteris nomen Veteribus ignotum non fuisse ostendi, dum aliqui eorum nomen characteris vel signaculi (quod idem est) usurparunt. In Scriptura verò licèt vox characteris de Sacramentis non legatur, legitur tamen, per aliqua Sacramenta nos Spiritu Sancto signari. Ut de Baptismo apud Paulum ad Ephes. 1. v.13. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto*, & cap.4. v.30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo*

quo signati estis; idest, ut notat Chrysostomus Homil. 2. in cap. 1. ad Ephes. signati non tantùm signo præscientiæ & prædestinationis, sed Spiritus Sancti, ut manifesti sitis, aliter tamen ac olim. Nam *signati fuerunt etiam Israelitæ, sed Circumcisione, sicut pecora, & bruta. Nos quoquè signati sumus, sed sicut filii, Spiritu*. Estò autem signum hoc non sit sensibile in se ipso, quia est in anima; est tamen sensibile in sua causa, nempè in Sacramento, quo imprimitur, & in effectibus ad quos datur. Reliqua videantur quæ dixi citato loco, maximè §. 2. ubi Calvini & aliorum fallacias retudi.

XXXIX. Tria tantùm Sacramenta à Christo instituta agnoscit, Baptismum, Cœnam, & Ordinationem. Duo quidem priora, ut omni Ecclesiæ communia; tertium verò pro solis Ministris speciale. Ita Lib. 4. Inst. Ubi enim cap. 18. §. 19. & 20. sola duo Baptismum & Cœnam admittit; attamen cap. 19. §. 31. Ordinationem, quæ solâ manuum impositione sinè sacri Olei unctione fit, Sacramentis accenset: *Superest*, inquit, *impositio manuum, quam ut in veris legitimisque Ordinationibus Sacramentum esse concedo*. Et Lib. 4. Inst. cap. 14. postquam §. 19. Confirmationem, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, & Matrimonium à Sacramentorum numero expunxerat, §. 20. recensitis Judæorum Sacramentis: *Hæc*, inquit, *Judæorum fuerunt Sacramenta usque ad Christi adventum; quo abrogatis illis, Sacramenta duo instituta, quibus nunc Christiana Ecclesia utitur, Baptismus & Cœna Domini. Loquor autem de iis quæ in usum totius Ecclesiæ sunt instituta. Nam impositionem manuum, quâ Ecclesiæ Ministri in suum munus initiantur, ut non invitus patior vocari Sacramentum, ita inter ordinaria Sacramenta non numero*. Miror tamen, quòd inter ordinaria Sacramenta Calvinus non numeret Matrimonium, quod vult omnibus esse commune, & *Sacramentum* dicitur à Paulo Ephes. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia*. Ab hoc errore confutando hìc abstinebo; cùm de eo abundè dixerim Tom. 2. in 3. p. q. 3. Dub. 1., ubi §. 1. inconstantiam hæreticorum & varietatem circa numerum Sacramentorum ostendi. §. 2. veritatem Catholicam demonstravi. §. 3. eorum objectis respondi.

XL. Ministri intentionem non esse ad Sacramentum necessariam, effutit in Antidoto Conc. Trid. in Canonem 11. sess. 7. ubi loquens de intentione consecrantis: *Quod*, inquit, *de intentione consecrandi garriunt, à Sophistis nullâ probabili ratione fuit proditum.... Ego verò Sacrosanctæ Christi institutioni tantum defero, ut si Epicureus quispiam, intùs totam actionem subsannans, mihi Cœnam ex Christi mandato, & secundùm regulam ab eo datam rituque legitimo administret, non dubito panem & calicem illius manu porrecta,*
vera

vera mihi esse Corporis & Sanguinis Christi pignora. Hoc loquendi modo Calvinus videtur solùm velle, quòd, etsi Minister internè non intendat conferre imò derideat Sacramentum, dummodò tamen exteriùs seriò omnia secundum ritum legitimum peragat, validè conferat; Quam opinionem etsi ab aliquibus cæteroquin Catholicis, ut Catharino, Juvenin, Serry & aliis propugnatam, reprobasse visus est Alexander VIII. 7. Sept. 1690. qui inter alias hanc Propositionem num. 28. damnavit: *Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum formamque Baptismi observat, intus verò in corde suo resolvit, non intendo facere quod facit Ecclesia*. Si hoc Calvinus purè intenderet, eum in hoc Acatholicum fortè non pronuntiarem.

Verùm quia probabile est, eum velle ita excludere intentionem Ministri, ut sentiat cum Luthero, quòd Sacerdos etiam levis ac ludens dummodò omnia agat ex præscripto Christi, verè baptizat, & Eucharistiam conficit; ideò ab hæresi in hoc eum non absolvo. Videre poterit Studiosus quæ de hoc dixi Tom.2. in 3.p. Qu. 7. Dub. 2. & 3.

§. X.

Errores de Baptismo, Eucharistia, Scripturis &c.

XLI. Baptismum & Eucharistiam quam vocat *Cœnam* admittit quidem Calvinus ut Sacramenta, sed variis erroribus polluta. De Baptismo dicit, Baptisma Joannis idem esse, ac Baptisma Christi. Ita Lib.4. Instit. cap.15. §. 7. *Quo etiam certissimum sit* (inquit) *idem fuisse prorsùs Joannis ministerium, quod Apostolis postea delegatum est. Non enim alium Baptismum faciunt diversæ manus quibus administratur, sed eundem esse eadem doctrina ostendit. In unam doctrinam Joannes & Apostoli consenserunt: utrique in pœnitentiam, utrique in remissionem peccatorum, utrique in nomen Christi.... Quare neminem perturbet, quòd alterum ab altero discernere Veteres contendunt, quorum non tanti nobis esse debet calculus, ut Scripturæ certitudinem quatefaciat*. Indè rejicit Chrysostomum, & Augustinum oppositum sentientes, quasi sibi majus lumen pro intelligentia S. Scripturæ affulsisset. Si ergo Baptismus Joannis erat idem ac Baptismus Christi, cur Joannes ipse Matth.3. v.11. dixit: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam. Qui autem post me veniet fortior me est... ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni?* Numquid Baptismus in aqua solùm est idem, ac Baptismus in Spiritu Sancto? Si idem erat Baptismus quod Joannes

nes, & Apostoli cum solâ diversitate manuum quibus ministrabatur: cur Paulus Act. 19. veniens Ephesum, & interrogans aliquos in quo baptizati essent, ac respondissent *In Joannis Baptismate*. v.4. dixit: *Joannes baptizavit Baptismo pœnitentiæ populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Jesum*. Et his auditis, baptizati sunt in nomine Jesu? Erat ergo Baptismus Joannis præparatorius quidem ad Baptismum Christi, sed non idem cum illo: alioquin baptizati semel Baptismo Joannis non debuissent Baptismo Christi iterum baptizari. Sed de hoc egi Tom.2. in 3.p. qu.1. de Bapt. Dub.1. ubi etiam Calvini momenta dissolvi.

XLII. Baptismum esse medium ad salutem necessarium negat: fideliumque parvulos sinè Baptismo, si morte intercipiantur, salvari asserit, quòd sancti sint, & Ecclesiæ membra: & in fœderis hæreditatem, statim ac nati sunt, à Deo recipiantur. Unde Lib. 4. Instit. cap. 15. §. 20. *At*, inquit, *periculum est, ne is qui ægrotat, si absque Baptismo decesserit, regenerationis gratiâ privetur. Minimè verò. Infantes nostros antequam nascantur, se adoptare in suos pronuntiat Deus, quum se nobis in Deum fore promittit, seminique nostro post nos. Hoc verbo continetur eorum salus.... Quantum damni invexerit dogma illud malè expositum, Baptisma esse de necessitate salutis, pauci animadvertunt, ideòque minùs sibi cavent. Nam ubi invaluit opinio, perditos esse omnes, quibus aquâ tingi non contigit, nostra conditio deterior est quàm veteris populi, quasi restrictior esset Dei gratia quàm sub Lege. Venisse enim Christus censebitur, non ad implendas promissiones, sed abolendas: quando promissio quæ tunc ante octavum diem saluti conferendæ per se erat satis efficax, nunc absque signi adminiculo rata non esset*. Ita Calvinus.

Causam hanc contra ipsum & Pelagium aliosque fusè tractavi dicto Tom. 2. in 3. p. de Baptismo qu. 5. Dubio 1., ubi ex Scriptura & Patribus necessitatem Baptismi etiam parvulis demonstravi; quæ videri possunt. Ad ea quæ Calvinus objicit, breviter dicam, petens primò ab ipso, Filii Fidelium: quos dicit etiam antequam nascantur pronuntiatos esse filios Dei: nascuntur ne peccati originalis immunes, vel ejus sorde maculati? Si dicat primum, sentit cum Pelagio. Si verò dicat secundum: ergo non nascuntur adoptati in filios Dei, sed ut adhuc filii iræ & damnationis, & adhuc indigentes, ut filii Dei & capaces salutis efficiantur. Quo autem id obtinebunt, nisi Baptismo? In hoc Calvinus deterior est Pelagio. Nam Pelagius negabat, parvulos nasci peccato originali infectos, & ideò eos sinè Baptismo salvos fore dicebat, non tamen ad Regnum Cœlorum admittendos. At Calvinus eos nasci cum originali admittit, & sinè Baptismo etiam Regni Cœlorum capaces pro-

pronuntiat. Quod autem secundò dicit; quòd filii Hebræorum morientes ante Circumcisionem, & diem octavum, adhuc salutis capaces erant, ideòque parvuli Christianorum deteriores essent, si hoc privilegio non gauderent; nihil eum juvat. Nam si ab exemplo puerorum Hebræorum qui morientes ante diem Circumcisionem salutis capaces erant, deduci hoc idem posset de pueris Christianorum morientibus ante Baptismum; cur sicut à debito Circumcisionis excludebantur feminæ, eas etiam apud Christianos, ne deterioris conditionis sint, non excludit? Sciat ergo legem Circumcisionis pro solis masculis, nec nisi octavo die à nativitate conferendæ, fuisse latam; & ideò æquum fuit, ut tam pro feminis quàm pro parvulis ante octavum diem decedentibus, continuaret remedium, quod ante institutam Circumcisionem, nempè fides in Christum sivè propria sivè offerentium, servabatur. At lex de Baptismo lata est pro omnibus, nec de eo suscipiendo determinatum tempus, sed statim ac semper ad salutem indispensabiliter obligans, ex præcepto Christi Jo. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Licèt autem Calvinus neget hic, Christum loqui de aqua Baptismi, oppositum tamen sensit quovis seculo Ecclesia, cui favet Paulus ad Titum 3. v. 5. dicens: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Adhuc tamen apertior est via salutis in Lege nova, quia Baptismus in materia communi, ubique obvia, à quolibet, ac ubilibet administrari potest. Hæc duo postrema Calvinus non admittit, sed immeritò ut statim dicam.

XLIII. Supposito præcedenti errore, quòd Infantes in salutis discrimen non veniant, si absque Baptismo è vita migrent, alterum subjicit: nempè, laicos ac mulieres etiam in periculo mortis Baptismum administrare non posse. Ita Lib. 4. Instit. cap. 15. §. 20. *Quod autem*, inquit, *multis ab hinc seculis, ideòque ab ipso ferè Ecclesiæ exordio usu receptum fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent, si Minister in tempore non adesset, non video quàm firmâ ratione defendi queat. Ne ipsis quidem veteribus, qui hunc morem vel tenebant vel patiebantur, constabat, an rectè id fieret. Hanc enim dubitationem præ se fert Augustinus* (Lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 13.) *quùm dicit* „ Etsi laicus necessitate compulsus Baptismum dederit, nescio, an piè quisquam dixerit esse repetendum. „ Nullâ enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio „ est. Si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est „. *De mulieribus porrò citra ullam dubitationem sancitum fuit in Concilio Carthaginensi 4. Can. 100. ne baptizare omninò præsumerent*. Baptismum quoquè in privatis ædibus, quâlibet ur-

gente necessitate, conferri non permittit: sic tamen collatum, irritum non censet, ut nec administratum in Romanæ Ecclesiæ communione. Sic in Epist. ad Lælium Socinum.

Ita discurrit Calvinus, cùm enim, ut vidimus, non existimet, Baptismum tantæ esse necessitatis, quin sinè illo possit homo salvari, propterea vult, à solis Ministris & in Ecclesia nullâ obstante necessitate peragi. At Ecclesia Catholica, quæ semper docuit, Baptismum tantæ necessitatis esse, ut sinè illo salus haberi non possit, cuique etiam laico & mulieri concessit, ut urgente mortis periculo, & deficiente præsentiâ Ministri, illum validè & licitè conferre posset, ubilibet periclitans inveniretur. Hoc ostendi Tomo 2. in 3. p. Qu.4. de Ministro Bapt. Dub.2., ubi iis quæ objicit Calvinus ex Augustino & Concilio Carthaginensi etiam satisfeci, quæ hìc repetere superfluum foret. Solùm repetam ex Tertulliano Lib. de Bapt. cap. 17. *Sufficiat scilicet in necessitate, ut utaris, sicubi aut loci aut temporis aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urget circumstantia periclitantis.* Et rationem dat S.Th. 3. p. qu. 67. art. 4. quicumque sit qui baptizat, Christus est qui principaliter baptizat.

XLIV. Solam Baptismi suscepti recordationem peccata post Baptismum commissa expiare, asserit, absque Pœnitentiæ Sacramento. Ita Lib.4. Inst. c.15. §. 3. *Neque verò existimandum est*, inquit, *Baptisma in præteritum dumtaxat tempus conferri, ut novis lapsibus, in quos à Baptismate recidimus, quærenda sint alia nova expiationis remedia, in aliis nescio quibus Sacramentis, periudè ac si illius vis obsoleta esset. Hoc quidem errore olim factum est, ut nonnulli nisi in ultimo vitæ discrimine, atque adeò inter ultimos spiritus Baptismo initiari nollent, ut sic totius vitæ obtinerent veniam ..... Itaque quoties lapsi fuerimus, repetenda erit Baptismi memoria, & hâc armandus animus, ut de peccatorum remissione semper certus securusque sit. Nam etsi semel administratus præteriisse visus est, posterioribus tamen peccatis non est abolitus. Puritas enim Christi in eo nobis oblata est, ea semper viget, nullis maculis opprimitur, sed omnes nostras sordes obruit & extergit. Neque hinc tamen peccandi in futurum licentia captanda est.... Sed hæc doctrina iis tantùm traditur, qui ubi peccaverunt, peccatis suis fatigati & oppressi gemunt, ut habeant quo se erigant, & consolentur, ne in confusionem ac desperationem ruant.*

Et §. 4. addit: *Equidem scio, aliud communiter receptum esse, Pœnitentiæ & Clavium beneficio nos obtinere post Baptismum remissionem, quæ primâ regeneratione per solum Baptismum nobis datur. Sed qui hoc comminiscuntur, in eo errant, quòd non cogitant, potestatem Cla-*

Clavium de qua loquuntur à Baptismo sic pendere, ut nullo modo separari debeat ..... Et hic error commentitium Pœnitentiæ Sacramentum nobis peperit.

Ex hactenus dictis à Calvino apparet, quodcumque flagitium quamvis nefarium & horrendum Calvinistæ committant, modò se baptizatos meminerint, eis ampliùs à Deo non imputari, sed prorsùs condonari. An hæc doctrina facilem & amplam aperiat ad omne scelus viam, prudens ac pius Lector judicet. Certè si aliquis diplomate, sigillo regio munito, in gratiam Regis acceptatus, post acceptationem contra legem Regiam in aliquo graviter deliquerit, ut in Regis gratiam iterum restituatur, & debitas pœnas evitet, non sat ei erit, ut Regii sigilli jam accepti meminerit, sed oportebit ut per vera pœnitentiæ signa humilis à Rege veniam supplicet. Cùm ergo juxta Calvinum Baptismus sit sigillum, quo Deus hominem adoptatum in suum testificatur: si post acceptum sigillum labatur in crimen, quomodo solâ recordatione accepti sigilli, absque ullo pœnitentiæ signo, culpâ ei remissâ in gratiam Dei restituetur? Manet in eo Baptismus, & in Baptismo janua aperta ad veniam pro peccatis post Baptismum commissis obtinendam, non solâ memoriâ Baptismi, sed Pœnitentiâ: unde S. Petrus arguens Simonem Magum, qui jam baptizatus in Simoniæ crimen lapsus fuerat, Act. 8. v. 22. non dixit ei: Recordare suscepti Baptismi, sed, *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*. Deindè Christus Jo. 20. v. 23. Apostolis dedit potestatem remittendi & retinendi peccata, præter potestatem baptizandi, quam dederat eis Matth. 28. v. 19. Ad quid autem servisset potestas hæc remittendi peccata vel retinendi, si omnia solâ memoriâ Baptismi condonantur? Sed hæc adeò aperta sunt, ut in eis immorari non expediat.

XLV. Licèt Eucharistiam, quam Cœnam vocat, Sacramentum esse non neget Calvinus, de ea tamen nimis blasphemè loquitur. Nam primò: Transubstantiationem panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi velut figmentum impugnat. Secundò: Eucharistiam adorandam, asservandam, circumferendam, & extra usum & manducationem Sacramentum esse negat. Tertiò: Quam nobis commendat Christus, non aliam esse *quàm Fidei manducationem*. Quartò: Verba institutionis, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Sanguis meus*, figuratè accipienda esse, ut panis & vinum dicantur esse id quod significant; & eos, qui literalem sensum urgent, tanquam præposteros interpretes esse repudiandos. Hinc tollendam esse omnis realis præsentiæ imaginationem; nam signa quidem in hoc Mundo sunt, cernuntur oculis, palpantur manibus; Christus tamen

men quatenus homo est, non alibi quàm in Cœlo est, nec aliter quàm mente, & fidei intelligentiâ quærendus. Hunc suum errorem passim effundit L.4.Inst.c.17. & Catholicos, pro veritate realis præsentiæ & transubstantiationis invictè certantes, fallacibus argumentis & dicteriis de more lacessit. Verùm quia contra hunc errorem jam egi supra cap. 87. in Berengario, & §. 4. etiam contra modernos Berengarianos, & antea fusè impleveram contra Jacobum Piceninum Calvinistam in Vera Ecclesia Tom.2. p. 2. art. 12. & Tomo 3. in 3.p. de Eucharistia qu.3. Dub.1., ubi hanc fuisse perpetuam Ecclesiæ fidem ostendi, & adversa momenta dissolvi, idcircò ab ulteriori discussione in præsens abstinebo.

Solùm addam, quòd ne à veritate prorsùs recedere Calvinus videatur, eamque vel nolens sub ambagibus verborum atque involucris cum sua sententia conciliare conatur. Dicto enim L.4. c.17. §.11.ait: *Dico igitur in Cœnæ mysterio per symbola panis & vini Christum verè nobis exhiberi;adeòque Corpus & Sanguinem ejus, in quibus omnem obedientiam pro comparanda nobis justitia adimplevit: quo scilicet primùm in unum Corpus cum ipso coalescamus; deindè participes substantiæ ejus facti, in bonorum omnium communicatione virtutem quoquè sentiamus.* At, quæso, Calvine, si tu panem & vinum ponis nuda signa Corporis & Sanguinis Christi, quomodo dicere potes, per ea *Christum nobis verè exhiberi?* an per signum vel imaginem verè exhibetur id, quod significat vel repræsentat?

Insuper §.32. *Porrò*, inquit, *de modo si quis me interroget, fateri non pudebit, sublimius esse arcanum, quàm ut vel meo ingenio comprehendi, vel enarrari verbis queat; atque ut apertiùs dicam, experior magìs, quàm intelligam. Itaque veritatem Dei, in qua acquiescere tutò licèt, hìc sinè controversia amplector. Pronuntiat ille Carnem suam esse animæ meæ cibum, Sanguinem esse potum. Talibus alimentis animam illi meam pascendam affero. In Sacra sua Cæna jubet me sub symbolis panis ac vini Corpus & Sanguinem suum sumere, manducare ac bibere; nihil dubito, quin ipse verè porrigat, & ego recipiam. Tantùm absurda rejicio* &c. Si ergo fateris hoc esse mysterium, quod nec eloqui nec capere vales: si fateris, quòd Christus verè porrigat tibi, & tu accipias suum Corpus & Sanguinem sub illis symbolis, ut promisit in Cœna; cur Christo pronuntianti sub illis symbolis, se tibi tradere suum Corpus & Sanguinem dicendo, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Sanguis meus*, non captivas cum tota Ecclesia intellectum tuum in obsequium fidei, sed judicem te constituis mysterii, quod te non capere fateris? Dum panem & vinum ponis vacua & nuda signa Corporis & Sanguinis Christi: ubi erit mysterium, ubi arcanum, quod tu ipse non capere fateris?

XLVI. Do-

XLVI. Docet insuper, impios in Eucharistia non recipere Christi Corpus, sed symbola tantùm. Ita Lib.4. Inst. cap.17. §.33. & 34. ubi post multa præcipuè ex Paulo & Augustino concludit: *Unde sequitur, visibili tantùm signo incredulos communicare*. Contrarium tamen dicit S. Paulus 1. Cor. 11. v. 2. *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini*; & v. 92. *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini*. Quòd si qui manducat & bibit indignè, manducaret & biberet sola symbola, & non Corpus & Sanguinem Christi participaret; quomodo diceret Paulus fieri reum Corporis & Sanguinis, & non dijudicare Corpus Domini? Sanè qui indignè sumeret imaginem vel figuram Regis, non propterea Regiæ Majestatis fieret reus, quod Calvinistæ negare non possunt, qui Imagines Christi & Crucis nedum indignè, sed contumeliosè tractarunt, & tractant; imò & ipsa symbola Eucharistica quoties in Ecclesiis Catholicorum invenerunt; nec tamen proinde ullius criminis reos se existimant. Dum ergo Paulus declarat, qui indignè sumit, fieri reum Corporis & Sanguinis Domini, manifestè demonstrat, illum non sola symbola, sed Corpus ipsum & Sanguinem Christi sub eis contentum indignè sumere.

Confirmat hoc S. Augustinus Lib. 5. de Bapt. contra Donatistas cap.8. *Sicut enim*, inquit, *Judas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se Diabolo præbuit: sic indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & Sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indignè, judicium sibi manducat & bibit*. Quæ repetit Lib. 1. contra Cresconium cap.25. Item Epist.120. (modò 140.) ad Honoratum cap.27. loquens de superbis qui indignè communicant: *Et ipsi*, inquit, *adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de Corpore & Sanguine ejus; sed adorant tantùm, non etiam saturantur, quia non imitantur*, exemplum scilicet Christi, qui pro nobis humiliavit se ipsum. Ubi S. Doctor dicit, superbos accipere quidem Corpus & Sanguinem Christi & adorare, sed de eo non saturari, quia fructum non percipiunt. Et Epist. 162. (modò 43.) cap. 8. *Tolerat, ipse Dominus Judam, Diabolum furem & venditorem suum: sinit accipere inter innocentes discipulos, quod fideles noverunt, pretium nostrum*. Pretium autem nostrum non est buccella panis, sed vera Christi caro.

Immeritò itaque citato loco gloriatur Calvinus, se in hoc patro-

tronum habere Auguſtinum, dum Tract. 26. in Joan. dicit: *Qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio nec manducat (ſpiritaliter) carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licèt (carnaliter & viſibiliter premat dentibus) Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti) ſed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium ſibi manducat & bibit*. Ex quibus deducit Calvinus manducare Sacramentum dentibus & viſibiliter tantùm, & non ſpiritualiter, eſſe Auguſtino idem ac manducare ſola ſymbola viſibilia, non verò accipere Corpus & Sanguinem Chriſti, quæ ibi inviſibiliter ſunt. Sed fallitur Calvinus. Auguſtinus enim dicit, quòd qui accipit indignè, frangit dentibus Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini, & tantæ rei Sacramentum ad judicium ſibi manducat & bibit: non ergo negat, qui indignè accepit, accipere verè Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini, ac proindè Corpus & Sanguinem Domini, ſed ſolùm negat, ea accipere ſpiritualiter, hoc eſt ad nutritionem & ſalutem animæ, cùm ea accipiat ad judicium, quia indignè accipit. Uno verbo, vult, quòd qui indignè accipit, accipiat quidem integrum Sacramentum, ſed fructum & effectum Sacramenti non percipiat: & hoc eſt non percipere ſpiritualiter, ſed ſolùm viſibiliter: *Quia* (ſubdit) *immundus præſumſit ad Chriſti accedere Sacramenta, quæ aliquis non dignè ſumit, niſi qui mundus eſt*. Sed hæc ſufficiant.

XLVII. Conſuetudinem, quæ ſemel ſaltem quotannis communicare jubet, tanquam *certiſſimum Diaboli inventum, cujuſcumque tandem miniſterio invecta fuerit*, reprobat Lib. 4. Inſt. cap. 17. §. 46. Putat enim, dum unus certus anni dies pro communione præſcriptus fuit, excitatam fuiſſe in Chriſtianis ſocordiam, ut toto anno ab hac menſa jejunent, imò ſi infra annum quis moriatur abſque hoc ſalutari cibo decedat. Sed ut calumnietur, mendacium ſibi confingit. Non enim annua Paſchalis communio præcipitur, quaſi eo ſolo tempore & non alio, etiam in mortis periculo, eſſet ad eam accedendum, ſed ne ultra illud tempus differatur: ideòque ad tollendam quorumdam ſocordiam, qui eam prorsùs omittebant. Cæterùm quàm frequens ſit in Eccleſia Catholica apud veros ac pios utriuſque ſexus fideles ſacræ communionis uſus, & quàm ſolliciti ſint ad ſubveniendum Sacrâ Euchariſtiâ in periculo mortis conſtitutis, res adeò patens eſt, ut probatione non egeat.

§. autem 47. Communionem laicorum ſub altera tantum ſpecie perſtringit: *Quæ*, inquit, *dimidiam Cœnæ partem meliori populi Dei numero vel furata eſt vel eripuit, nempè ſymbolum ſanguinis, quod laicis & profanis (his ſcilicet titulis hæreditatem Dei inſigniunt) interdictum, paucis raſis & unctis in peculium ceſſit. Edi-*

ctum

ctum æterni Dei est, ut omnes bibant, quod homo novâ & contrariâ lege antiquare & abrogare audet, edicens ne omnes bibant. Hanc causam egi supra contra Hussitas cap.105. §.6. & Tom.3. in 3.p. de Eucharistia q.4. Dub.6. ideò hic abstineo.

XLVIII. Contra Missam (quam vocat *Papalem*) Lib. 4. Instit. toto capite 18. impiè blasphemat. Eam dicit non esse Sacrificium pro vivis & defunctis à Christo institutum, sed *insigni contumeliâ Christum afficere, Crucem ejus sepelire & opprimere, mortem ejus in oblivionem tradere, fructum qui ex ea nobis proveniebat tollere, Sacramentum quo mortis memoria relicta erat enervare, ac dissipare*: Cùm tamen Missæ Sacrificium nil aliud sit, quàm memoria & repræsentatio passionis & mortis Christi. Addit quod *in Missis privatis impius est abusus*; in quo Lutherum æmulatur. Videns autem, ex Veteribus aliquos, præsertim S. Augustinum nomine *Sacrificii* uti §.10. Primò dicit: *Si de approbando Sacrificii commento, quale in Missa confinxerunt Papistæ, agitur, ejusmodi sacrilegio Veteres nequaquam patrocinari. Utuntur quidem illi Sacrificii vocabulo: verùm simul exponunt, se aliud nihil intelligere, quàm memoriam veri illius & unici Sacrificii, quod in Cruce peregit Christus unicus (ut ipsi passim prædicant) noster Sacerdos.* Sed quid aliud intendit Ecclesia Catholica in Sacrificio Missæ, quàm oculis fidelium exponere quod Christus fecit in Cœna, & in Cruce consummavit, ut hoc totum in eorum memoriam revocet, & fructum passionis ejus percipiant? Hoc Sacrificio Missæ nil aliud quæritur, quàm ut quod Christus nobis promeruit unicâ illâ oblatione in Cruce factâ, id in nos transferre, & nobis ad salutem nostram applicare possimus, & implere credimus, quod Christus præcepit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Totum hoc perdoctè explicat Hosius (de Missæ Sacrificio fol.39. verso) hoc exemplo „ Est fons, inquit, in medio Civitatis
„ collocatus, omnibus expositus, à quo nemo arcetur, qui eo li-
„ berè uti possit: tam est autem copiosus & redundans, ut ad sor-
„ des omnium abluendas, ad sitim omnium omnium sedandam,
„ ad reliquas necessitates omnes omnium explendas, abundè suf-
„ ficiat. Num ideò tu sitim tuam explevisti, aut sordes abluisti,
„ quòd hic fons est in medio omnium expositus tam copiosus?
„ Certè nisi ad eum accesseris, nisi ex eo hauseris, neque sordes
„ ablueris, neque sitim sedaveris, neque ullum ex eo fructum
„ perceperis, quàmlibet sit copiosus & redundans. Proindè qui vult
„ ex eo fonte fructum capere, non spectat illum otiosus, ac illius
„ tantùm copiam & abundantiam admiratur; verùm illud agit,
„ ut quod videt omnibus communicatum, ejus ad se quoquè par-
tem

„ tem aliquam derivet: fistulas admovet, sivè tubos aut canales,
„ per quos communem aquam in suum quoquè privatum & pro-
„ prium usum transferat. Non dissimilis est ratio fontis hujus
„ vitæ perennis, qui in latere Christi in Cruce pendentis apertus
„ est. Est fons perennis, fons copiosus & redundans, qui ad abluen-
„ da totius Mundi peccata, ad salutem omnibus mortalibus con-
„ ferendam prorsùs sufficit. Sed si vis usum aliquem hujus fontis
„ habere, si vis fructum ex eo consequi, necesse est, ut ad Christi
„ latus in Cruce pendentis fistulam applices, & per eam, qui so-
„ lus peccata nostra abluit, salutemque nobis confert, Christi
„ Sanguinem ad te derives atque attrahas, ut per eum ablutus &
„ sanctificatus æternam beatitudinem adipisci queas: non ipsius
„ fistulæ sivè canalis, verùm Christi Sanguinis per canalem irri-
„ gantis, virtute. Hinc videre licet, quòd omnia quæcumque ad
„ salutem nostram pertinent, nonnisi illi soli sacrificio in Cruce
„ peracto, nonnisi fonti qui apertus est in latere Christi tribuun-
„ tur: verùm fructum ex illo fonte capere non possumus, nisi qui
„ fusus est ex Christi latere Sacrosanctus Christi Sanguis, eum per
„ instrumenta, & quasi canales quosdam ad nos derivemus. Ejus-
„ modi canalis est Baptismus: ejusmodi canalis quotidianum hoc
„ Sacrificium, quam vocamus Missam, per quam illius in Cruce
„ peracti Sacrificii, & fusi pro nobis pretiosi Sanguinis fructum in
„ nos transferimus, nobis applicamus & appropriamus. Falsò
„ itaque nobis impingunt Satanæ ministri, quòd per quotidianum
„ hoc Sacrificium, illud in Cruce peractum obscuretur, cùm il-
„ lustretur magis. An non absurdè facere censeretur, si quis ba-
„ ptizare se volentem insimularet, quòd is per Baptismum obscu-
„ rare velit redemtionis beneficium in Cruce nobis obtentæ? Et
„ redemtionem suam in aqua Baptismi collocare potiùs, quàm in
„ Christi Sanguine, quo solo redemti sumus? Cùm in Baptismo
„ nihil aliud agatur, quàm ut redemtionis in Cruce nobis obten-
„ tæ particeps fieri qui baptizatur, & ejus fructum in se trans-
„ ferre queat. Atqui non minùs absurdè faciunt, qui nobis obji-
„ ciunt, quòd per quotidianum istud Sacrificium, illud quod in
„ ara Crucis peractum est obscuremus, ac ejus dignitati ac me-
„ rito detrahamus: cùm nihil aliud agatur, nihil aliud quæratur
„ à nobis in hoc quotidiano Sacrificio, quàm ut quod Christus no-
„ bis promeruit unicâ illâ oblatione in Cruce factâ, id in nos trans-
„ ferre, & eo ad salutem nostram uti queamus „. Hactenus Car-
dinalis Hosius, quæ exscribere placuit, quia in hoc doctrinam Ca-
tholicam mirè explicant, necnon Calvini & aliorum contra Missæ
Sacrificium accusationes putidas calumnias esse demonstrant.
Cæ-

Cætera pro hoc dogmate videnda relinquo à me dicta, tum in Vera Ecclesia Tomo 2. p.2. art.13. tum in Tomo 3. in 3.p. de Euchar. ut Sacrificium est qu.1. & 2. ubi variis dubiis hanc Catholicam veritatem statuere conatus sum.

XLIX. Fidem nostram solis Scripturis, non Traditionibus Apostolicis niti asserit in Antidoto Conc. Trident. ad sess. 4. *Quoad Traditiones*, inquit, *attinet: Scio, illarum non raram fieri mentionem à vetustis Scriptoribus: sed non eo consilio, ut fides nostra extra Scripturas excurrat, in quibus ipsam perpetuò includunt*. Indè transiens ad Traditiones, quas Romana Ecclesia ut Apostolicas tenet, quæ verè Apostolicæ non sunt, concludit: *Ergo ut illis demus, instituta quædam posteris Apostolos Domini per manus tradidisse, quæ scriptis numquam mandaverint, hoc nihil ad fidei doctrinam, ut apiculum unum indè eliciant: sed tantùm ad externos ritus, vel decoro, vel disciplinæ servientes*. Pro Traditionibus pugnavi in Vera Ecclesia Tom. 2. p.1. art. 4. & Tomo 1. in 1. p. qu. 3. de Locis Theologicis Dub.3. ubi §.1. ostendi quid & quotuplex sit Sacra Traditio & §.2. Regulas tradidi pro secernenda Traditione Divina à purè Apostolica, & Apostolica à purè Ecclesiastica: ex quibus manifestum fit, quòd Calvinus de more calumniatur cum Lib. 4. Inst. cap.10. dicit, Romanos Doctores asserere, *nullam esse apud nos cæremoniolam, quæ non pro Apostolica censeatur*. Indè §.10. multis Ecclesiam Romanam onerat calumniis, quasi irritum faciat præceptum Dei propter traditiones hominum, & has transgredi pluris piaculi apud eam sit, quàm violare præceptum Dei, sed ab his referendis me abstineo.

L. Quamvis solis Divinis Scripturis in rebus fidei standum esse velit, omnia tamen pro suo arbitrio disponens, aliquas, nempè Ecclesiasticum, Sapientiam Salomonis, Tobiam, Judith, & Libros duos Machabæorum è Canone Divinarum Scripturarum expungit in Antidoto Conc. Trident. ad sess. 4. ubi dicit prælatos Libros in Canonem recipere esse præter Ecclesiæ Veteris consensum, quæ illos non ut Canonicos, sed ut Ecclesiasticos habuit, qui ad populum quidem legerentur, sed ad fidem dogmatum faciendam non valerent, cujus testes adhibet Ruffinum & Hieronymum. Non negat, id quod modò Tridentini Patres statuunt, in Concilio Carthaginensi III. haberi, & ab Augustino probari; non tamen tanquam omnibus compertum, cùm asserat, non idem suâ ætate sensisse omnes.

Attamen supponere debuisset Calvinus, ex Libris tum Veteris, tum Novi Fœderis, aliquos esse, de quibus in Ecclesia nunquam dubitatum fuit, qui propterea *Proto-canonici* dicti sunt, idest

primò regulares, quia tanquam Regula primitùs habiti sunt. Alios, de quibus apud aliquos à principio dubitatum fuit, vocatos *Deutero-Canonicos*, seu Secundò-Regulares, quia etsi non primitùs, tamen secundò, idest procedente tempore, re magìs compertâ, tanquam Religionis Christianæ fontes universim acceptati sunt. Hujus secundi generis furt prælaudati Libri. Cùm enim in Canone Hebræorum non legerentur, de eorum auctoritate ab aliquibus olim dubitatum fuit. Verùm postquam à Concilio Carthaginensi III. in Canonem relati fuere, ab eo tempore universa Ecclesia ut Canonicos suscepit & suscipit, quidquid obstrepat Calvinus cum suis, quorum auctoritas flocci facienda est. Omnes præfatos Libros habendos esse ut Canonicos ostendi Tomo 3. præsentis Operis. De Libro Tobiæ egi cap. 5. §. 2. de L. Judith. c. 6. §. 1. De Libro Sapientiæ c. 10. §. 10. De Libro Ecclesiastici eodem cap. 10. § 12. De Libris Machabæorum cap. 22. §. 3.; ibi dicta videre poterit Studiosus. Solùm hic addam, inter Libros etiam Novi Testamenti à Tridentino inter Canonicos recensitos esse aliquos, de quibus olim dubitatum fuit, ut de Epistola Jacobi, de Epistola 2. Petri, de Epist. 2. & 3. Joannis, de Epist. Judæ, de Epist. ad Hebræos, & de Apocalypsi. Et tamen Calvinus istos, ut Canonicos admittit, nec quidquam contra eos obloquitur. Si ergo Ecclesiæ judicium omnem dubietatem de istis abstulit, cur non & de illis? Non aliud certè dicere poterit, nisi se hos & non illos ut Canonicos acceptare, quia suo privato judicio, quod judicio Ecclesiæ firmius reputat, ita videtur. Quæ Hæreticorum impudentia & insania est.

LI. Vulgatam Sacræ Scripturæ versionem, quam Patres Tridentini authenticam declarant, rejicit in Antidoto Conc. Trident. ad sess. 4. *In translationibus*, inquit, *præter unam vulgatam damnandis, ut crassior est inscitia, ita magìs barbarum edictum*. Sed in hoc, ut in aliis, vel fallitur, vel fallere voluit Calvinus. Concilium enim cæteras translationes non damnat, sed solùm Vulgatam, ut tot seculorum usu consecratam, authenticam proponit. Ecce decretum: *Eadem Sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus quæ circumferuntur Sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat; Statuit, & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat*. Pro æquitate hujus decreti certavi Tomo 2. præsentis Operis cap. 7. ubi §. 1. Vulgatæ originem §. 2., ejus auctoritatem, & Tridentini decreti justitiam ostendi, & §. 3. Hæretico-

ticorum objecta dissolvi. Quæ ibi Lectori videnda relinquo.

LII. Cùm Tridentini Patres eâdem sess. 4. ad coercenda petulantia ingenia, decreverint, *ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat*: contra hoc decretum insanit Calvinus in Antidoto ad sess. 4., ubi licèt fateatur, *sicuti non privato hominum arbitrio allata est Scriptura* (1. Petri 1. v.21.) *ita indignum esse, ut ad privatum cujusque sensum trahatur. Quin etiam si de obscuro loco ambigatur, quonam sensu accipi debeat, non aliâ viâ meliori ad veram intelligentiam posse perveniri, quàm si pii Doctores religiosâ disceptatione in commune inquirant*; at qui debeant esse hi pii Doctores, per quorum inquisitionem assequi possimus veram Sacrarum Scripturarum intelligentiam, hic non dicit; sed solùm invehitur in Patres Conc. Tridentini: *Volunt enim*, inquit, *tyrannico suo edicto, libertatem omnem ex Ecclesia tollere; sibi autem arrogare infinitam licentiam. Nam qualecumque suâ libidine sensum affinxerint Scripturæ, eum mox amplecti necesse erit. Præter ipsos verò nemini fas erit, quidquam ex Scripturis probare. Atque utinam præstandæ tantæ rei pares forent: sed boves ephippia sibi usurpant, vel potiùs asini lyram*. Ita de Concilii Tridentini Patribus insanus iste nebuló obloquitur, ut de Nicæno II. quod statuit Sacrarum Imaginum cultum & de omnibus aliis, quæ vocat Romanensia, quia Romani Pontificis auctoritate coacta. Hinc ut supra recensui §.8. num.33. sola quatuor priora Concilia conformiter ad Sacram Scripturam fuisse locuta admittit, reliqua verò errare potuisse, & de facto errasse in Sacræ Scripturæ interpretatione contendit. Sed cùm nec ipse, nec sui, ut ibi ostendi, de facto in intelligentia Sacræ Scripturæ conveniant, fieret ut in re gravissima nullus esset, cujus judicio tutò standum esset. Uni ergo Ecclesiæ sub uno capite congregatæ hoc donum concessum est, ut fusè probavi Tomo 2. præsentis Operis cap.12. quò Lectorem remitto.



§. XI.

De Calviniana disciplina & ritibus.

I. CAlvinus, qui titulo Ecclesiam reformandi novam in dogmatibus doctrinam confinxit, seu jam sepultam ab Inferis excitavit, novum etiam, vetere abolito, in ejus regimine ordinem, novam disciplinam, novos ritus in eam invexit. Episcopatum, de quo Paulus 1. ad Tim. 3. v. 1. & Episcopos, quos eodem Paulo teste Act. 20. v. 28. *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, à suis cœtibus penitùs delevit, Episcopatum in *Ministerium* & Episcopos in *Ministros* convertens. De nomine & officio Ministri apud Calvinianos agit Florimundus Remundus in Synopsi L.8. c. 6. & inferiùs exponam. Ad causas Ecclesiasticas cognoscendas erexit Tribunal, quod vocavit *Consistorium*, ut patet ex ejus Epistola ad Tigurinos Ministros, in qua describit causas ad ipsum deferendas, additque: *Non solos verbi Ministros sedere Judices in Consistorio: sed numerum duplo majorem, partim ex minori Senatu, & delectis Senioribus esse, ut vocant, partim ex majori deligi: ad hæc unum ferè ex ipsis Syndicis præsidere.* Consistorium hoc intra fines Ecclesiastici regiminis se se continere debet, ita ut nihil ordinariæ Magistratus potestati deroget, aut detrahat, ac verbi Ministri spirituali gladio contenti, civilem Magistratus jurisdictionem non attingant.

II. Modum verò, quo eliguntur Ministri, exponit Calvinus Epist. ad Gasparem Olevianum his verbis: *Primùm eliguntur Ministri à nostro Collegio* (seu Consistorio), *ac datur illis Scripturæ locus, in cujus interpretatione specimen suæ dexteritatis edant. Deindè examen habetur de præcipuis doctrinæ capitibus: tandem coram nobis, perindè ac apud populum concionantur. Adsunt etiam duo ex Senatu. Si probatur eorum eruditio, eos Senatui cum testimonio offerimus; in cujus arbitrio est non admittere, si eos minùs idoneos esse judicet. Quòd si recipiantur (ut semper hactenus contigit) tum nomina promulgamus coràm populo, ut si quod vitium latuerit, liberum sit singulis ante octo dies indicare. Qui tacitis omnium suffragiis probantur, eos commendamus Deo & Ecclesiæ.* Hæc, teste Calvino, est forma electionis Ministrorum, quam ipse Genevæ introduxit: quæ quàm aliena sit ab ea, quam à tempore Apostolorum Ecclesia semper servavit, nemo non videt. Nam Ecclesia electionem Ministri Episcopi potestati ac judicio semper reservavit: Calvinus ad judicium Consistorii ex laicis mixto, & demum Senatus, eam remittit.

Ec-

Ecclesia suos Ministros semper saltem per impositionem manuum ab Apostolis edocta ordinavit. Calvinus, qui tamen Ordinem Sacramentis accenset, impositionis manuum in suorum Ministrorum ordinatione mentionem non facit, sed solùm dicit, *Commendamus Deo & Ecclesiæ*. Hæccine est Ecclesia Christi, an veriùs Satanæ Synagoga?

III. Ab hac ut se liberent prætensi Reformatores in Gallicana Confessione dicunt: *Credimus, nulli fas esse suâpte auctoritate invadere Ecclesiæ gubernacula, sed legitimâ electione quoad ejus fieri potest, & quamdiù Dominus ejus rei potestatem facit, præeunte, adsciscì unumquemque oportere. Addimus autem nominatim illam exceptionem, quoniam interdum, ut nostris etiam temporibus interrupto Ecclesiæ statu necesse fuit, nonnullos extra ordinem divinitùs excitari, qui Ecclesiæ collapsæ ruinas instaurarent*. Cùm ergo vocationem atque legitimam missionem Ecclesiæ Pastoribus necessariam negare non possint, nec Missionem primorum Reformatorum probare valeant, qui nec Episcopi nec Pastores fuerunt; ne cogantur fateri eos tanquam lupos ad dispergendas Christi oves in ovile Christi irruisse, exceptionem apponunt, eosque extra ordinem vocatos ac divinitùs excitatos dicunt. Et hujus extraordinariæ Missionis necessitatem in hypothesi impossibili fundant, scilicet in status Ecclesiæ generali interruptione ac ruina: quasi Christi promissio, qui portas Inferi adversùs Ecclesiam suam non prævalituras asseruit, frustrari possit: aut quasi Spiritus ille Veritatis desierit eam docere omnem veritatem: aut Christo ipsi, qui promisit se cum ea futurum omnibus diebus usque ad consummationem seculi, illam in fide conservandi ac tuendi defuerit potestas, aut voluntas.

At hujus extraordinariæ ad Ecclesiam reformandam Missionis, ac suæ ad eam promovendam à Deo factæ delegationis testimonium exhibeant. Vitam, aut mores Apostolis conformes? non certè. Cùm potiùs Lutheri præcipuè & Calvini vita & mores, sensui ac libidini dediti, eos modo vivendi Apostolorum contrarios manifestent. Uniformitas in doctrina? Minimè. Adeò enim in docendo discordes sunt, ut eis evenerit quod Babelis ædificatoribus, ut *non audiat unusquisque vocem proximi sui* (Gen. 11. v. 7.) quod Sectæ, in quas dissecti sunt, apertè demonstrant. Signa & miracula & alia dona, quæ Christus promisit illis quos ipse mittebat, & quæ Deus dedit Moysi, Exodi 4. v. 5. *Ut credant, quod apparuerit tibi Dominus*? Nulla ostendere possunt. Quâ ergo ratione ostendere possunt sibi datam divinitùs auctoritatem, novam & planè contrariam illi, quæ ab initio in Ecclesia & per secula suc-

fuccedentia recepta erat; Confessionem fidei condendi & promulgandi; Missæ Sacrificium abolendi; Sacramenta minuendi; Altaria destruendi; Sacratissimas Ecclesiæ Leges abrogandi; Romanum Pontificem, quem ut Petri successorem Ecclesia semper venerata est, tanquam Antichristum execrandi; & Episcopos, qui in particularium Ecclesiarum regimine Apostolorum locum implevere, penitùs extinguendi, & totam Hierarchiam evertendi? Certè si eis se divinitùs ad hoc excitatos asserentibus, & nullo Divino signo comprobantibus, credendum est, eâdem ratione Mahometo, Nicolao Storkio, & Muntzero aliisque Anabaptistarum Ducibus, & Socino cæterisque similibus impostoribus, qui se divinitùs afflatos novam Religionem condidisse & extra ordinem se à Deo missos jactitarunt, eadem fides præstanda erit.

IV. At inquiunt, multi Episcopi in moribus & in fide defecerunt. Estò. Sed num ideò Episcopatus ab Ecclesia tollendus est? Multi etiam Imperatores ac Reges tyrannicè, nec secundùm leges gubernarunt: num proindè Imperialis ac Regalis potestas ab Orbe eliminanda est? Multi particulares Episcopi suo muneri & fidei quoquè defuerunt: at non propterea Episcopatus fuit deletus, sed his non privato judicio, sed in Concilio reprehensis, & etiam exauctoratis, alii fideles & probi substituti sunt. At Calviniani suo privato spiritu Episcopos & Episcopatum ab Ecclesia submoverunt. Scis quare? Ne in Ecclesia esset auctoritas, quæ ipsos coercere posset: & ut effræni libertate gauderent, omnia pro libito nemine obsistente evertendi; & seculares Magistratus in patrocinium & regimen potiùs advocarunt, ad quorum complacentiam Religionem accommodarunt.

Non ita sensit Augustinus, qui in Psalm. 44. illa verba *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii* ad Ecclesiam convertens: *Genuerunt*, inquit, *te Apostoli: ipsi missi sunt, ipsi prædicaverunt, ipsi Patres. Sed numquid nobiscum corporaliter semper esse potuerunt? .... Ergo illorum abscessu deserta est Ecclesia? Absit*,, Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii,,. *Patres missi sunt Apostoli: pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, ipsa illos constituit in Sedibus Patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es: de prole tua tibi crevit Paternitas:*
,, Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos Principes super omnem terram,,.... *Hæc est Catholica Ecclesia: Filii ejus constituti sunt principes super omnem terram: Filii ejus constituti sunt pro patribus. Agnoscant qui præcisi sunt, veniant ad unitatem, ad-*

adducantur in Templum Regis. Templum suum Deus ubique collocavit, fundamenta Prophetarum & Apostolorum ubique firmavit, filios genuit Ecclesia, constituit eos pro patribus suis principes super omnem terram. Hæc est præcipua ex Catholicæ Ecclesiæ Notis, de quibus fusè egi in Vera Ecclesia Tomo 1.

V. Sed ad Calvini Concistorium revertamur: quale sit, & ex quibus constet, videamus. Ad hoc, cujus est, ut Calvinus voluit, conscientias regere ac judicare, ex omni hominum genere assumuntur, militibus, causidicis, opificibus, rusticanis, ac penitùs illiteratis. His ita electis, ac si, ut olim Apostoli, omnem veritatem edocti essent, judicantibus standum est. In his Concistoriis mercatores plerumque cæteris præferuntur; nec solùm referendi, sed etiam cum patribus Concistorialibus tanquam de seniorum numero judicandi munus exercent. In summa, dimisso Concistorio, causidicus ad curiam, mercator ad forum, sutor ad sutrinam, rusticus ad aratrum redit, ac iidem omnes qui ante. Vide Lector, quale judicium à viris Ecclesiasticarum rerum prorsùs ignaris sperari possit: nisi fortè putes, dum Concistorium ingrediuntur, cœlitùs delapsâ eos afflari sapientiâ. Istis Concistoriis septem ad minus assidere debent. Sic unus causidicus, unus mercator, unus proxeneta, unus sartor, unus sutor, unus hortulanus, unus faber ferrarius, septem numero de rebus Ecclesiasticis decernendi, animasque ad Orcum demittendi habebunt potestatem. Hic etiam excommunicantur fratres, ac cœtibus & Sacramentis arcentur, Ministro sententiam excommunicationis è suggestu pronuntiante.

Hoc in primitiva Ecclesia quis unquam audivit? Sicut & quòd officia ista apud Calvinistas non sint perpetua, sed vel singulis annis, vel altero quoquo anno mutentur? Eadem tamen magnâ ambitione expetuntur. Concistorio, quod vel in Templo vel in Ministri ædibus celebratur, Minister præsidet. Quòd si plures ejusdem Ecclesiæ sint Ministri, Præsidis munere fungitur is, cujus partes sunt eâ hebdomadâ concionari, idemque suffragia colligit, & decreta pronuntiat. Semel verò aut bis singulis septimanis Concistorium habetur, in quo seniorum querelæ, & accusationes contra quoscumque in medium proferuntur. Etiamsi enim sæpè ingentes trabes in suis gestent oculis, ut olim Pharisæi; tamen aliorum ingredi ædes, & minutissimas rimari festucas permissum est. Hi expiscantur, quomodo parentes liberos suos, mariti uxores, domini universam familiam tractent, qualem vitam singuli agant, quomodo rem familiarem administrent, ac an in Religione persistant, pœnas ad defectus proportionem infligentes. Quin & hinc indè per civitatem ambulantes severo supercilio omnia observant,

& si

& si quid reprehensibile invenerint, statim in judicium vocant. Nec ipsis Ministris parcentes; sed si quid excommunicatione dignum admiserint, simul etiam abdicantur. Hæc est forma Ecclesiastici regiminis à Calvino adinventa, & in suis cœtibus observata.

VI. Circa modum baptizandi infantes, Calvinus in præcitata Epistola ad Olevianum: *Infantes*, inquit, *non baptizamus, nisi pro publica concione: quia absurdum videtur, ut solemnis illa receptio paucos tantùm habeat testes. Patres, nisi quid impediat, jubentur adesse, ut stipulationi respondeant unà cum fidejussoribus. Nemo tamen ad fidejubendum admittitur, nisi qui ejusdem nobiscum est professionis. Arcentur & excommunicati ab hoc honore*. Ab hac solemnitate nulla necessitas excusat, quia, ut supra dixi, Baptisma ad salutem necessarium infantibus esse negat. Ritus in eo administrando, quos Ecclesia semper adhibuit, tanquam superstitiones rejicit. Hos tamen propugnavi Tomo 2. in 3.p. q.7. de Ritibus Baptismi Dub.2. Anglo-Calviniani Crucis signum, & aliquas cæremonias à Catholicis acceptas in baptizandi ritu adhibent. Nulla habent ut plurimùm Calvinistæ Baptisteria, vel si quæ in Ecclesiis Catholicis repererunt, eis non utuntur. Minister è suggestu baptizat. At in Hollandia ubi suggestus altiores sunt, Minister è suggestu formulam Baptismi prælegit, aliusque Minister, vel si non adest, ipse descendens infra suggestum, baptizat. An Baptismus ita collatus sit validus resolvi Tom.2. in 3.p. q.4. de Ministro Bapt. Dub.4. §.2. num.5. In Gallia verò, ubi suggestus paulò humilior est, infantes attolluntur, ut à Ministro proferente verba baptizentur. De Baptismo Calvinistarum agit Floremùndus in Synopsi Lib. 8. cap.10.

VII. Quoad Cœnam Domini, Calvinus in præcitata Epistola nil aliud dicit, nisi quòd ad eam nemini patet accessus, nisi ante fidem suam professus sit. In eum finem quotannis habentur quatuor examina, ubi interrogantur pueri, & de profectu cujusque cognoscitur. Quoad majores natu, quotannis repetitur inspectio cujusque familiæ à Ministro cum uno ex senioribus. Illic novi incolæ examinantur. Qui semel recepti sunt, omittuntur, nisi quòd inquiritur, an domus sit pacata, & rectè composita quoad mores, & an pigri sint & ignavi ad Conciones frequentandas.

Ritus verò Cœnam celebrandi is est. Initio ad Concionem pro more accedunt, locus apparatu instructus est ordinario: cùm tamen Salvator Cœnam celebraturus voluerit *Cœnaculum magnum stratum* (Lucæ 22. v.12.) idest tapetibus exornatum. Altare nullum est, sed nuda mensa. Finitâ concione, Minister de cathedra descendit, & supra mensam mappam sternit. Et hic omnis est ornatus,

natus, hæc eorum Altaria: quæ tota antiquitas adhibuit, isti despiciant; cum negent, Cœnam esse Sacrificium. Minister nullâ sacrâ veste, sed laicali aut quocumque ut ipsi placuerit habitu indutus, prælatæ mensæ, cujus fortè in popina aut alio profano loco usus fuit, eritque postea ad res quaslibet, impositam invenit patinam pane vulgari plenam, frustulatim ad eum modum conciso, quo ad comedendum ova aptari solet, vel etiam mantili involuto; & ab altero latere lagenæ sunt cum vitris. Ministro assistunt Diaconi, homines aut aulici, aut cives, aut opifices, dum sint membra Concistorii.

His, ut dixi, ita præparatis, Minister sine ulla prævia manuum lotione, quæ antiquitùs servata fuit, frustum panis illius pro se suscipit, idque frangens his verbis plerumque ex doctrina Calvini utitur *Panis quem frangimus, communio est Corporis Christi.* Deindè ei, qui ex Concistorio primus adstat tantumdem porrigit dicens, *Recordare quòd Christus mortem pro te, & passionem subiit.* Alii inquiunt, *Hoc est Corpus, quod pro te passum est.* Alii nihil dicunt penitùs, contenti dum panem porrigunt, oculos Cœlum versùs sustulisse, ut omnia ex fide procedant; verbis autem nullus locus datur, quasi Christus dixisset, *Credite Corpus meum, & comedetis illud*; non verò, *Accipite & comedite, Hoc est Corpus meum, quod traditur pro vobis.* Ubi verò Catholicus Sacerdos distribuens panem dicit, *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen*; Minister in distribuendo panem diversam ut libet diversis formulam profert; unde fit, ut fratres communicantes reversi in locum suum, se se mutuò interrogent, quid eis Minister porrigendo panem dixerit. Insuper Catholici sumentes panem dicunt, *Domine non sum dignus* &c. Calvinista ne verbum quidem loquens, accepto pane & vino abit. Catholici Eucharistiam (etiam Papa) genuflexi sumunt; Calvinistæ Ministri porrigentis manum stantes osculantur, aut si honoratior sit qui panem est accepturus, ipse Minister panem osculatur, aut saltem ori propiùs admovet, eo ritu quo in urbanitatibus mundanis dantes aliquid alteri uti solemus.

Diaconus vicissim Ministro potum præbet, & post eum ipse bibit. Deindè ab altera mensæ parte Diaconus vitrum communicantibus porrigit, juxta Calvini doctrinam dicens, *Poculum benedictionis, quod benedicimus, est communio Sanguinis Christi*, nonnumquam verò: *Recordare, quòd Sanguis Christi pro te effusus est.* Ita hoc Sacramentum ad puram memoriam reducunt. Unde stantes sumunt, vel potius euntes, & suam quisque portionem mandentes. Residuum si quid est de hoc pane pauperibus datur, nec

quidquam reservatur pro infirmis, sivè absentibus, aut morituris; contra antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem. Ad cœnam accedunt etiam non jejuni: & quamvis ipsi fateantur, neminem posse administrare Sacramenta, nisi cui publicè docendi munus incumbat, nihilominus contra hanc doctrinam usus obtinet apud ipsos, ut Poculum Diaconus vel superintendentium aliquis, ut dixi, distribuat, quin & alii ad Ministri libitum idem munus assumant. Sumto hoc modo inter eundum pane & vino, ad suum quisque locum si vult revertitur, & aliquid argenti in pelvim projicit, vel in ima parte mensæ pro pauperum vel etiam ipsius Ministri indigentiis deponit. In hac actione procumbere in genua, aut quidquam devoti animi aut Religionis gestum præ se ferre nemo audet.

VIII. Hæc est Calvinisticæ Cœnæ forma, quam è Floremundo ex Calviniano Catholico, ac proindè conscio, collegi L. 8. cap. 12. quam si quis attentè perpendat, eam inveniet pro libito procusam, ad nullum antiquitatis exemplar compositam, ad nullius Christianæ Ecclesiæ similitudinem conformatam, à nullo Concilio approbatam, nullâ tanto mysterio dignâ solemnitate conspicuam, nec quidquam habentem, quod Religionem sapiat vel excitet devotionem. Cùm verè, ut dixi, ex hominum placito conficta sit, non eodem modo ab omnibus illius Sectæ celebratur. Genevenses enim panem azymum & figura rotundum, Germani, Galli, Belgæ, Angli fermentatum, usualemque panem porrigunt, ac in longas partes dissectum, quas postea communicantibus frangunt. Basileæ & in aliis Helvetiæ locis fractio locum non habet. Genevenses Ministri dum panem distribuunt, nihil prorsùs loquuntur. In aliis plerisque locis aliqua, sed non eadem verba proferunt, ut supra dixi. Anglo-Calviniani singularem Liturgiam habent. In Germania & Gallia communicantes mensam circumire solent, at in Gallia Diaconi ex artificum gregariorum numero plerumque electi, calicem propinant. In Anglia verò & Belgio mensam non circuire, sed illi assidere solent: cum hoc tamen discrimine, quòd in Belgii plerisque locis, duodenarius communicantium numerus observetur, ut Ritus, inquiunt, ad primam Christi institutionem propiùs accedat. Angli verò Puritani ad viginti usque & plures longæ admodum mensæ accumbunt, & ex tribus vel quatuor in ea positis scutellis, panis frustulis repletis, totidem scyphis Sacramentum suis ipsi manibus capiunt. Apud Anglo-Calvinianos verò, neque circumambulare, neque etiam mensæ accumbere solent: sed contra Minister circumit atque obambulat, deferens unicuique ad sedem suam utramque speciem Sacramenti. Anglo-Calviniani in calicibus, Puritani verò in vulgaribus poculis vinum propinant.

Ita

Ita refert Alexandre in Hist. Sec. 15. & 16. cap. 2. art. 12. §. 2. n. 51.

IX. Hoc prætereundum non puto, quod idem Alexandre ibidem num. 53. observat, nempè, quòd cùm ut supra ex Calvino dixi nemini ad Cœnam Calvinisticam pateat accessus, nisi ante fidem suam professus sit, ideòque Catholicum ab ea rejiciant, nisi priùs ejuratâ de reali præsentia fide: Lutheranos tamen Augustanæ Confessionis, quamvis *Corpus Christi in pane*, seu *cum pane esse* credant, ad suam Cœnam & Communionem admittunt Calviniani, ut ex decreto Synodi Carentonicæ anno 1631. celebratæ; quo etiam declaratur, illos in *Articulis fundamentalibus veræ Religionis* cum Reformatis convenire, *nullamque in eorum cultu idololatriam esse, vel superstitionem*. Et Dallæus famosus Calvinianæ Sectæ Minister in Apologia Ecclesiarum Reformatarum pag. 43. asserit: *Huic opinioni nihil inesse veneni, neque ad aliquid inducere quod sit contrarium pietati, & caritati vel honori Deo aut hominum bono, eaque posse ac debere tolerari*. Ex hoc Calviniani Ministri sic argui possunt. Si Lutheranorum doctrina de reali præsentia nihil habet veneni, nihil involvit contrarium pietati vel honori Dei, & proindè ad Cœnam vestram eos admittitis; cur propterea in schismate à Romana Ecclesia perseveratis? Scio, respondebitis, Lutheranos Transubstantiationem non admittere, quam nos Catholici ut dogma fidei propugnamus. Sed audite Bezam vestrum Lib. de Cœna Domini contra Westphalum scribentem: *Retineri re ipsâ non posse veritatem in his Christi verbis* „ Hoc est Corpus meum „ *quin Transubstantiatio statuatur*; & rursùs inferentem: *Vel Transubstantiatio ponenda est, vel Corpus*. Cùm itaque vestro Dallæo teste, nullum sit in doctrina realis præsentiæ venenum, nec ullum venenum est in doctrina Transubstantiationis.

At dicetis, Lutherani Sacramentum non adorant, ut adoratis. Hìc est venenum, nempè, idololatria & superstitio. Ego autem reponam. Neque nos Sacramentum ipsum, seu symbola adoramus, sed Christum symbolis obvelatum, & realiter ac substantialiter sub ipsis præsentem; & omninò necesse esse illum in Eucharistia adorare, si sit in ea realiter præsens, asserunt vestri, Calvinus Dialogo 11. contra Heshusium, & Beza Lib. de Cœna Domini contra Westphalum pag. 245. ita scribens: *Illud verò præ cæteris demiror, qui adorationem istam liberam relinquas, qui tamen Christum re ipsâ corporaliter ut in Cœlis cum pane adesse, dari & sumi fatearis. Id enim si ita esse crederem, adorationem illius profectò non modò tolerabilem & religiosam, sed etiam necessariam arbitrarer.* Et Dallæus in Apologia non semel asserit, suppositâ præsentiâ Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, illa posse ac debere adorari.

rari. Cùm itaque fides realis præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia nihil habeat contrarium articulis fundamentalibus veræ Religionis, nihil contineat veneni &c.: cùm insuper eâ positâ, debeat poni Transubstantiatio, & Corporis ac Sanguinis in Eucharistia adoratio; hocque vel Reformatores celebriores inter vos fateantur; cur contra nos Catholicos, qui hæc omnia credimus & observamus, murmurare non desistitis, & Lutheranos, qui unum tantùm fatentur, ad communionem admittitis?

X. Sciatis tamen volo, vos & vestram Carentonicam Synodum in hoc apertè contradicere Patriarchæ vestro Calvino. Is enim de hoc consultus; an scilicet Lutheranorùm, Wittembergensium, & similium Cœnæ interesse liceret, Epistola Genevæ data 22. Aprilis anno 1560., quæ extat Tom. 9. pag. 140. edit. Amstelodami ita respondit: *Porrò quòd me consulis, an tibi Sacram Christi Cœnam ex eorum manibus sumere liceat, quibus hæretici sumus, quia negamus Christi carnem dentibus atteri; quamquam mali exempli rem esse video, si quis à Cœna abstineat; perversæ tamen, atque adeò perfidæ simulationis esset, accepto concordiæ symbolo, falsum illud & absurdum commentum, quod exitialibus præstigiis fidei principia evertit, vel tacitè approbare; nisi clara & ingenua præcedat sanæ doctrinæ confessio. Nihil igitur melius fore arbitror, quàm si liberè palàmque testeris, te eorum culpâ à Cœnæ participatione probiberi, quia puram & genuinam Christi doctrinam non admittunt.* Hoc zelo, sed non secundùm Deum, scribit Calvinus.

XI. Quoad alios Calvinistarum ritus, præter Concionem & Cœnam, in canendis Davidicis Psalmis occupantur. Psalmorum cantus semper adeò celebris fuit, ut non solum Christiani omnes in Ecclesiis illum semper usurparint, unde Clericorum preces ex Psalmis præcipuæ constitutæ sunt, sed etiam Judæi tum olim in Templo Salomonis, tum modò in suis Synagogis adhuc vel cantant vel recitant. Imò & Turcæ, quorum Secta multa habet à Christianis & Judæis accepta, in cœtibus suis Psalmos hos, Sergii apostatæ & Mahometis collegæ operâ traductos, Arabicâ linguâ decantent, quod & apud Persas Æthiopes & Arabes in usu est. Fatetur enim eorum pseudo-Propheta Mahometes Azoara 12. Psalterium Davidis cœlitùs missum esse: & hujus recitatio Oratio Meridionalis apud eos nuncupatur. Apud hæreticos verò vix aliquis inventus est, qui hæc cantica rejicere ausus sit, præter solos Anabaptistas, in quorum cœtibus nihil audias, nisi vocem prædicantis & exhortantis. Novarum tamen Religionum auctores Lutherus & Calvinus communes in suis cœtibus preces ferè nil aliud quàm Psalmorum cantum esse voluerunt, quos in linguam vulgarem

rem propterea verterunt, & in multis perverterunt. Hoc apud suos etiam modò frequentatur, quamvis diverso ritu. Anglo-Calviniani Matutinas & Vesperas quotidiè canunt, & hoc etiam organorum pulsu & vocali musicâ superpelliceis induti; cæteri verò unum dumtaxat & alterum Psalmum canunt ante & post Concionem absque organis, nec vestes sacras & religiosas in Divino cultu ullas adhibent.

XII. Festa Sacra præter diem Dominicum exceptis Anglo-Calvinianis nulla celebrant. Jejunia etiam Quadragesimæ nulla apud ipsos ut præcepta habentur: Genevenses tamen œconomiæ causâ diem Jovis pisculentam fecere, quia propter vicinum lacum *Lemanum* piscibus abundant; diem autem Veneris carnium esui destinarunt, propter libertatem, ut ajunt, conscientiæ. Apud Anglos verò abstinentia à carnibus diebus Veneris & Quadragesimæ œconomiæ potiùs, quàm Religionis causa observatur. Ita Alexandre loco supra citato num. 52.

XIII. Quoad matrimonium (quod à numero Sacramentorum expunxere) in Gallia desponsati in Concione se sistunt, ibi eos Minister nullâ intercedente cæremoniâ, precatione, aut benedictione, matrimonio copulare consuevit. Mos diù obtinuit, ut matrimonium nonnisi in exordio Concionis, & ante preces celebraretur; ne scilicet Sacramentale aliquid illi inesse per errorem existimaretur. Sed cùm id nisi in conspectu populi fieri posset, ex quo varia sequebantur absurda; pluribus in locis introductum est, ut ad finem usque Concionis actus suspenderetur, & dimisso demum populo celebraretur. Graduum consanguinitatis, nisi inter fratrem & sororem, rationem non habent: nam qui sunt his remotiores sine discrimine junguntur, ut fratrum & sororum inter se filii, & avunculi cum nepotibus. In hoc tamen non omnes eorum Synodi concordant. Ita refert Remundus Lib. 8. cap. 13. n. 1.: ubi addit, quòd maribus anno vigesimo, & filiabus decimo octavo licet absque consensu parentum nuptias contrahere; & si infra sex hebdomadas à celebratis sponsalibus non ineant conjugium, cogi ad hoc à Concistorio juxta Genevenses Constitutiones.

XIV. Ad Matrimonia etiam quoad vinculum dissolvenda, non unicam aperit viam Calvinus. Primò solvi conjugii vinculum adulterii causâ Lib. de Vera Eccl. Reform. dicit. Ita ut si mulier virum adulterii convicerit, possit juxta leges Genevensium ab ipso latas divortium petere, & alteri nubere, & virum aliam uxorem ducere. Quòd si objiciatur Christus dicens Matth. 13. v. 9. *Qui dimissam duxerit, mœchatur*, dicit Calvinus citato loco, nempè quòd *subaudienda est exceptio, quam posuerat: nempè, nisi ob adul-*

adulterium. Verba autem Christi sinè exceptione esse accipienda tenuit semper Ecclesia Catholica, ut ostendi Tom.4. in 3.p. Qu.5. de Matrim. Indissolub. Dub.5. §.2. Rursùs in Epist. ad Valerianum Polanum ait: *Si certò constet, castè uxorem honestèque vixisse, ac functam esse probæ uxoris officio; maritum verò fractâ & violatâ conjugii fide cum scorto in locum incognitum abiisse: causâ legitimè cognitâ, nubendi libertatem quam Dominus permittit, ab hominibus negari fas non esse arbitror*.

Hoc ex Genevensium lege, ita exponit Remundus c.13. citato num.4. *Si maritus nequam ab uxore discedat, annum integrum mulier expectet: eo exacto, si comperiatur opus esse, ut denuò nubat, licebit ei præviis proclamationibus, id facere. Quòd si occupato jam loco vir ejus reversus fuerit, mulctabitur, prout videbitur æquitati consentaneum*. Forma autem hujus inquisitionis talis describitur: *Jussam comparere coràm Concistorio, Minister habitâ priùs admonitione, ecquid de viro suo inaudierit, interrogat: quâ jurejurando affirmante, se annum jam totum, ubi sit, ignorare; utrum donum continentiæ habeat, Minister quærit. Si respondeat, carnem infirmam esse, id dictum sapientibus illis sat est, nec mora; in potestatem alterius viri veniendi libertatem habet. Præstat nubere quàm uri*. An non ex hac Genevensium lege dissolutus quisque, vel uxorem tædio habens, jam rationem habet è vinculis conjugii se expediendi, vagæ libidini indulgendi, & de lecto in lectum transiliendi? Nonne hoc est viam sternere mulieri libidinosæ, quâ sub prætextu divortii etiam procurati ad secunda vota transeat, aut etiam lenonibus se tradat? Jam uni feminæ duo aut tres erunt viri, & uni viro duo aut tres erunt uxores, omnes superstites: ut Genevæ factum est, ubi intra sex menses tertiam uxorem quidam duxit, cùm duas priores, Calvino inter alios judice, ut Lindanus affirmat, adulterii convicisset.

XV. Notæ sunt historiæ & exempla plurium utriusque sexus, etiam genere illustrium personarum, quæ relictis conjugibus suis Genevam tamquam in asylum confugerunt & libertatem carnis amplexæ sunt. Nam simul ac ejusmodi mulier muros Genevæ attigit, illicò liberata est. Maritum oportet, vel illius Religionem amplecti, vel alibi uxorem quærere. Unum hoc factum quod Remundus citato loco refert, sufficiat „ Quum Sabaudiæ Duci Pe-
„ demontana Regio restitueretur, Nobilem quemdam ex Occi-
„ tania Dominum de Clariè libido incessit visendæ Genevæ. Ita-
„ que assumtis sociis, Nobili quodam Santonico, & alio quodam
„ Aquitanico, Lavallo Domino adhuc vivente, quos eadem cu-
„ riositas movebat, Genevam contendit. Quò ubi ventum est,
Cal-

,, Calvinum audiunt concionantem, quamvis omnes essent Ca-
,, tholici. Ibi Dominus de Clariè ad gregem feminarum oculos
,, circumferens, uxorem suam inter illas conspicit. Attonitus
,, cum oculis & animo deliberat, num fortè deliraret, aut visus
,, ipsum falleret. Sed quò magis aspicit, eò certiùs uxorem, &
,, cum ea etiam filiam suam agnoscit. Impatiens moræ, finem
,, tamen concionis expectat: tum surgente concione ad uxorem
,, accedit, quæ virum suum advenientem conspicata, protinus
,, exclamat, & ad Calvinum exeuntem accurrens, *Domine*, in-
,, quit, *serva me*. Ille subsistens, & Nobilem istum videns jam
,, manu tenentem filiam, quid negotii sit, interrogat. Et illa,
,, *Vir*, inquit, *est meus, qui me abductum venit. Juva me, obsecro.*
,, Calvinus videns turbam circumsistere ut exitum videret fabulæ,
,, domi se cogniturum hac de re pronuntiat: illo interim prohibi-
,, to cum uxore sua, nisi veniâ impetratâ, colloqui. Vocatus eo
,, ipso die ad Calvinum, & postridiè ad Concistorium, uxorem &
,, filiam repetit. At illi urgent, ut exemplum ejus imitetur,
,, Evangelium amplectatur: Omnia relinquenda esse præ amore
,, Christi. Itaque cùm nihil obtinere posset, metuens pejora, de
,, consilio aliorum clam se subduxit, uxore & filiâ in potestate
,, Calvini relictis,,. Hactenus Remundus: addens plura similia sibi esse cognita exempla, quæ tamen omittit, priùs enim tempus quàm materia deficeret. Interim consideret Lector, quanti apud istos falsos Evangelicos ac pseudo-Reformatores Matrimonium habeatur.

XVI. Demum Usuras nullo Scripturæ testimonio damnatas esse, censet Calvinus in Responso de Usuris (inter Epistolas pag. 223.) *Nullo*, inquit, *testimonio Scripturæ mihi constat, usuras omninò damnatas esse. Illa enim Christi sententia quæ maximè obvia & aperta haberi solet*: Lucæ 6.,, Mutuum date, nihil indè sperantes ,, *malè huc detorta est. Quemadmodum alio loco notans splendida convivia, & divitum illam ad se mutuò excipiendos ambitionem, vocari potiùs ad illa epula jubet cæcos, claudos, & alios egentes homines, qui in compitis jacerent, quibus non esset par pari referendi facultas: Sic etiam notato illo loco, Christus correcturus illum hominum abusum in dando mutuo, præscribit nominatim illis dandum mutuum, à quibus nulla spes sit quidquam receptum recuperatumque iri*. Quibus non recipere ex mutuo usuras, ad purum majoris perfectionis consilium, & adhortationem, non ad præceptum reducit. Contrarium tamen ex Scripturis tum Veteris tum Novi Testamenti constat, nempè Usuras ex mutuo à Deo fuisse prohibitas. Sed in hoc non est mihi immorandum.

CAPUT CXII.

De Calvinistarum Sectis.

§. I.

Puritani, Independentes, Quakeri, Presbyteriani, & Anglo-Calviniani.

I. CALVINI Secta multas Europæ Regiones inquinavit, non eodem tamen modo ab omnibus suscepta, brevi in frusta conscissa est. Qui Calvinum adamussim sequuntur, quales sunt in Gallia, Palatinatu, Helvetia, & plerique in Belgio, *Reformati* appellati sunt; *Puritani* verò in Anglia & Scotia dicti. His proximè accedunt *Independentes* & *Presbyteriani*. Altera Secta dicitur *Anglo-Calvinianorum*. Tertia *Piscatorianorum*. Quarta *Arminianorum*. De his erit sermo. Reformatos omitto, quia cùm in nullo à Calvino dissentiant, eorum errores iidem cum erroribus Calvini supra descriptis sunt.

II. Puritani, rigidiorum Calvinistarum Secta, in Anglia emerserunt circa annum 1565. vel 1568. Buttone, Colmano, & Allinghamo, aliisque promoventibus. Hi quotquot suæ Religioni non adhærent aversantur, & præcipuè Catholicos, adeò ut orare nolint in loco, quem ab eis consecratum fuisse noverint. Eorum multi rejiciunt nedum Anglicanæ Ecclesiæ Ritus, sed quamcumque Liturgiam, ipsâ Oratione Dominicâ non exceptâ. Diem Dominicum eo scrupulo, quo Judæi Sabbatum, servant. Dignitatis Regiæ contemtores & inimici aperti sunt. Cùm enim Carolus I. Rex Declarationem edidisset, quâ jubebat ut omnes Angliæ & Scotiæ Ecclesiæ in unam fidem convenirent, Parlamentum ex Puritanis pro majori parte compositum, ordinationis prælatæ excutioni restitit: ex quo aliisque causis orta fuit conspiratio, quâ Rex ipse Carolus anno 1649. capite truncatus fuit. Anglicanæ Ecclesiæ disciplinam, liturgiam, Episcopalem Ordinem, aliaque velut parùm diversa à Romanæ Ecclesiæ forma respuentes, Genevensi Ecclesiæ in omnibus se conformare tentarunt. Hoc licèt pro votis eis non contigerit: Puritanorum tamen factio in Anglia & Scotia adeò semper prævaluit, ut istorum operâ Jacobus II. è Regno ejectus in Galliæ asylum se recipere coactus fuisse credatur. Unde Principe Arausico, & post ipsum Hannoveræ Ducibus in Regnum intrusis, legitima Regni hæres pia & Catholica ejus progenies,

Regno adhuc carens Romanam Urbem suo honorat domicilio.

III. Independentes & Presbyteriani ad Puritanos accedunt, in Confessione fidei ab eis non dissentientes, in modo tamen Ecclesiam gubernandi, etiam inter se discordant. His admodum favit Oliverus Cromuellus, Regni Protector (potiùs Tyrannus) nuncupatus. Volens enim Sectis omnibus, quæ in Angliam irrepserant, integram servare prout cuilibet placeret credendi libertatem, hanc Independentium Sectam prædilexit. Istorum præcipuum deliramentum est, unumquemque cœtum summum ac independens à quovis alio Jus habere: ideòque quidquid eorum cœtus in re Ecclesiastica statuisset, nullius judicio aut correctioni, sivè Episcopi, sivè Synodi, sivè alterius cœtus subesse. Conveniunt quidem, unam Ecclesiam juvare aliam posse consiliis & monitionibus, non tamen decretis ei præcipere, quia nulla aliâ superior est. Sic quod nedum Romanæ, sed & Universæ Ecclesiæ Conciliis contra factum Apostolorum Act. 15., negant, cuilibet ac præcipuè suis cœtibus concedunt. Ad prædicationem neminem admittunt, nisi ejus doctrina de Religione & Divinis Scripturis publico examine probata fuerit. Ex probatis admittunt omnes quos spiritus incitat, unum ad prædicandum, alterum ad orandum, alterum ad Psalmos canendum, alterum ad prophetandum. In privatis domibus libentiùs quàm in Templis, quamvis aliquando etiam in istis cœtus suos habent. Cœnam Dominicis diebus frequentare solent; ad eam tamen ex aliis Ecclesiis reformatis nullum admittunt. Ad eam celebrandam, nec concionem, nec cantum, nec præparationem ullam præmittunt, nec catechismum adhibent, ne superstitiosi videantur, sed capite prorsùs cooperto eam sumunt. Infantes si ex eorum cœtu non sint nati, baptizare nolunt, quia neminem qui priùs eorum Ecclesiam ingressus non sit, dignum existimant.

IV. Presbyteriani (Secta in Anglia potens) ab Independentibus recedunt, quòd non quamlibet particularem Ecclesiam independentem, ut illi, existiment: sed particulares Ecclesias Classibus, Classes Synodis Provincialibus, has Synodo Nationali subjiciant, & horum decreta jure Divino vim habere statuant. *Presbyteriani* dicti sunt, quia à Senioribus, Græcè *Presbyteris*, etiam Laicis, Ecclesiam gubernari volunt: dicunt enim, Sacerdotes aut Episcopos à tempore Apostolorum usque ad annum 300., non majoris, sed paris dignitatis, & auctoritatis fuisse ac Presbyteros; quod Scripturæ S. textibus probare nituntur. Et addunt, quòd si aliquis Apostolorum aliquâ præ aliis auctoritate præfulsisse visus fuit, hoc accidit ad tempus pro aliquibus controversiis di-

rimendis. Hunc errorem, quem ab Aerio hauserunt, suprà c. 49. §.2. confutavi. Hinc apud Presbyterianos soli Seniores ad Ecclesiæ curam eliguntur, non juvenes, nisi fortè quis speciali dono, ut olim Timotheus, effulgeat. Secta hæc multùm viget in Anglia.

V. Independentium prætensa libertas apertam cuique prout libuerit impunè opinandi, & quamcumque Sectam in Angliam introducendi, viam reliquit. Hinc Anabaptistis in eo Regno tuta sedes patuit, qui tamen in nullo alio ab aliis Sectis dissident, quàm in Pædobaptismo: Antinomis, ideft Legis Adversariis, qui ut supra dixi cap. 109. §. 5. num. 7. à Joanne Agricola Lutheri discipulo orti, Legem veterem ut jam impletam, & in multis cum Evangelio pugnantem rejiciunt: Antiscripturianis, quibus tota Scriptura contemtui est, dum se eumdem ac Prophetæ & Apostoli habere spiritum gloriantur.

VI. His accesserunt *Quakeri* seu *Tremulantes*: Qui se in hac vita planè perfectos, & à peccato mundos existimant, & in ecstases frequenter incidere simulant: quo tempore toto corpore contremiscunt, quia, ut ajunt, magnitudinem illam lucis ac splendoris Divini, quâ obruuntur, ferre non possunt. Secundùm hanc lucem, quæ omnibus datur, vivendum esse docent. Omnes Religionis cæremonias, & etiam civiles, tum in actibus, tum in verbis esse abolendas. Publicè non esse in Ecclesiis orandum, cùm Christus dixerit secretò orandum, imò orationem esse inutilem, cùm propriâ justitiâ justificati simus. De Christo, quòd in Cruce desperationem passus sit aliosque humanos defectus, impiè effutiunt. Sanctissimam Trinitatem velut chimæram reputant, & Christi adventum meram figuram esse, nec aliud corpus habere, quàm eorum cœtum dicunt. Animam esse partem Dei, sed post hanc vitam nec gloriam, nec Infernum, nec resurrectionem dari. Hæ & aliæ sunt istorum blasphemiæ, quorum auctor fuit Joannes Fox Anglus, priùs sutor, postea hæresiarcha factus. *Ranteri* qui Libertinorum instar nihil turpe putant, ad quod naturæ quantumvis corruptæ sentiant incitamentum. *Levellerii* Politici Ordinis hostes, qui naturalem omnium hominum æqualitatem volunt, quâ nec opibus, nec honore alter alteri antecellat. Hi frequentes seditiones adversùs Magistratus incenderunt.

VII. Anglo-Calviniani à Puritanis, Presbyterianis, aliisque supra relatis differunt, tum in Disciplina, tum in Dogmate. Episcopalem enim Ordinem servant, non modò ut à cæteris officiis distinctum, sed etiam ut jure Divino superiorem. Crucem Christi trophæum nedum honorant, sed ejus signum in Sacramentis, & maximè in Baptismo adhibent. Puritani verò aliæque Sectæ Episco-

ſcopatum rejiciunt, ſignum Crucis execrantur, Cruces ipſas demoliuntur & frangunt. Anglo-Calviniani quamdam Conſecrationis Epiſcopalis, Confirmationis Baptizatorum, Ordinationis Presbyterorum ſpeciem retinent; quas cæteræ Sectæ ut Papiſticas ſuperſtitiones rejiciunt. Anglo-Calviniani Epiſcopi ſuos habent Cancellarios, Archidiaconos, Decanos Rurales, Cathedrales Eccleſias, in quibus ſunt Canonici, ſeu Præbendarii, qui Matutinas & Veſpertinas preces celebrant, ignota cæteris Calviniſtis nomina. Liturgiam ſuo ritu celebrant; & in eadem Litaniam diebus Mercurii & Veneris, preces tamen ad ſolum Deum, non ad Sanctos dirigendo, recitant; & in functionibus ſuis obeundis ſuperpelliceo utuntur. Diaconatus ad Presbyteratum apud ipſos gradus eſt; quæ apud alias Sectas ignota ſunt.

Supremum Anglicanæ Eccleſiæ Caput Regem agnoſcunt juxta Eliſabethæ Reginæ Leges, nullumque Prælatum extraneum, præcipuè Romanum Pontificem, ullam juriſdictionem, auctoritatem vel præeminentiam ſpiritualem, ſivè Eccleſiaſticam intra Regnum Angliæ habere, vel exercere poſſe: ſed omnem hujuſmodi Juriſdictionem Regiæ Coronæ eſſe unitam. Ideòque Regem poſſe novas leges condere, novas cæremonias & ritus cum Concilio Metropolitani vel Commiſſariorum in cauſis Eccleſiaſticis. De hujuſmodi cauſis, cùm ad Regis tribunal delatæ ſunt, ejus eſſe ſupremum Judicium ferre. De ipſis fidei dogmatibus unà cum eorum Conſultiſſimis deliberare, & ſuper iis edicta promulgare Regiæ auctoritatis eſſe, ſtatutum in Angliæ Regnis eſt. Hujus ſolum nullam Regi tribuunt poteſtatem, nempè pro concione publicè docendi, Sacramenta adminiſtrandi, & cenſuras ferendi. Omnia præfata colliguntur ex Tractatu *De Politia Eccleſiæ Anglicanæ* Londini edito anno 1683.

VIII. Acris fuit olim inter Anglo-Calvinianos & Galliæ Reformatos controverſia; Anglis contendentibus, non obſtante Reformationis neceſſitate, continuam debere in Eccleſia Epiſcoporum ac Paſtorum Ordinationem, atque ſucceſſionem ſinè ulla interruptione ſervari, cùm ex conſcientia uniuſcujuſque ſatis conſtet, neminem ad hujuſmodi reformationis opus, inſtar Apoſtolorum, extraordinariè & immediatè fuiſſe à Deo vocatum. Hâc arte ſuam EccleſiamReformatarum Matrem conſtituere volebant, Galloſque & Germanos invitare, ut primas Miniſtrorum ſuorum Ordinationes ab ipſorum Epiſcopis peterent, eoſque propterea transfretare juberent. Verùm à Gallis Germaniſque Anglorum conſilium ſcripto etiam rejectum fuit. Et jure quidem merito, addam ego. Nam ſi ad particulares Eccleſias Reformatas legiti-

mè regendas, necessarium est ut earum Rectores sint ab Episcopis ordinati, quia (ut Angli dicebant) *ex conscientia uniuscujusque, satis constat, neminem ad hujusmodi Reformationis opus, instar Apostolorum, extraordinariè & immediatè fuisse vocatum*; jam ruit totum suæ prætensæ Reformationis fundamentum. Nam si ad regendam particularem Ecclesiam jam reformatam requiritur testimonium missionis & vocationis per Ordinationem, quia de extraordinaria vocatione non constat; multò magis hoc necessarium erit ad universam Ecclesiam Reformandam, si de extraordinaria à Deo missione & vocatione non constet. Exhibeant ergo suæ vocationis testimonium Lutherus, Calvinus & alii, qui Universæ Ecclesiæ Reformationem moliti sunt. Ordinationem ad hoc munus alicujus Episcopi certè exhibere non poterunt. Se extraordinariâ vocatione à Deo missos jactabunt: at unde hoc constat? Idem dicam de Episcopis Anglicanæ Ecclesiæ Reformatæ. Ordinationem susceperunt. At à quibus Episcopis? Indicent mihi legitimam Episcoporum successionem, eadem cum ipsis ante Henrici VIII. ab Ecclesia secessionem sentientium. Cum neutri hoc facere possint, meritò dicam, eorum prætensam Reformationem esse veram Ecclesiæ eversionem. Sed hæc satis. Alibi enim de hoc dixi.

§. II.

Piscatoriani, Arminiani, & Gomaristæ.

I. Piscatorianis nomen dedit & errores Joannes Piscator Argentinensis in Gymnasio Herbonensi Calvinianæ Theologiæ Professor, homo arrogans, omniumque contemtor, se solum sapere putans, ut celebritatem suo nomini aucuparetur, primò Scholarum Reformationem meditatus est, atque ex eis omnes Auctores Gentiles, Ciceronem, Terentium, Salustium, Horatium, Virgilium, aliosque id genus relegavit. Et ex carminibus, quæ studiosa juventus ibi edebat, vocabula illa Ceres, Bacchus, Mars, Juppiter, Diana, Phebus &c. profana quidem, sed Poetis familiaria, semper delebat. Astrorum etiam, dierum, & planetarum nomina reformare, ac pro illis Christiana substituere conatus fuit: sed hìc incassum laboravit.

Deindè in dogmatibus à reliqua Calvinistarum gente dissentire cœpit. Primò divisit Justitiam Christi in eam, quam ex Legis obedientia, & vitæ sanctitate habuit, & in eam, quam passione & morte acquisivit, quæ in Scholis Calvinianis, ubi refellitur, vocantur, prima quidem *Justitia activa*, secunda *Justitia passiva*. Justitiam

tiam activam tribuit soli Christo, nihilque aliis prodesse contendit, quod, inquit, illam Christus pro se debuerit, ut filius Adam & Abraham, Legi servandæ obstrictus. Passivam solis tribuit fidelibus, pro quibus Christus mortuus, illosque istius justitiæ per fidei apprehensionem sine ulla inhærente justitia ipsorum propria, formaliter justificari asserit. Dicit tamen, Christum passione sua & morte sibi etiam aliquid promeritum fuisse, quod negat Calvinus Lib. 2. Inst. c. 17. §. 6. Christum tamen non solùm passione & morte, sed quocumque opere sibi & nobis meruisse sentit Catholica Ecclesia cum Paulo ad Philipp. 2. à v. 7. dicente: *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cœlestium terrestrium & infernorum*. Propter omnia ergo in quibus Verbum homo factum se exinanivit, & humiliavit, Deus ipsum exaltavit: ergo in omnibus merito suo justitiam nobis acquisivit.

Secundò: Fractionem panis in Cœna Domini essentialem esse statuit, adeò ut qui illam omittat, Cœnam non modò mutilet, sed etiam tollat. Quæstio hæc in tribus Calvinistarum Academiis acerrimè disputata fuit. Marpurgenses sententiam Piscatoris suscepere. Basileenses fractionum ritum esse adiaphorum nec necessarium dixerunt, quapropter ipsi in Cœna fractionem omittunt. Heidelbergenses verò mediam viam tenentes, fractionem in Cœna nec essentialem, nec prorsùs adiaphoram, sed necessariam esse ad Cœnæ integritatem pronuntiarunt.

Tertiò: Docuit Piscator Legem Mosaicam quoad Judicialia præcepta, & pœnarum genera non esse abolitam, sed religiosè servandam. Quæstio hæc in Harbornensi Academia in ipsius Comitis Nassoviensis Aula agitata est, utrum fures capitali pœna mulctandi essent: & Piscator disputando obtinuit, ut in Nassoviensi Comitatu nullus fur capitali pœnâ plecti debeat.

Quartò: In omnibus ferè Theologiæ capitibus de Prædestinatione, Pœnitentia, Satisfactione Christi &c. modo singulari & Calvinistis insueto loquutus est, ideòque Catechismum Heidelbergensem castigavit, ac in ejus locum novas Catecheticas expositiones subjecit. Propriam etiam Bibliorum Versionem adornavit sed innumeris lapsibus refertam, cùm vel in solo Pentateucho ad minus centies errasse, Amandus Polanus in sua Censura adnotarit. Itaque post serium de Piscatoris exoticis & Calvini spiritui contrariis doctrinis institutum examen, eas Reformati ipsi ut hæreti-

cas

cas & Auctorem ipsum ut hæreticum & excommunicatum communi sententiâ ac decreto condemnandum esse dixerunt: Quamvis postea in gratiam Principis Nassoviensis Piscatorem pro excommunicato se non habituros declararint. Sic qui se supra omnes doctrinâ efferre præsumsit, ab omnibus etiam suis Reformatis dejectus, ac pro hæretico habitus est.

II. Arminiani ita appellati à Jacobo Arminio eorum magistro fuere. Arminius Amstelodamensis primò Minister, postea Lugduni Batavorum Theologiæ Professor, contemtâ Calvini, Bezæ, Petri Martyris, Zanchii, & aliorum Sectæ Doctorum auctoritate, Belgicarum Calviniani nominis Reformatorum (ut ajunt) Ecclesiarum Confessioni & Catechismo minimè standum esse dixit, aut saltem præjudicari non debere, quin ad merum Dei Verbum veritas examinari possit. Quia verò super hoc Hollandiæ Ordinibus ipse ejusque Sectarii anno 1609. scriptum vulgò dictum *Remonstrance* obtulerunt, ideò dicti etiam fuere *Remonstrantes*. Sed cùm eodem anno mense Octobri Arminius vitâ excessisset, causam ejus Sectatores, qui ad ingentem numerum jam excreverant, susceperunt.

III. Ex Articulis in præfata Confessione & Catechismo assertis quinque ut erroneos Arminius & sui Remonstrantes censurâ notabant. Primum & secundum de doctrina Electionis & Reprobationis absolutæ juxta mentem Calvini; tertium de opinione illorum qui dicunt Jesum Christum pro solis Electis mortuum esse; quartum de gratia irresistibili; & quintum de impossibilitate totalis & finalis lapsus eorum, qui hanc semel receperint. Adversùs istos Articulos Remonstrantes alios quinque ut ab Arminio acceperant in supplici libello edito in Actis Collationis Hagiensis habitæ anno 1611. opposuere.

IV. Ad primum ergo de Prædestinatione Arminiani dicebant:
„ Quòd nullum in Deo agnosci debeat Decretum absolutum, quo
„ decreverit, dare Jesum Christum solis Electis, eisque solis voca-
„ tione efficaci fidem, justificationem, & perseverantiam & glo-
„ riam concedere, sed quòd statuerit Jesum Christum Redemto-
„ rem communem omnium, & hoc decreto voluerit justificare &
„ salvare omnes qui in ipsum credidissent, & simul dare omnibus
„ media sufficientia ad salutem. Quòd nemo periret, quia tali-
„ bus mediis careret, sed quia eis abusus fuisset. Quòd electio
„ absoluta & distincta particularium fiat intuitu eorum fidei &
„ perseverantiæ futuræ, nec sit electio nisi conditionata. Et re-
„ probatio similiter fiat, ratione infidelitatis & perseverantiæ in
„ malo.„

Ad secundum de Universalitate Redemtionis asserebant:
Pre-

„ Pretium à Filio Dei solutum, non solùm esse sufficiens omni-
„ bus, sed & pro omnibus & singulis hominibus actu oblatum:
„ neminem à fructu redemtionis exclusum esse decreto absoluto,
„ nec alio modo quàm suo defectu. Deum à Filio suo placatum,
„ novum cum hominibus omnibus etsi peccatoribus & damnatis
„ fœdus iniisse.„

Quoad tertium, & quartum Articulum, postquam dixerunt, Gratiam Dei necessariam esse ad omne opus bonum nedum perficiendum, sed etiam inchoandum, addebant *Gratiam efficacem non esse irresistibilem*. Dicebant enim „ Quòd licèt Gratia inæqualiter
„ daretur, Deus tamen dabat seu exhibebat Gratiam sufficien-
„ tem omnibus, quibus annuntiatum erat Evangelium, iis etiam,
„ qui ad conversionem non perveniebant, & hoc voluntate since-
„ râ & seriâ salvandi omnes, non simulans se omnes velle salvos
„ re verâ autem & in effectu nolens, secretò aliquos ad peccata
„ incitans, quæ ipse publicè vetuerat„. Hunc Articulum doctrinæ Calvini opponebant, volentes quòd si aliquis se se perderet, hoc ex culpa ipsius resistentis Gratiæ, non ex voluntate Dei, volentis omnes justos & salvos, procederet.

Quoad quintum de Perseverantia docebant „ Deum veris fi-
„ delibus regeneratis dare media, quibus se in illo statu conser-
„ vent; posse tamen veram fidem justificantem amittere, & labi
„ in peccata cum justificatione incompatibilia & atrocia, in eisque
„ perseverare ac mori; & vice versâ ab eis per pœnitentiam re-
„ surgere, absque eo quòd ad eam per gratiam adstringantur„.
Hoc se asserere addebant „ Detestantes impia bonisque moribus
„ contraria dogmata, quæ in dies inter populum spargebantur,
„ nempè veros fideles in peccata per malitiam labi non posse sed
„ solùm per ignorantiam & fragilitatem, nec posse gratiam se-
„ mel acceptam amittere, nec quæcumque peccata in unum col-
„ lecta posse eorum electionem inutilem reddere aut incertam.
„ Hoc enim foret januam pandere carnali & perniciosæ securi-
„ tati, quâ quisque crederet, peccata quamvis horribilia sibi non
„ imputari, sed omnia peccata præsentia & futura, sibi anticipa-
„ tè esse remissa, ac inter hæreses, adulteria, & homicidia, pro
„ quibus posset excommunicari, fidem totaliter & finaliter se
„ amittere non posse„. Hæc sunt Arminii & Remonstrantium dogmata ex Bossuet Tom.3. Variat. Eccl. Protest. Lib.14. num.23. Quæ variis Thesibus postea explicarunt, quas videre est apud Alexandre in Hist. Sec.15. & 16. cap.2. art.12. §.3. num.6.

V. Franciscus Gomarus in eadem Academia Lugduni Batavorum Professor, omnium Calvini opinionum adorator, & vindex acer-

acerrimus homo petulans, violentus ac furiosus contra *Arminium* ejusque *Remonstrantium* Scholam insurrexit, suosque habuit Sectatores, qui *Gomaristæ* & *Contra-Remonstrantes* appellati sunt. Leydensis primùm Academia varia in studia scissa est, tota deindè Hollandia commota. Inter utramque factionem de Ordinum mandato acerrimè disputatum est: nonnullæ hâc occasione in fœderatis Provinciis Synodi harum dissensionum occasione celebratæ, Arminius ejusque Sectatores à Gomaro & suis Pelagianismi accusati. Harum disputationum exitus, qualis optabatur, non fuit. Factiones auctæ fuere, Academiæ inter Arminium & Gomarum scissæ: Arminius multos discipulos imo & integras Ecclesias sibi addictas vidit. Et quamvis anno 1609. ipse obierit, superstes tamen contentio permansit. Curatores Universitatis Leydensis in Arminii sobolem idest Remonstrantes, propensi, Conradum Worstium Ministrum & Professorem Steinfurdensem virum famâ celebrem in Arminii locum suffecere. Anceps per annum distulit Worstius: Tandem Leyden profectus Gomaristas sibi adversantes invenit. Sed publicâ disputatione dilutis imposturis, quibus Socinianismi, imò & Atheismi accusabatur, Gomaristis frementibus Hollandiæ Ordinum mandato cathedram ascendit quasi triumphalem.

VI. Non diù tamen reportati triumphi gloriâ potitus est; adeò enim inter Arminianos seu Remonstrantes & Gomaristas, seu Contra-Remonstrantes contentio & odium exarsit, ut Worstius tutius existimarit, Cathedram & Leyden dimittere: & fœderatas Provincias non modicus civilis belli timor invaserit, cui etiam augmentum præbuit species seditionis, quæ die 12. Februarii anno 1617. Amstelodami excitata fuit. Eâdem die, quæ Dominica erat, in domum cujusdam divitis mercatoris ad suæ Religionis exercitia celebranda Arminiani convenerant: cùm plebs violenter effractis portis repentè irruens domum illam diripuit, in Arminianum Ministrum sævire cœpit, qui vix è conjuratorum manibus, qui eum in aquas dejicere conabantur, elabi potuit; ac pejora evenissent, nisi à Magistratibus milites missi plebem dissipassent. Hoc facto terrore concussi fuere omnes aliarum Hollandiæ urbium Remonstrantes. Quare Advocatus Generalis Statuum Hollandiæ qui eis favebat, mutuam, silentio utrique parti indicto, tolerantiam proposuit. Causam suam nascentem tempori committere Remonstrantibus non displicuisset; verùm Ministri Adversarii, quorum præcipuus erat Gomarus, victoriæ spe elati, Principis Auriaci etiam patrocinio fulti pro causæ definitione conclamarunt.

VII. In-

VII. Interim Libelli utrimque spargebantur. Plures Provinciales Synodi apud Reformatos celebrabantur, in quibus Arminianorum causa pessum ibat. Sed cùm studio partium animi in dies magis accenderentur, de potentiori ac ultimo remedio cogitatum est. Propterea à Statibus Generalibus Nationalis Synodus Dordrecti indicta est. Ad eam vocati convenerunt Deputati ex Anglia, Scotia, Palatinatu, Hassia, Helvetia, è Republica Genevensi, Bremensi, uno verbo è toto Calvinianæ Reformationis corpore, ad examinandam, veriùs condemnandam, Remonstrantium doctrinam. Aperta est Synodus 13. Novembris anni 1618. Concionem habuit Balthasar Lidius Dordrectanus Minister. Post varias de Disciplina & aliis habitas sessiones, sess. 28. die 11. Decembris de Doctrina controversa agi cœptum est. Simon Episcopius Leydensis Professor quinque Articulos, de quibus erat contentio, Synodo Remonstrantium nomine præsentavit, solemni præmissâ protestatione, se ac suos Dordrectanam Synodum pro legitimo Controversiarum suarum Judice non habere; eâdem ratione, quâ Reformati omnes Synodum Tridentinam pro legitimo Judice habere noluerunt; quia sicut in illa, ita & in ista sederint Adversarii, & præcipuè Gomarus, aliique puri Calviniani, tanquam Judices nimirùm, qui dogmata de quibus fieri judicium oportebat mordicùs impugnabant: ideòque rogabat, ut & Remonstrantes admitterentur ad Synodum, ut examinatâ causâ justum ferri posset judicium, nec inauditi condemnarentur.

VIII. Super hâc protestatione consulti etiam exteri Theologi, illius nullam habendam esse rationem judicarunt. Idipsum Fœderatarum Provinciarum Delegati pronuntiarunt. Quare Arminianis responsum fuit, audacis præsumtionis argumentum Synodo videri, quòd Accusati legem præscribere suis Judicibus vellent. Hoc injuriosum esse non solùm Synodo, sed ipsis etiam Generalibus Statibus, qui Synodum convocaverant, eosque ut Judices delegerant. Nec Arminianis aliud superesse quàm decretis parere.

IX. His, dimisso Arminianorum Advocato, sententiam protulit Synodus, quâ Arminii & Remonstrantium dogmata confixit, atque Sectæ pertinacibus Ecclesiastico munere, nisi resipiscerent, interdixit. Forma Synodalis sententiæ hæc est: *Synodus invocato Dei sancto nomine, suæ auctoritatis ex verbo Dei probè conscia, omnium legitimarum, tum Veterum tum Recentium Synodorum vestigiis insistens, & Illustrissimorum DD. Ordinum Generalium auctoritate munita, declarat atque judicat, Pastores illos, qui partium in Ecclesia ductores, & errorum Doctores sese præbuerunt, corruptæ Religionis, scissæ Ecclesiæ unitatis, & gravissimorum scandalorum; cita-*

citatos verò ad hanc Synodum, intolerandæ insuper adversùs supremi Magistratus in hac Synodo publicata decreta, ipsamque hanc venerandam Synodum pervicaciæ reos & convicios teneri. Quas ob causas primò Synodus prædictis citatis omni Ecclesiastico munere interdicit, eosque ab officiis suis abdicat, & Academicis functionibus etiam indignos esse judicat, donec per seriam resipiscentiam, dictis factis studiis contrariis abundè comprobatam, Ecclesiæ satisfaciant, & cum eadem verè & plenè reconcilientur, atque ad ejus communionem recipiantur. His Dordrectana Synodus Arminii errores damnat, ut alteros priores nempè Calvini tueatur. Approbata fuit Synodus ab Ordinibus Generalibus 2. Julii anno 1619. & anno sequenti Galliæ Reformati eidem consenserunt in Synodo Alecti congregati.

X. Inter Arminianos, seu Remonstrantes seu eorum fautores eminebant Barnefeldus Ordinum Cancellarius, Hugo Grotius Syndicus Roterodamensis, Episcopius (de quo supra) Leidensis Professor, Hogerbetius, Utembogardus, Bertius Curcellæus: qui cum Dordrectanæ Synodi decretis parere constanter recusarent, Contra-Remonstrantium, seu Gomaro-Calvinianorum potentiâ oppressi sunt. Bernefeldus dum è Synodo exiret comprehensus anno 1619. 13. Maji coràm ingenti multitudine capite plexus est. Grotius in arcem Lovenstenam à 25. militibus traductus, indè post aliquod tempus industriâ fugam arripuit. Hogerbertus & alii carceri mancipati. Episcopius in Belgium Hispanum se recepit, ut indè propior & tutior succurrere Arminianis posset. Worstius verò adeò cautè se abscondit, ut quò se recepisset, detegi non posset. Non defuerunt qui etiam post Synodum pro Arminianis scripta typis vulgarent: undè non tam citò schisma extinctum fuit.

CAPUT CXIII.

De Anglicano Schismate.

§. I.

Antiqua Anglorum Fides, & Henrici VIII. pro ea Zelus.

I. Cum superiori Capite §. 1. de variis Calvinistarum Sectis, quæ Angliam discindunt, sermonem fecerim, operæ pretium duxi originem & causam, quâ Regnum illud ab Ecclesia Catholica secesserit, & in omnium hæresum asylum conversum fuerit. Hic exponere lugubrem sanæ historiam aggrediar, cùm agatur de Regione, quæ inter primas fidem Christi am-

amplexa fuit, & usque ad seculum sextum decimum, licèt inter varia bellorum discrimina, semper retinuit. Ut enim scribit Sanderus in Procemio Operis de Schismate Anglicano „ Britannos „ ad fidem Christi primus convertisse primamque Ecclesiam (an- „ no D. 50.) in illa Natione Christo erexisse perhibetur Josephus „ ab Arimathia: deindè eosdem in fide confirmavit (circa an- „ num 180.) Eleutherius Pontifex Romanus à Petro duodecimus, „ missis ad eos Fugatio & Damiano, qui Lucium Britanniæ Re- „ gem & permagnam populi partem baptizarunt, adeò ut Ter- „ tullianus vicinus eorum temporum L. adv. Judæos c. 7. scripse- „ rit, *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo subdita esse*.

„ Cùm autem Angli & Saxones Germaniæ populi, Britan- „ nis bello victis, & in remotiorem quendam Insulæ regionem „ conclusis, Regni fines longè latèque occupassent, Gregorius „ Magnus ad eosdem Saxones misit Augustinum, Melitum, & „ alios S. Benedicti Monachos, qui & gentem eatenùs Idolis de- „ ditam fecerunt Christianam, & Regem Cantii Ethelbertum „ Christi Baptismo imbuerunt. Ab illo die usque ad vigesimum „ quintum ferè annum Regis Henrici VIII. per annos circiter mil- „ le, non alia fides in Anglia viguit, quàm Catholica Romana: „ adeò ut ipsum Angliæ Regnum jam indè ab Ina potentissimo „ Rege usque ad Henrici VIII. tempora, per annos plusquam „ octingentos, tributi ceù voluntariæ oblationis nomine de sin- „ gulis domibus singulos argenteos Pontifici Romano in honorem „ Divi Petri, & peculiarem suæ devotionis erga Sedem Aposto- „ licam testificationem, persolverit; unde etiam Denarii Petri „ vulgò dicebantur „. Hæc Sanderus de Angliæ fide, pietate, & Sedi Apostolicæ obedientia, usque ad infelicem Henrici VIII. defectionem, de qua postea.

II. Post Henrici VII. mortem Rex Angliæ salutatus est Henricus Walliæ Princeps ejus filius, Anglorum Regum nomine Octavus, adolescens annorum duodeviginti. Si Regni ejus spectentur exordia, multa in bonum Catholicæ Religionis promittere videbuntur. Tunc exortam hæresim Lutheranam toto conatu insectatus est: damnato à Romano Pontifice Luthero, omnia ejus scripta in Londinensi platea cremari jussit, ac eodem tempore voluit, ut se præsente Joannes Fischerus Episcopus Roffensis, pro defensione Romani Pontificatus, contra quem novus Hæresiarcha Lutherus adeò insanierat, enixè peroraret. Quin & ipse Rex Henricus Librum de vera septem Sacramentorum fide conscripsit, quem Leoni X. Romano Pontifici obtulit, à quo propterea singulari *Defensoris Fidei* elogio decoratus fuit. Quare Georgius Conæus Lib. de Duplici

 Sta-

Statu Relig. de Henrico VIII. *Hic quidem*, inquit, *tot Regiis dotibus Regni sui ornavit exordia, ut beata jure merito diceretur Anglorum gens, cui talem Principem Divina benignitas tribuisset. Exorientes primùm Lutheri hæreses auctoritate Regiâ ab Angliæ finibus constanter arcuit, & scripto ad Leonem X. de Septem Ecclesiæ Sacramentis Libello, ab eodem meruit titulum* Defensoris Fidei, *quo augustior nullus Catholico Principi concedi potuit*. Fortes insuper literas ad Saxoniæ Ducem, & alios Principes Lutheri hæresi infectos, in defensionem Ecclesiæ Romanæ scripsit: Lutheranos qui in suum Regnum confugerant ad mortem persecutus est. Suas Carolo V. Imperatori querelas exposuit ob violatam in direptione Romanæ Urbis Clementis VII. majestatem, eique in sui custodiam quatuor mille equites Regiis expensis alendos obtulit. Hic Henrici VIII. pro Catholica fide & Romano Pontifice zelus, in quo si perstitisset, Constantino & Carolo Magnis fuisset meritò comparandus.

§. II.

Henrici VIII. lapsus & defectionis origo.

I. MOdò ad lugendi, in quod prolapsus Henricus fuit, exitii, secumque Regnum Angliæ traxit, originem & causam exponendam transeo. Dum Henricus VII. adhuc in vivis ageret anno 1500. inter ipsum & Ferdinandum & Elisabetham Hispaniæ Reges actum, & anno sequenti conclusum est, ut Arthurus major natu ipsius Henrici filius Catharinam Catholicorum præfatorum Regum filiam, locupletissimâ dote constitutâ, in uxorem acciperet. Nuptiæ Londini decimo octavo Kal. Decembris anni 1501. apud Ecclesiam S.Pauli celebratæ sunt. Sponsi summâ nocte ad thalamum deducti. De medicorum tamen consilio caverat Henricus, ut gravis quædam Matrona in eodem cum Sponsis thalamo sociata, videret, ne carne conjungerentur, eò quòd Arthurus decimum quintum ætatis annum vix dum attingeret, & lento præterea morbo laboraret; cujus tabe post quintum mensem confectus anno 1502. ex hac vita migràvit.

II. Mortuo jam Arthuro, cùm Catholici Reges filiam suam repeterent, nova nuptiarum conditio ab Henrico VII. proposita, & à Regibus Catholicis tandem acceptata est, ut scilicet, impetratâ legitimâ Summi Pontificis dispensatione, Catharina Henrico Arthuri defuncti fratri duodecimum ætatis annum agenti desponderetur. Causâ primùm per utriusque Regni Theologos, & Jurisconsultos peritissimos, an fieri honestè posset, discussâ, cùm omnes

de jure constare convenirent, per utriusque Regis Legatos relata est primùm ad Alexandrum VI. deindè ad Pium III. Sed utroque vitâ functo priusquam hoc negotium finitum esset, ad Julium II. transiit, qui, cùm gravissimorum virorum præhabito consilio, Jus Divinum non obesse, sed solum Jus humanum, cui tunc derogare paci & publico bono expediens foret, petitam dispensationem locum habere declaravit, & nuptias contrahendi veniam potestatemque fecit.

III. Verùm quia ex hac dispensatione tanquam illegitima ab Henrici adulatoribus occasio sumta fuit repudii, ac Henrici totiusque Angliæ Regni ab Ecclesia Catholica Romana rebellionis; operæ pretium existimo, breviter ostendere, præfatam dispensationem Divino Juri non fuisse contrariam. Nam si status naturæ spectetur, Judas Patriarcha jussit secundò genitum suum Onam, ad Thamarem primogeniti fratris absque liberis defuncti uxorem ingredi, ut semen fratri suo suscitaret. (Genes. 38. v. 8.) Si Lex Mosaica consulatur, idipsum fratri superstiti etiam sub infamiæ pœna præceptum reperitur (Deuter. 25.). Fieri autem non potuit, ut Deus, qui Legem naturalem totius naturæ humanæ perpetuam ducem & regulam esse voluit, eam aliquando mutarit, aut dissolverit, aliàs Deus se ipsum negaret, aut sibi contradiceret. Igitur superstitis fratris nuptiæ cum alterius fratris sinè liberis defuncti uxore contractæ nullo modo Legi æternæ, aut naturali repugnant, sed tantùm Legi humanæ, & Ecclesiasticæ, cujus ex justa causa relaxatio penes Pontificem Romanum est.

Nec obstat quod dicitur Levitici 18. v. 1. *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis*. Nam turpitudinem uxoris fratris, quam revelari Lex vetat, in hoc matrimonio nulla erat, quoniam Arthurus Catharinam uxorem nunquam cognoverat. Deindè, ut ait S. Augustinus qu. 61. in Leviticum: *Si fratre mortuo intellexerimus prohibitum esse ducere fratris uxorem; occurrit illud, quod excitandi seminis causâ, si ille sinè filiis defunctus esset, jubet Scriptura* (Deuter. 25.) *esse faciendum: ac per hoc collatâ istâ prohibitione cum illa jussione, ne invicem adversentur, intelligenda est exceptio, idest, non licere cuiquam defuncti fratris ducere uxorem, si defunctus posteros dereliquit: aut etiam illud esse prohibitum, ne liceret ducere fratris uxorem, etiam quæ à fratre vivo per repudium recessisset.*

IV. Dispensatione obtentâ, inter Henricum & Catharinam sponsalia ineuntur. Dum verò ob immaturam adhuc Henrici ætatem tempus nuptiarum expectabatur, accidit, ut dum præparatur pompa nuptialis, cogitandum esset de funeribus: nam Elisabetha Catharinæ mater in Hispania, itemque post Henricus VII. in Anglie

glia anno 1509. diem ultimum obierunt. Henricus VIII. jam decimum octavum ætatis annum ingressus Regno potitus est, & quamquam semel dixisset, se à nuptiis Catharinæ abstenturum, tamen re accuratiùs perpensâ, & dispensatione Pontificis in omnium Optimatum conspectu publicè recitatâ, nullo mortalium vel tantillum scrupuli opponente, de totius Consilii sententia Catharinam in uxorem tertio nonas Junii anno 1509. palam accepit, ac die S. Jo. Baptistæ proximè subsecuto, non minùs uxori, quàm sibi Regium diadema cum ingenti omnium lætitia apud celebre S. Benedicti Cœnobium, quod Londino ad solis occasum adjacens Westmonasterium appellatur, sibi imponendum curavit. Genuit Henricus ex Catharina filios tres, & duas filias, ex quibus major natu filius (cui etiam Henrici nomen fuit) nono post nativitatem mense è vita sublatus est. Cùmque cæteri etiam non diù postquam nati essent vixissent, sola Maria anno septimo Henrici VIII. apud Grevicum 12. Kal. Martias anni 1515. in lucem edita, utrique parenti superstes mansit.

V. Inter Henricum & Catharinam dissimilitudo fuit: tum ætatis, nam illa superabat virum ætate saltem quinquennio: tum & maximè in moribus: nam surgebat mediâ nocte, ut nocturnis Religiosorum precibus interesset, mane horâ quintâ ornabat se quàm citissimè, nihil sibi temporis, præter hoc solum quo se vestiebat perire dicens. Sub Regiis vestibus S. Francisci habitu, cujus tertio Ordini nomen dederat, utebatur. Omnibus sextis feriis & Sabbatis jejunabat, vigiliis verò B. Mariæ Virginis solo pane & aquâ vivebat. Quartis & sextis feriis peccata Sacramentali Confessione expiabat, Dominicis verò diebus Eucharistiam quoquè sumebat. Officium B. V. quotidiè recitabat, sex horis continuis manè in Templo Sacris Officiis vacabat: à prandio Sanctorum vitas, ancillis etiam adstantibus, ad duas ferè horas legebat: indè Templum repetens vacabat Orationi ad horam cœnæ, quam sumebat parcissimam. Flexis absque pulvinari orabat genibus. Omnium denique virtutum cultu eminebat. Solùm deerat ut tentatio illam probaret, quod ut dicam evenit.

At Henricus è converso libidinibus deditus, non minùs perditè, quàm Catharina sanctè vivebat. Cum nobilibus puellis, quas Regina in comitatu & ministerio habebat, colludere frequentiùs in Gynecæo, quàm in Templo; saltare lubentius, quàm orare; furtivas cum aliis venari voluptates in more habebat. Indè paulatim factum est, ut Reginæ sanctimoniæ eum tædere, & animo ab ea, utpotè suis moribus non conformi, alienari inciperet. Nascenti incendio primus facem præbuit Thomas Volsæus. Is humili,

mili, imò & vili genere natus, in Regis gratiam suis se moribus conformans, & lubricas ejus actiones nedum probans, sed promovens, insinuare se cœpit. Quod illi adeò feliciter contigit, ut ad summas dignitates favore Regis paulatim adrepserit: Eboracensis Archiepiscopus, Regni Cancellarius, S. R. E. Cardinalis, & Sedis Apostolicæ per totam Angliam à Latere Legatus creatus, eò ambitionis & arrogantiæ devenit, ut non aliò aspiraret, nisi ut Thiarâ caput suum redimiret, & Apostolicam Sedem conscenderet. Carolo V. adeò familiaris fuit, ut ad eum manu propriâ scribens se subscriberet *Filius vester & cognatus Carolus*. Verùm cùm postea Carolus, maximè capto in prælio Ticinensi Francisco I. Galliarum Rege, non tantam Volsæi rationem haberet, cùmque ad ipsum scriberet nudum Caroli nomen apponens, Volsæus exacerbatus, rupto cum Carolo fœdere, ad partes Regis Galliæ totus transivit, & contra Imperatorem machinari cœpit.

VI. Ab eo autem quod in promtu habebat initium Volsæus sumsit. Noverat, quàm alieno esset animo à Catharina uxore Henricus. Ad inurendam ergo familiæ Imperatoris maculam, Catharinæ materteræ ejus à Regio thalamo cum dedecore disjungendæ consilium cœpit. Hoc animo agitans, Joannem Longlandum Lincolniensem Episcopum, qui Henrico erat à Confessionibus, accersit, eique sub specie salutis æternæ Regis & boni publici venenum quod alebat in corde aperuit: mirari se dicens, quòd ipse in cujus manu Regis conscientia erat, toleraret, uti in illegitimo, & incestuoso concubitu, quia cum uxore fratris, permaneret. Longlandus Volsæo contradicere non ausus, par esse respondit, ut prior ipse Regem admoneat, eique ostendat, in quàm gravi peccato permaneat, germani fratris sui thalamum polluens. Volsæo igitur Regem super hoc allocuto, facilè aurem accommodavit Henricus, non conscientiæ scrupulo, sed ut viam sibi pararet ad exsaturandam cum alia (Bolena) libidinem, quâ diù urebatur, solùm ex hoc metuens infamiam publicam. Longlandus hoc idem Regi pro conscientia aperit; ipsumque rogat, ut saltem Doctorum sententias exquirat. Haud difficulter annuit Rex, jamdudum Catharinæ pertæsus. Annum integrum in examinanda cum Consilio suo hac causa insumsit; nihil tamen reperire potuit, quod desiderium Catharinæ uxoris dimittendæ juvaret.

VII. Dum hæc in Anglia geruntur, non longè abfuit Romæ excidium. Decreverat Carolus Borbonius crudelius eam tractare, quàm olim fecerant Barbari: & nisi Deus ejus conatibus obstitisset, cùm sacra mœnia tormentis undique quateret, flammâ & sanguine totam replevisset. Nuntiatur in Angliam, Papam Clemen-

men-

mentem VII. captivum Romæ teneri. Quâ occasione arreptâ Cardinalis Volsæus Regem monet, ut triumphos suos augeat; cùmque scripto adversus Lutherum Libro de Septem Sacramentis titulum Defensoris Fidei jam acquisierit, gloriam istam novâ gloriâ accumulet, Pontifice, quem Imperator captivum teneret, ex præsenti discrimine erepto. Placuit Regi hoc consilium: sperabat enim hoc sibi emolumento fore, ac ita se posse suo sumtu Romanum Pontificem sibi demereri, ut uxore Catharinâ Cœnobio alicui inclusâ, novum matrimonium contrahendi, facilè veniam ac potestatem esset obtenturus. Itaque sinè mora datis Volsæo trecentis aureorum millibus ipsum cum Collegis duobus in Gallias mittit: eique mandata quædam occulta sensim dat ad Regem Franciscum perferenda, de divortio Catharinæ, de matrimonio cum Margarita ejus sorore, & de filiis ejus duobus ex Cæsaris manu eripiendis. Lætus legatione Volsæus mare trajecit. Sed dum Caleti agit, novas ab Henrico literas accipit, quibus ei præcepit, ne ullum de novo matrimonio cum sorore Regis Galliæ verbum faciat, sed tantùm de reliquis articulis. Ægrè tulit hoc Volsæus, videns prohibitum sibi esse quod maximè in votis habebat.

VIII. Dum Volsæus consiliis suis in Gallias abripitur, Rex Henricus in Anglia nihil aliud animo versat, quàm Reginæ repudium, & insanum Annæ Bolenæ amorem, & cum ea conjugium. Sed quod magìs horrendum est, fertur Annam hanc fuisse ipsius Henrici filiam ex adulterino concubitu cum uxore Thomæ Boleni, dum biennio in Galliis munere Legati fungeretur, intra quod tempus uxor ejus filiam illam enixa est: & hoc ex ipsius uxoris confessione, ut virum Thomam Bolenum post reditum placaret, constare dicunt. Et addunt aliud Henrici facinus, nempè quòd post cognitam matrem, Thomæ Boleni uxorem, cognoverit etiam utriusque filiam nomine Mariam: sic ut cum matre & filia rem habuerit. Unde fertur, Henricum ipsum ab Equite quodam de Bolenorum gente nomine Briano, aliquando quæsivisse, quale peccatum videretur, matrem primùm, deindè filiam cognoscere? Cui Brianus: omnino, inquit, tale, ò Rex, quale gallinam primùm, deindè pullum ejus gallinaceum comedere. Quo responso adulatorem verè nequissimum Brianus se ostendit. Ex his quæ referunt Floremundus Remundus Lib. 6. Synopsis cap. 2. n. 1., & Sanderus Lib. 1. de Schismate Anglicano, si vera sunt, conficitur, Henricum expetendo & demum contrahendo nuptias cum Anna Bolena, nuptias patrem cum filia contraxisse, quod nedum immane sed inauditum flagitium est.

IX. Modò à qualitate ortus ad qualitates formæ & morum gra-

gradum facio. Si formam spectemus, ipsam eximiè pulchram censeri, nævi non mediocres minimè permittebant. Sed labiorum venustas, aspectus amabilis & majestatem præferens, vestium elegantia, & saltandi ac fidibus ludendi peritia, lepida & ad facetias & jocos composita indoles, Henrici Regis libidinem postea illexerunt. Si mores & artem attendamus, ferunt eam vix annum quintum decimum agentem ab eo, qui Thomæ Boleno à poculis erat, deflorari se passam, & cum eo qui eidem à facellis erat libidinem exercere perrexisse; inde in Franciam missam talem impudicitiæ famam contraxisse, ut *Equa Anglicana* vocaretur. Cùm in Angliam reversa esset, videns Henrici animum ad libidinem pronum, ac demum sui amore captum, meretricium animum specie quâdam & larvâ pudoris obduxit: adeò ut quamvis à Rege sollicitata, constanter restiterit, jurans, se cuiquam hominum potiundi sui corporis facultatem usquam daturam, nisi conjugali jure. Hâc repulsâ, quamvis sæpiùs rogata, Regis animum magis magisque accendebat, qui se non felicem putabat nisi, repudiatâ Catharinâ, hanc sibi matrimonio copularet.

X. Henricum nuptias cum Anna Bolena meditari, nedum per Angliam ferebatur, sed in Galliam volabat rumor. Quo audito Thomas Bolenus, qui legationem tunc in Galliis agebat, & qui novæ Reginæ Annæ pater credebatur, conscius eorum, quæ sibi uxor sua secretò revelaverat, nempè, Annam non esse filiam suam, sed Regis ex furtivo cum ipsa concubitu genitam, absque mora transfretavit in Angliam, & impetratâ à Rege secretâ audientiâ, exposuit illi, quæ ab uxore didicerat, rogans eum, ut à tali matrimonio, quod nedum probrosum, sed exitiale esset, quia contra Legem Divinam & naturalem, utpotè patris cum filia, abstineret. Cui Rex: *Tace, ò stolide*, inquit, *centum alii ex æquo tuam uxorem compresserunt, cujuscumque illorum sit filia, certè erit uxor mea. Tu ad Legationem tuam revertere, & si vis esse consultum vitæ tuæ, rem silentio preme*. Ita refert Remundus citatus num. 2.

XI. Interea reverso à Legatione Volsæo, ejus consilio causa repudii Catharinæ agitari cœpta est. Mittitur ad Summum Pontificem à Rege Legatio, postulantur Judices Campegius & Volsæus ipse, Cardinales; causâ primùm Romæ disceptatâ in selectorum Theologorum & Cardinalium consessu; concessi deindè Judices, quos Rex optabat: ab ipsis Regina appellavit; primùm quòd locus judicii parum æquus videretur, cùm Henricus hujus litis Actor rerum in Anglia potiretur, ipsa in Hispaniis nata ibi hospes esset; deindè quòd sibi suspecti essent, utpotè Regi devincti, imò & subditi essent. Prolata in medium Regiorum Procura-

torum momenta contra Henrici & Catharinæ matrimonium, & diploma Julii II. qui illud contrahendi veniam fecerat, Reginæ Advocati luculenter confutarunt. Erant hi Guillelmus Varamus Archiepiscopus Cantuariensis, & Joannes Fischerus Episcopus Roffensis, alii quatuor pietate simul ac doctrinâ spectatissimi Præsules, totidemque Theologi, non ad aulicam auram flectere sententias, sed ad Scripturas, Traditiones, & Sacros Canones expendere soliciti. Hi & verbis & libris, quos Legatis Apostolicis exhibuere, disertè probarunt, nullam esse in terris potestatem, quæ Regis & Catharinæ matrimonium, quod Deus conjunxerat, dissolvere aut separare posset.

XII. Rex, urente libidine, moræ impatiens Legatos acriter urgebat, ut causam finirent. Procrastinabant illi præcipuè Campegius, festinationem in causa tanti momenti calumniæ obnoxiam fore dicens, & in Orbis Christiani scandalum cessuram, cùm maximè ageretur de matrimonii, per viginti annorum cohabitationem pacificam & liberorum susceptionem roborati, dissolutione, de abjectione & exhæreditatione Regiæ prolis, Mariæ scilicet Walliæ Principis, quam hactenus Henricus ipse pro legitima habuerat, & in spem successionis in Regnum educaverat.

XIII. Dum hæc in Anglia aguntur, Pontifex Appellationis à Regina interpositæ causam ad se revocavit, ulteriori ejus cognitione Legatis interdictâ. Campegius Romam revertitur. Pontifex Paulo Capisucco Romanæ Rotæ Decano causam committit. Rex misso Romam Thomâ Cranmero, alios Theologos & Jurisconsultos ad sua vota pertrahere conatus est: inter alios Reginaldum Polum, & Thomam Morum viros integerrimos tentavit, sed frustrà, imò hi Reginæ causam scriptis tuiti sunt. Quare Rex suæ causæ timens vetuit, ne quis è suis subditis sine ejus licentia Romam peteret. Volsæus verò, qui primus divortii auctor fuerat, ac postea viderat Regem turpi erga Annam Bolenam amore obcæcatum, cùm remissiùs rem agere cœpisset, imò rem pœnitendam se commisisse fassus esset, Cancellarii dignitate ac Episcopatu Wintoniensi abdicatus, Palatio quod Londini immensis opibus refertum habebat spoliatus, in Ecclesiam suam Eboracensem relegatur. Sed cùm Rex audisset, Volsæum ibi etiam splendidè agere, jussit eum præsente nobilium multitudine ab Henrico Northumbriæ Comite apprehendi, & captivum Londinum duci. At in ipso itinere apud Leceſtriæ oppidum obiit ad 14. Kal. Decembris anno 1530.

Sermones sparsi sunt, eum spontè venenum sumsisse. Hoc tamen certum est, quòd cùm in eum tanquam Læsæ Majestatis reum

reum manus injicerentur, has in voces erupit: *Utinam nihilo magìs læsæ Majestatis Divinæ reus essem. Nunc autem dum nulli rei magìs incubui, quàm ut Regi penitùs inservirem, & in Deum peccavi, & Regis gratiam non obtinui.* Utinam hæc ex corde verè pœnitenti protulerit, ac æternam pœnam evaserit.

XIV. Eodem tempore, Guillelmo Varamo, qui à partibus Catharinæ stabat, Archiepiscopo Cantuariensi vitâ functo, in ejus locum Henricus substituit Thomam Cranmerum, qui Thomæ Boleno Annæ patri erat à Sacris; hominem, qui se in omnibus, nullâ aliâ Religionis aut disciplinæ habitâ normâ, ad Regis nutum componeret. Verùm cùm Henricus in dies animadverteret, viros Ecclesiasticos, divortium, quod ipse impatiens volebat, communiter execrari; Clerum subigere decrevit, suæque voluntati per vim mancipare. Adornatâ itaque calumniâ de infractione Legis, quam Angli vocant *de Præmunire*, Sacrum Ordinem universum in Jus vocavit, quòd Pontificiorum Legatorum auctoritatem contra Regis mandatum coluissent, ac propugnassent, ideòque Clericorum totius Regni bona in commissum cecidisse, & Fisco esse obnoxia pronuntiavit. Clerus omni patrocinio destitutus, præsertim cùm Cranmerus Cantuariensis, & Lejus à Rege paulò ante Eboracensi Episcopatu donatus, fœdè Regi adularentur, habito consessu quodam, pro necessitate temporis penè omnes omnium Ordinum Clerici unâ voce Regi supplicarunt, ut aureorum quadringenta millia, quæ ad criminis commissi expiationem suæ Majestati offerebant, benignè accipere, reliquamque eis debitam pœnam condonare dignaretur: idque pro summa illa potestate, quam in Regno suo, eum tam in Clerum quàm in reliquum populum habere jam primùm fatebantur.

XV. Quàm perniciosa fuerit hæc Cleri adulatio demonstravit eventus. Indè enim primam occasionem sumtam ajunt, ut Rex supremum Anglicanæ Ecclesiæ Caput postea diceretur: & passim in ore pessimi cujusque ferretur, nihil Romano Pontifici in Regno Angliæ negotii esse, nisi quantum ei concedere Regi videretur; Nam alioquin omnem animam Regiæ potestati etiam in spiritualibus subditam esse. Quo via parabatur ad dicendum legitimâ auctoritate Henricum Catharinam repudiasse. Viri graves & pii mala quæ indè secutura erant prævidentes, paulatim nitebantur aulâ se & publicis subtrahere ministeriis. Inter hos Thomas Morus vir omni genere virtutum præcellens, qui summus Regni Cancellarius erat, Regem adiit, ac suæ senectutis ac laborum excusationem prætexens, supplex Regem rogavit, ut à Magistratu se abdicandi veniam concederet. Cui Rex assensit, licèt non ignoraret ve-

veram talis abdicationis causam. Et in ejus locum constituit Thomam Audlæum hominem tenuis fortunæ, sed ad sua desideria paratiorem, eique dono dedit Monasterium Londini, cui nomen Ecclesia Christi, unà cum Ecclesia, ædificiis, ac redditibus, Canonicis Regularibus, quorum erat, ad alia Monasteria amandatis. Hinc patere cœpit, qualis erga Religiosos esset Henrici animus.

XVI. Hæc & alia cùm ad Clementis Pontificis aures pervenissent, simulque à Cardinalibus Gallis didicisset, Henricum adeò impotenti erga Annam Bolenam amore æstuare, ut nulli esset dubium, quin eam brevi publicè duceret, Pontifex summum dolorem concepit, vidensque privatis monitis, quibus eum obtestatus fuerat, ne pendente lite quidquam faceret, nihil se consecutum fuisse; debitum sui Pastoralis officii existimavit, aliis publicis & in forma Brevis, ei sub anathematis pœna præcipere, ne ultra progredi non terminatâ lite tentaret. At Henricus instar juvenci indomiti vincula disrupit, ac spretis Optimi Patris monitis ac mandatis, Annam Bolenam priùs Pembruchi Marchionissam creatam ad 18. Kalendas Decembris anni 1533. clam uxorem duxit, nuptiis à Rolando quodam Presbytero ante solis ortum celebratis; cui sciscitanti, ut sibi traderetur sententia Summi Pontificis de matrimonii cum Catharina dissolutione, Rex constanter asseruit, se eam apud se retinere, unde in ejus fidem eos conjunxit.

XVII. Henricum jam perditum in deteriora semper ruentem deinceps lugebimus. Thomæ Cranmero jam Cantuariensi Archipræsule, & Audlæo Cancellario creatis, alterum favore Annæ Bolenæ adjunxit, Thomam scilicet Cromuellum, hominem Lutheranæ factioni addictum, vaferrimum, ambitiosum, avarum, & Ecclesiastici Ordinis hostem infensissimum. Hi aliique adulatores Regi persuaserunt, ut in Comitiis Regni novum à subditis, & omnibus etiam viris Ecclesiasticis exigeret juramentum, quo eamdem suæ Majestati obedientiam jurarent, quam antea Romano Pontifici promittere consueverant, in caussis etiam Ecclesiasticis & spiritualibus. Huic tentationi, licèt ægrè, tandem cessit Joannes Fischerus Episcopus Roffensis, adjectâ tamen limitatione, quam sibi non ingratam fore Rex ipse testatus est, nempè *quantum per Dei Verbum liceret*. Hâc à Roffensi, qui Anglicani Cleri columna habebatur, confessione excusâ, cæteri omnes Regis voluntati facilè cesserunt. Roffensis verò suam deceptionem compertam martyrio postea purgavit.

XVIII. Hisce statutis, Cranmerus, qui eâ lege Archiepiscopus Cantuariensis constitutus fuerat, ut divortium Regis, Romano etiam Pontifice repugnante, latâ sententiâ approbaret, frustra in

Jus.

jus vocatâ Catharinâ, pronuntiavit, jure Divino impositam esse Regi necessitatem, Catharinam, utpotè defuncti fratris sui uxorem, dimittendi, ac novi conjugii contrahendi concessam libertatem. Hâc sententiâ fretus Henricus, quam quinque ante menses sibi copulaverat, Annam solemni pompâ duxit. Nuptiis pro die Iduum Aprilis, quæ Vigilia erat Resurrectionis Dominicæ celebratis, nova sponsa (veriùs pellex) Regio diademate ornata est postridie Kal. Junii anni 1533.

XIX. Cùm matrimonii hujus fama fines Angliæ egressa ad exterorum aures pervenisset, dici non potest, quantum admirationis & doloris in Pontificis & Principum animis excitaverit, præcipuè verò Cæsaris, qui coram Pontifice, ut suo uteretur Jure, fortiter postulabat. Distulit tamen Pontifex, tum solitâ in Henricum pietate, tum quia in congressu, quem cum Francisco I. Galliarum Rege Massiliæ, quò iter parabat, habiturus erat, in spem venerat, fore, ut Henricus ad saniora rediret. Sed fefellit eventus. Nam Pontifex Massiliam appulsus, dum cum Francisco Rege ibi maneret, Henrici Legati supervenerunt, qui Pontificis cubiculum ingressi, ipso etiam Francisco Rege audiente, tam insolenter se gesserunt, ut palàm de Pontifice ipso colloqui, & ab ejus auctoritate ad futurum appellare Concilium non desisterent. Tum & Franciscum Henrici pudere, & Pontificem indulgentiæ pœnitere cœpit. Unde ipse Rex Christianissimus Pontifici suasor fuit, ut Henrici causam deinceps ex Legum Ecclesiasticarum præscripto decideret: se enim ab hac Henrici inobedientia defendenda adeò abfuturum, ut eidem se constanter adversaturum profiteretur. Idipsum respondit postea aliis ejusdem Henrici Legatis, qui vi fœderis auxilium postulabant: *Aliis*, inquit, *in rebus omnibus se fratris animum Henrico præstiturum: sed in iis quæ contra Religionem fierent, non velle cuiquam associari*. Responsum Rege Christianissimo verè dignum, & meritò à Polo celebratum.

XX. Clemens igitur Romam reversus peremtoriam tulit sententiam, quâ ejectionem Catharinæ Reginæ à possessione juris conjugalis, & Regiæ dignitatis, & matrimonium inter Henricum & Annam contractum, nulla, injusta, & attentata fuisse & esse declaravit; prolemque susceptam, seu suscipiendam illegitimam fuisse & esse: præfatamque Catharinam Reginam ad suum pristinum statum, & quasi possessionem juris conjugalis, & Reginalis dignitatis restitui ac reponi debere, dictumque Regem dictam Annam à cohabitatione sua, & quasi possessione juris conjugalis & Regii ejicere & amovere debere, prout ipse Pontifex restituit & reponit, rejicit & removet. Ipsum Henricum Regem, ob inobe-

bedientiam, & contemtum mandatorum Sedis Apostolicæ in majoris excommunicationis, & alias censuras & pœnas incurrisse declaravit: suspenso nihilominus ad mensem censurarum effectu, ut Pontificiæ sententiæ ac mandatis commodiùs Rex parere possit.

XXI. His in furorem præceps Henricus, sub pœnis gravissimis edixit, ne quis in posterum Catharinam Reginam, vel Henrici Regis uxorem, sed tantùm Arthuri Principis viduam appellaret: Mariam ex Catharina filiam, quam ante omnes Regni Ordines Walliæ Principem & Regni hæredem juraverant, omni Regio ornatu detracto, tanquam spuriam & illegitimam, ad Catharinam matrem remisit, ut cum ea privatam vitam ageret. Constituti in Catharinæ domo famulorum loco custodes & exploratores: & in ejus amicos & fautores sævitum. Nata est interim Annæ filia Elisabetha septimo Idus Septembris in pervigilio Nativitatis B. Mariæ Virginis, quinque mensibus post solemnes nuptias nondum elapsis. Mox initium Piorum persecutioni datum est: Joannem Fischerum, Thomam Morum, ducentos Fratres Minores de Observantia in carcerem detrusit; quòd Catharinæ matrimonium, Mariæ filiæ legitimitatem & successionem ad Regnum acriter propugnarent; contra verò nuptias Regis cum Anna legitimas esse, & natam ex iis Elisabetham prolem legitimam & Regni hæredem esse exclusâ Mariâ, palàm improbarent. Exindè celebrata sunt Comitia 3. Nonas Novembris anni 1534. in quibus, de communi depravatorum Procerum consensu, Maria omni natalium honore privata est, & omnia in Elisabetam translata sunt. Statutum deindè est, nullam Romano Pontifici in Anglos & Hibernos potestatem & jurisdictionem deinceps in perpetuum fore: & perduelles declarati, qui in eo Primatum Jurisdictionis assererent. Anglicanæ Ecclesiæ summum & unicum in terris Caput Rex declaratus: cujus unius esset supremâ auctoritate errores, hæreses, abusus omnes emendare: cui eo nomine Sacerdotiorum omnium Annatæ & Decimæ solvi deberent. Nomen Papæ ubique inductum ac proscriptum: imò in Litaniis impia hæc & sacrilega verba Henrici mandato sunt apposita: *Ab Episcopi Romani tyrannide & detestandis enormitatibus libera nos Domine.*

XXII. Henrici defectionem à Romano Pontifice omnes Catholici execrati sunt. Franciscus I. Rex Christianissimus Henrici Legatos super hac re ne quidem audire voluit. Imò cùm nec ipsi Lutherus & Calvinus usurpatum ab eo Ecclesiæ Primatum probarent, jussit Henricus, ut sui tam Concionibus quàm Libris editis hunc novum suum in rebus Ecclesiasticis Primatum tuerentur. Hâc Regis voce excitati, aliqui partim spontè, quia hæresi fave-
bant,

bant, partim ne Regem offenderent, coactè executi sunt. Reginaldum Polum consanguineum ad scribendum pro monstruoso suo Primatu præ cæteris hortatus est, sed frustra; quin immò hunc fortiter oppugnavit Libris *De Unione Ecclesiastica* ipsi Regi inscriptis. Quibus tantum Regis odium in se commovit, ut patriæ proditor, ac læsæ Majestatis reus ab eo sit declaratus, & vita ejus multiplicibus insidiis appetita: mater, frater, avunculus necati, familia ejus universa penè fuerit extincta.

Immani etiam furore insectatus est Religiosos, tyrannidis ac schismatis sui impugnatores, Ordinum præcipuè Carthusiani, S. Birgittæ, & S. Francisci Professores, ex quibus multi in Henrici persecutione martyrio coronati sunt. Celebres inter istos fuere Joannes Fischerus Episcopus Roffensis, & Thomas Morus. Utriusque gloriosos agones ex Sandero Lib. 1. referam. Fischerus in carcere jacens ob eximiam sui doctrinam, & pro fide zelum (defuncto jam Clemente) à Paulo III. Cardinalium Collegio adscriptus fuit. Hoc cùm audisset Henricus, 10. Kal. Julias anni 1535. eum ad tribunalia duci jubet, ubi cùm Henrici Primatum confiteri nollet, indè ad mortem ducitur „ Qui cum scenam, in qua gloriosum „ certamen consummaturus erat, è longè conspexisset, abjecto, „ quo senex nixus erat baculo: *Eja*, inquit, *pedes, officium facite*, „ *parum itineris jam restat*. Constitutus autem in loco martyrii, „ sublevatis in Cœlum oculis: *Te Deum*, inquit, *laudamus*, *te Dominum confitemur*. Quem hymnum ubi totum absolvisset, cer„ vicem securi subjecit, animam Deo reddidit, justitiæ coronam „ accepit. Caput hastili affixum, & in ponte Londinensi omnium „ oculis expositum, quò diutiùs ibi suspensum manebat, eò „ magis floruisse, ac venerabilius factum esse dicitur, ob quam „ causam loco amotum traditur „. Hæc Sanderus citato loco pag. 135.

XXIII. De Thomæ Mori glorioso exitu plura prævia narrat idem Sanderus. Certior enim factus (quod Rex vetuerat) de die, quâ Roffensis ducebatur ad mortem, cùm vehementer timeret, ne fortè ipse coronâ martyrii excideret, ad Deum conversus: *Confiteor*, inquit, *tibi Domine, quòd tantam gloriam non sum meritus: non sum ego justus & sanctus sicut Roffensis tuus, quem de universo Regno isto tibi secundùm cor tuum elegisti; sed tamen si fieri potest, particeps fiam Domine calicis tui*. Hæc & alia his similia cum lacrymans diceret, nec facie dolorem dissimulare jam posset, putarunt filii hujus seculi eum timere, & ideò, ut Regi obediret, adduci posse. Venerunt ergo ad eum multi principes, venit & uxor, sed ejus constantiam frangere non valuerunt. Post quatuordecim ferè men-

menses carceris adductus in judicium mirâ fortitudine & gravitate doctrinæ respondit. Revertenti ad carcerem occurrerunt amici, cognati, ipsamet filia, precantes, ut sui & ipsorum pietate flecteretur. Sed cùm firmior pro Catholica fide perseveraret, capite tandem damnatus fuit „ Itaque pridiè Nonas Julias anni 1535. ad
„ locum supplicii adductus, cùm ad imas scalas pervenisset, nec
„ facilem ascensum videret, unum ex illis qui in scena constite-
„ rant appellans, Da, sodes, inquit, manum ut ascendam, nam
„ ad descensum quod attinet, me mihi relinquas licet. Cum pre-
„ ces absolvisset, populumque testem, quòd in fide Catholica mo-
„ reretur, invocasset, ac Psalmum *Miserere mei Deus* percurris-
„ set, accessit ad eum carnifex, & veniâ de more petitâ, caput
„ justitiæ veritatis & virtutis amputavit, ingemiscente Angliâ
„ universâ, & non tam Christi martyrem, quàm se ipsam capite
„ truncatam, arbitrante „. Hæc & alia Sanderus Lib. 1.

XXIV. Audiens Paulus III. Henricum in dies scelera sceleribus augere, & piorum sanguine præcipuè Roffensis & Mori manus impias cruentasse, nec tot paternis Prædecessoris monitis emollitum in deteriora ruere, existimavit peremtoriam in ipsum sententiam pronuntiare, quâ Henricum cum sequacibus sub pœna majoris excommunicationis, privationis Regni, omnium bonorum, aliisque gravissimis pœnis ac censuris citavit. Distulit tamen sententiæ executionem pietate motus, si fortè Henricus rediret ad cor. Sed frustrà invitabatur ad pœnitentiam, qui sacrilegia & scelera obdurato corde in dies augere parabat. Lustrandis Monachorum & Sacrarum Virginum ædibus, & inquisitioni super eorum vita & moribus Leum quemdam laicum præfecit; hâc lege, ut qui minor 24. annis esset, è Monasterio, & ad seculum reverti cogeretur, qui verò major esset, non cogeretur quidem, sed impunè exire posset, si vellet. Exeuntibus Religiosi habitus loco toga sacerdotalis, & aurei octo dabantur; ac Virgines Sacræ more secularium feminarum vestiebantur; pretiosissima quæque Ecclesiarum ornamenta, & Sanctorum Reliquiæ Regiis Quæstoribus tradebantur. Ad hoc autem hæc Visitatio instituta est, ut Regi via pararetur evertendi ac diripiendi omnia Monasteria, & eorum bona Fisco adjudicandi. De facto hoc primo impetu trecenta septuaginta sex Monasteria oppressa sunt, ex quorum spoliis in Fiscum Regium cesserunt annui census ad centum circiter & viginti millia aureorum, in supellectili verò bonisque mobilibus ad quadraginta ferè millia, Religiosorum utriusque sexus decem & ampliùs millia ad seculum redierunt.

XXV. Inter hæc Regina Catharina, cujus pietas & in adversis con-

constans tolerantia totum Orbem in admirationem traxerat, cessit è vita. Paulò ante mortem in lecto decumbens literas scripsit, tum ad Joannem Forestum Ordinis FF. Minorum, antea conscientiæ suæ Moderatorem, tunc à biennio in carcere detentum, postea martyrii candidatum; tum ad ipsum Regem, tanto erga ipsum amore scriptas, ut ex corde ipsius quamvis saxeo lacrymas elicuerint. Has refert Sanderus Lib. 1. Obiit piissima Regina anno 1535. ætatis suæ 50., trigesimo tertio post suum in Angliam adventum, non modicâ sanctitatis famâ relictâ.

XXVI. Anna Bolena auditâ Catharinæ morte, ingenti lætitiâ perfundebatur, quòd tandem sola Regina esset absque alterius æmulæ metu. Sed dum securam se credebat, brevì se perditam novit. Rex enim cœpit & Annæ tædio, & alterius puellæ quæ Annæ inserviebat, cui Janæ Seimeræ nomen fuit, amore affici: quod Annæ celerem, nempè quarto post mortem Catharinæ mense, interitum attulit. Videns se ex Henrici concubitu adhuc masculum non genuisse, adulterium cogitavit; cui ut res occultior esset, adjunxit incestum & cum Georgio Boleno fratre suo turpiter se commiscuit: sed cum nec infando isto incestu contenta, vagâ etiam libidine luxuriaretur, res adeò latere non potuit, quin ad Regem perveniret: qui causâ cognitâ Annam Bolenam adulterii & incestus convictam, capite feriri jussit 14. Kal. Junias anno 1536., & triduo post eodem supplicio affecti fuere Georgius Bolenus frater incestuosus, aliique qui cum ea adulterinum commercium habuisse deprehensi sunt. Hunc exitum habuit femina, quæ fuit Anglicanæ perditionis initium; cujus, occulto Dei judicio, infaustæ propagines in dies magis expanduntur.

XXVII. Postridie mortis Annæ Bolenæ, Rex Janam Seimeram, quam, eâ vivente deperiebat, uxorem duxit. Paulò post indictis Comitiis, & simul etiam Synodo ad sextum Idus Junii ejusdem anni, rescidit quæ pro Elisabetha Bolenæ filia in detrimentum Mariæ Principis antea decreverat. Indè in eisdem Comitiis de forma Religionis in Anglia tenendæ, intacto semper Primatu suo, deliberari jussit, supremum suum Vicarium Generalem in causis Ecclesiasticis Cromuelem constituens. In iisdem Comitiis & Synodo post varias de fide disceptationes, Libellus vulgo *Sex Articulorum* dictus, cum hac inscriptione: *Articuli per Regiæ Majestatis serenitatem constituti*: auctoritate publicâ editus. Horum primus in Eucharistiæ Sacramento *Transubstantiationem* credi jubet. Alter *Communionem sub una specie ad salutem sufficere* declarat. Tertius *Cælibatum Sacerdotum retinendum* sancit. Quartus *Vota castitatis & viduitatis* (non temerè facta) *necessariò persolvenda* decernit.

Quintus non modò *Missarum celebrationem Juri Divino consentaneam esse*, verùm & *Missas privatas* fieri, *bonum ac necessarium esse* asserit. Sextus denique *Auricularem Confessionem in Ecclesia necessariò conservandam edicit*. Qui secus docuerit, aut crediderit post 12. diem Junii proximè sequentis, illum ut hæreticum suppliciis affectum iri gravissimis Regia Serenitas cum utriusque Senatorii Ordinis & Plebis in Comitiis adunatæ consensu decernit. Quamvis verò præfata decreta forent Catholica: quia tamen tacta à membris è corpore & Capite divulsis, vivere nequiverunt; nec palmes, qui in vite non manserat, fructum facere potuit: rerumque eventus mox comprobavit. Nam hæresibus, quæ Angliam sensim replebant, præfata dogmata penitùs rejecta & suffocata manserunt.

XXVIII. Cùm, Cromuele instigante, in Servos Dei, nedum in terris degentes, sed in Cœlis glorificatos, & in eorum Imagines, Reliquias & monumenta, speciale odium Henricus concepisset, omnem eis honorem eripere, eorumque Imagines, Reliquias, & monumenta tollere ac discerpere statuit; at suum furorem præcipuè evomuit in S. Thomam Cantuariensem Martyrem, quem ceu proditorem Regiæ Majestatis damnabat: ideòque sacrum ejus Corpus è sepulcro extractum, publicè comburi ac cineres in ventum spargi mandavit. Hoc cum rescivisset Paulus III. Romanus Pontifex, qui tantâ indulgentiâ tot alia ejus scelera sustinuerat, zelum ampliùs continere non valens, suspensam hucusque sententiæ in eum latæ publicationem imperavit, Diplomate dato Kalendis Januarii anni 1538. Interim tamen Henricus quatuor Ordinum Mendicantium Religiosos viros è suis Monasteriis ejecerat, ipsorum ædes usurpaverat. Postmodum etiam alia utriusque sexus Monasteria invasit, eorumque bona in Fiscum redegit.

XXIX. Janâ Seimerâ in partu defunctâ, quo filium profudit Eduardum, quartam Henricus duxit uxorem, Annam sororem Guillelmi Cliviæ & Juliæ Ducis; cujus brevi pertæsus, Cromuele harum auctore nuptiarum ab Ordinibus Regni, hæreseos, perduellionis &c. damnato, & capite truncato, ab ipsa post septem mensium concubitum divortium fecit, & cum Catharina Hovarda Ducis Nortforciæ nepte quintas nuptias celebravit. Sed postea Catharinâ Hovardâ ob adulterium cum Procis ex Ordinum sententia neci traditâ, Catharinam Parram Baronis Latimeri viduam sextis nuptiis sibi copulavit. Etsi autem opes immensas ex Ecclesiis & Monasteriis, ut dictum est, corrasisset, inane tamen adeò erat Regium ærarium, ut gravissimis & antea inauditis debitis premeretur. Hinc inter alia, in dictis Comitiis ad 8. Kal. Decembris an-

anni 1545. omnibus & fingulis, tam decimam quàm quintamdecimam fibi folvendam ex omnibus cenfibus totius Angliæ, ex bonis verò mobilibus duas integras decimas, impofuit. Eorumdem etiam Comitiorum affenfu fummam poteftatem accepit in omnia Pocotrophia, Xenodochia, Nofocomia, Seminaria, Collegia, in omnes Miffarum fundationes, facrafque oblationes, ut dum viveret de iis omnibus pro fuo arbitratu ftatueret ac difponeret.

XXX. Verùm appropinquabat jam dies, quo Henricus coràm Dei tribunali fifteretur, tot facrilegiorum ac impietatum rationem redditurus. Gravi correptus ægritudine, ac mortem fibi imminere prævidens, de reconciliatione cum Romana Ecclefia & Summo Pontifice cogitavit, animumque fuum hâc de re nonnullis Epifcopis aperuit. Sed cùm nemo ipfum fincerè loqui arbitraretur, nemo fenfum fuum aperire pro veritate aufus fuit. Unus tamen refpondit: Ejus Majeftatem cæteris mortalibus fapientiorem effe, illum Divino confilio Romani Pontificis Primatum abdicaffe, hoc publica Comitiorum lege firmatum effe, nec follicitum jam effe debere. Gardinerus Vintonienfis Epifcopus, Ordines Regni de hoc convocandos effe dixit. Quòd fi tempus non fuppeteret, Deum folo cordis voto contentum effe. Prævaluit tamen adulatorum fenfus, nempè, ut Rex fcrupulos omnes fuper hoc abjiceret.

Vigefimâ quintâ ante mortem die juffit, & purgari fecit Ecclefiam S. Francifci Fratrum Minorum, Miffamque in ea celebrari, ac in Parochiam erigi certo attributo cenfu, in eoque hæc verba infcribi voluit: *Ecclefia Chrifti ab Henrico VIII. Angliæ Rege fundata*. Atque hæc fuit reftitutio, quam Henricus pro mille, plus minùs, Monafteriis dirutis, & pro decem millibus Ecclefiarum direptis ac diffipatis, mortis horâ adventante fecit. Sacramentum Euchariftiæ fummo femper in honore habuit. Quare cum paulò ante mortem fub unica fpecie ut confueverat communicaturus, è cathedra in qua fedebat affurgeret, ut genibus in terram defixis Corpus Domini adoraret, & Zuingliani qui adftabant, dicerent, poffe Majeftatem fuam in tam imbecilli valetudine in cathedra fedentem Euchariftiam fumere, refpondit „ Si me non modò ufque „ ad terram dejicerem, fed me fub ipfam terram fubmitterem, ne „ fic quidem fatìs honoris huic Sanctiffimo Sacramento mihi vi„ derer delaturus „.

XXXI. Condito Teftamento ftatuit, ut Eduardus ex Jana Seimera filius novennis fibi in Regnum fuccederet: fi abfque liberis obiret, regnaret Maria Princeps ex Catharina priori conjuge filia: tertia effet in jure fucceffionis Elifabetha ex Anna Bolena fufcepta. His deficientibus Regnum ad illos devolveretur, ad quos jure

Bb 2 com-

communi pertineret. Deindè impuberi filio Eduardo sexdecim Tutores & Curatores pari auctoritate constituit, eosque magna ex parte Catholicos: jussitque ut in fide Catholica educaretur, excepto Primatus Ecclesiastici titulo, quem in ipsum transfudit: & ut Regnum ab hæresibus purgaret. Obiit Henricus VIII. Rex Angliæ Londini ad 5. Kal. Februarii anno 1547. Regni 38. ætatis 56. Infamiâ schismatis, ebrietatis, libidinis, crudelitatis, avaritiæ, nonnullas quibus præditus erat virtutes obscuravit, ejusque nomen infaustum succedentibus seculis reddidit, ut ex sequentibus apparebit.

CAPUT CXIV.

De Fidei statu in Regno Angliæ post Henricum.

§. I.

De statu sub Eduardo VI.

I. EDUARDUS puer novennis secundùm ultimam Henrici patris voluntatem Rex Angliæ & Hiberniæ, ac supremum in terris Anglicanæ Ecclesiæ in spiritualibus Caput proclamatus est. Infelix sanè & Regno & Ecclesiæ illius omen. Nam si ait Ecclesiastes cap. 10. v. 16. *Væ tibi terra cujus Rex puer est*: quid erit Angliæ Regno, cujus Rex sub tutoribus instar servi agit? Quid Anglicanæ Ecclesiæ, in qua Caput loco Christi gerit, qui necdum Caput habet ut regat se ipsum? Quid erit? Videamus. Inter Tutores ei à parente datos ortâ dissensione, quòd Catholici Regnum ad Ecclesiæ Romanæ communionem & obedientiam Romano Pontifici revocare vellent; cùm alii perseverandum in schismate ducerent, Eduardus Seimerus Herfordiæ Comes, & paulò post Somerseti Dux, quondam Reginæ frater, Eduardi Regis avunculus, totam ad se rapuit auctoritatem, seque solum Regis Tutorem ac Regni Protectorem fecit.

II. Ejus favore hæresis in Anglia caput extulit. Martino Bucero, Petro Martyri, Bernardino Ochino, similibusque pestibus ad cathedras Theologicas & Templorum suggesta patuit aditus: ad eos audiendos juventus coacta est: Theologia Scholastica ex Academiis proscripta, exauctorati SS. Patres; Sacrorum Bibliorum Codices fœdè interpolati; sic indicto Episcopis & Pastoribus Ecclesiarum silentio, ut, cùm nemo esset qui parvulis petentibus panem frangeret, deindè Lutheranorum & Zuinglianorum, quibus

bus solis concionari permissum est, mortifera venena tantò avidiùs à famelicis populis haurirentur. Hinc factum est ut hæretici, qui temporibus Henrici se ac errores suos occultaverant, in publicum prodierint. Inter hos Thomas Cranmerus infelicis divortii auctor, ac proindè Archiepiscopus Cantuariensis creatus, qui sub Henrico omnia cum Catholicis simulans, meretricem, quam loco uxoris secretò domi occultabat, videns hæresi apertam januam, publicè tanquam uxorem produxit, & Catechismum falsæ ac impuræ doctrinæ plenum Eduardo dicatum edidit. Eodem tempore putidum os in pulpitis aperuit Hugo quidam Latimerus, qui ob comestam carnem Feriâ sextâ Hebdomadæ Sanctæ, & suspicionem hæreseos, à Vigorniensi Episcopatu fuerat ab Henrico deturbatus; & cùm esset linguâ petulans adeò populum dementavit, ut primus Anglorum Apostolus vocaretur. Ex Germaniæ etiam & Helvetiæ finibus ad contaminandam Angliam multi processere.

III. Hinc factum est, ut Comitia Regni pridie Nonas Novembris ejusdem anni 1547. sint celebrata, quorum decreto omnia Catholicæ Religionis signa deleta sunt. Novi administrandorum Sacramentorum Ritus constituti, Liberque ea de re editus & publicatus. De Sanctorum Imaginibus toto Regno abolendis statutum. Missæ Sacrificium abrogatum. Vasa Sacra, Cruces, Candelabra aurea argentea Regio Fisco adjudicata. Communio Eucharistica sub utraque specie omnibus præcepta. Vulgaris idiomatis usus in Sacra introductus. Hæretici Visitatores instituti, qui omnia Catholicæ Religionis monumenta ac tesseras abolerent. Qui ab impia novitate abhorrebant Episcopi, Stephanus Wintoniensis, Cutbertus Dunelmensis, & alii, in carceres conjecti, postea Dignitatibus exuti. Hæretici perditique homines in eorum loca intrusi.

IV. Hic Religionis in Anglia sub Eduardo VI. infelix status, de quo multa, & maximè inter ipsos hæreticos discordiæ & lites, legi possunt apud Sanderum Lib. 2. Obiit Eduardus pridiè Nonas Julii anno 1553. ætatis 16. Regni 7. eodem mensis die, quo Henricus ejus pater Thomam Morum virum pietate ac religione insignem capite truncari jusserat. Sic Henricus tanti viri necem morte primogeniti sui luit. Rege igitur mortuo Joannes Dudlæus Comes Warvicensis (qui Eduardum Seimerum Somerseti Ducem & Regni Protectorem, eò quòd animo ipsum in lecto confodiendi ejus cubiculum occultè ingressus fuisset, capite plecti publico judicio curaverat) Joannam Ducis Suffolciensis filiam, Henrici VIII. neptem, Reginam renuntiavit, Prætore Londinensi & sex primariis Senatoribus in ejus verba jurare compulsis. Verùm Proceribus, Nobilitate ac Plebe universâ ad Mariam Principem Henrici VIII.

ex

ex Catharina filiam, cujus evidentissimum jus erat etiam ex Henrici Testamento, concurrente, Dudlæus quoquè animo fractus Mariam Reginam conclamavit, & Magistratui se dedidit. At ejus sententiâ post dies aliquot perduellionis damnatus, capite plexus est, ejuratâ priùs hæresi, & Catholicæ fidei editâ Professione.

§. II.

De statu sub Maria Regina.

I. MAriæ Reginæ nomen ac Imperium Angliæ & Religioni faustissimum fuit: atque utinam diuturnius extitisset. Regios titulos simul ac sumsit, supremi Ecclesiæ Anglicanæ Capitis appellationem Primatusque Ecclesiastici dignitatem ab Henrico patre impiè usurpatam, & ab Eduardo fratre sacrilegè retentam, respuit & abdicavit, ac è Regio sigillo delevit. Edmundum Londinensem, Stephanum Wintoniensem, Cutbertum Dunelmensem Episcopos, qui ob fidem variis carceribus vincti asservabantur; Thomam Nortfolciæ Ducem, & Eduardum Courtenæum Marchionis Exoniensis olim ab Henrico occisi filium (quem Devoniæ etiam Comitem postea creavit) injustè perpetuo carcere damnatos, libertati ac pristinis honoribus restituit. Wintoniensem Episcopum Regni Cancellarium creavit. Exilii & perduellionis contra Reginaldum Cardinalem Polum iniquissimam ab Henrico latam sententiam rescidit. Gravissimum vectigal populo ab Eduardo impositum condonavit. Et ne adulteratæ pecuniæ permutatione miserè expilarentur subditi, pientissimè curavit; ut quantum intersit hæreticum inter & Catholicum omnes statim viderint, & gavisi sint.

II. Post inaugurationis solemnia Kalendis Octobris anni 1553. celebrata, Comitiis eodem mense convocatis sententiam de Henrici & Catharinæ divortio latam in primis rescindi, & prolem ex illorum matrimonio natam pariter legitimam declarari fecit. Quia verò piissima mulier publicum bonum suo commodo semper prætulit, cùm hactenus usque ad trigesimum octavum suæ ætatis annum virginitatis amore castissima permansisset, urgente Senatu propter spem prolis, quæ in Regno succederet, de nuptiis cogitare cœpit. Et licèt quorumdam Senatorum consilio in Eduardum Courtnæum, quem ut Devoniæ Comitem ipsa creaverat, animum primò adjecisset, meliori tamen postea & Angliæ magìs salutari consilio Philippo Caroli V. filio, cum ob alias causas gravissimas, tùm maximè ut potentissimi optimique Principis adjumento, Regnum

gnum ad Fidem & Sedis Apostolicæ obedientiam revocare posset, nubere decrevit.

III. Harum occasione nuptiarum, magis autem Catholicæ Religionis odio quam piissima restituere decreverat, exorta est in ejus Majestatem conjuratio. Hujus participes, & incensores fuere Thomas Viatus Eques auratus magnæ potentiæ vir, qui ut eas nuptias & Regni ab hæresi reconciliationem impediret, turbas in Cantii Provincia ciere cœpit; Suffolciæ Dux paulò ante vitâ donatus, iterum tumultuans; Comes Devoniæ ob prælatum sibi in nuptiis Philippum indignatus; & Elisabetha, quæ postea adepta est Regnum soror Reginæ ex Anna Bolena Henrico nata, quæ cum Viato (ut Senatui videbatur) conspirabat. Hos omnes in Turrim conjecit. Dux Suffolciæ capite plexus est; Devoniæ Comes in Italiam relegatus; Elisabetha magnorum virorum precibus erepta morti, custodienda Vodstochium mittitur: ut mirum sit, quo animo Elisabetha in suo, quem de expeditione Belgica vulgavit Libello, postea asseruerit, de sua in sororem Reginam fidelitate, se nunquam, ne in quæstionem quidem vocatam.

IV. Mox præcipuas curas ad restituendam Religionem Maria Regina convertit. Erant inter eos, qui cum cæteris conspiraverant, varii pseudo-Episcopi læsæ Majestatis condemnati. Hoc tamen nomine noluit in quemquam illorum secundum leges civiles animadverti, sed ad Ecclesiæ judicium eorum causam prorsùs deferri mandavit. Erat inter alias causa Cranmeri Archiepiscopi Cantuariensis, in quam nonnisi secundùm mandata Apostolica inquiri, & sententiam dici mandavit, nec ipsâ nec Philippo viro suo Judicum partes in ea gerentibus. Hic fuit ille Cranmerus, qui sententiam divortii contra Catharinam iniquissimè tulerat, qui nunc completâ nequitiæ suæ mensurâ, primùm læsæ Majestatis in publicis Regni Comitiis, nunc sua propriâ confessione convictus, deindè spe vitæ Catholicum se fingens, ac septies & decies se palinodiam canere proprio chirographo contestatus, demum in illa hypocrisi deprehensus, ab Episcopis Catholicis de gradu omni ecclesiastico dejectus, & brachio seculari traditus, Oxonii postea comburitur impœnitens. Ut autem faciliùs ac feliciùs Catholicam Religionem in Anglia restitueret Regina, exteros omnes, qui nec publicam personam gererent, nec Regnicolarum juribus donati essent, ad certum diem, gravissimâ indictâ pœnâ, Regno exire jussit. Hoc Edicto supra triginta hæreticorum millia ex Anglia exire compulsa. De Petro Martyre aliquandiu discussum est in Senatu, an expediret illum in Insula flammis tradere, quòd ille inter cæteros multum damni Regno attulisset; sed in hoc itum est,
ut

ut qui publicâ fide venerat, dimitteretur cum suis. Buceri verò corpus paulò ante Cantabrigiæ sepultum cum Pauli cadavere, exhumari & flammis tradi statutum est.

V. Cardinalis Polus à Julio III. Pontifice, Reginâ postulante, in Angliam Legatus missus, Ordines Regnumque totum à schismate absolvit, Sedique Apostolicæ reconciliavit in Profesto S. Andreæ Apostoli anno 1554. Ad sacellum deindè ventum est: hìc Deo gratiæ sunt actæ, & symphoniâ & cantu edita lætitiæ signa. Secundo verò Decembris die Rex Regina & Legatus venerunt ad Templum S. Pauli, ubi Stephanus Wintoniensis Cancellarius Regni conscenso suggesto hortationem populo edidit, ut pro tanta gratia Deo, Papæ & piissimis Regibus grates redderent immortales, monens. Quantâ totius Urbis lætitiâ celebrata sit hæc reconciliatio, vix explicari potest. Contigit post vigesimum annum, in quo infaustum illud ab Henrico schisma cœptum fuit.

VI. Missi deindè Romam Oratores Regum & Ordinum nomine obedientiam Romano Pontifici exhibituri. Exin Legatus in Religione instauranda, in Cleri Populique disciplina restituenda, in moribus emendandis, in reformandis Academiis, in antiquis Institutis, piisque consuetudinibus postliminio revocandis, hortationibus, Synodis, decretisque sanctissimis invigilavit, ac toto zelo laboravit. Quoniam verò adversùs reconciliationem cum Apostolica Sede objecta difficultas erat ab iis, qui bona Ecclesiastica ab Henrico distracta possidebant, Legatus ob bonum pacis & Ecclesiasticæ unitatis, publico Instrumento Summi Pontificis nomine & auctoritare, omnes de hujusmodi bonis in schismate acquisitis, quoad pœnas & censuras Canonicas in perpetuum liberos absolutos declaravit. Primitias verò & Decimas fructuum, quæ Henrici & Eduardi Regum legibus in Fiscum inferebantur, Clero deinceps persolvi decretum est. Matrimonia in gradibus prohibitis contracta unà cum prole ex iis susceptâ, legitima esse decrevit, datâ eis qui sic contraxerant, veniâ: Episcopos Religione Catholicos, sed in schismate creatos, unà cum sex novis Episcopatibus ab Henrico VIII. erectis, confirmavit. Quæ omnia ut prudentissimè constituta rata deindè habuit Paulus IV.

VII. At felicibus hisce initiis, & majoribus qui sperabantur progressibus, mors quæ Mariam Reginam mundo eripuit, occulto Dei judicio lugendum, ut videbimus, finem imposuit. Obiit itaque Maria diuturniori ævo digna anno 1558. 17. Kalendas Decembris, annum agens ætatis 44., cùm quinquennio & quatuor mensibus regnasset. Ita piissima hæc Regina, quæ velut stella Anglis apparuerat, ut eos reduceret ad Christum, nimis citò disparuit. Quin

& ze-

& zelantiſſimo Catholicæ Religionis Inſtauratore Cardinale Polo eo ipſo die poſt duodecim ferè horas ex hac vita migrante, mox hora Satanæ & poteſtas tenebrarum Angliam occupavit. Hanc Hiſtoriam fusè exponunt Sanderus Lib. 2. de Schiſm. Floremundus Remundus Lib. 6. cap. 8. & 9. & alii, qui videri poſſunt.

§. III.

De ſtatu ſub Eliſabetha Regina.

I. QUàm fauſtum Catholicæ in Anglia Religioni Mariæ Regnum, tam infauſtus eidem fuit Eliſabethæ Principatus. Hæc (Mariam Scotorum Reginam Henrici VIII. proneptem Galliarum Rege fruſtra promovente) Londinum ingreſſa, Angliæ Regina ſummo omnium Ordinum conſenſu ſalutata eſt, annos tunc nata viginti quinque, literis politioribus exculta, & linguarum Latinæ, Italicæ, Gallicæ perita, egregiis naturæ ac ingenii prædita dotibus, gerendæ Reipublicæ capaciſſima, ac magnorum Principum numero celebranda, niſi hæreſi & in pios crudelitate naturæ & ingenii ornamenta deturpaſſet.

Nec tamen ſtatim impietatem prodidit; nam quamdiù vixit Maria ejus ſoror, Catholicam ſemper ſimulavit Religionem: ſed poſtea verita, ne qua ipſi fieret controverſia de natalibus & jure regnandi, cùm Clementis VII. & Pauli III. Romanorum Pontificum ſententiâ, damnatæ fuiſſent Henrici VIII. cum Anna Bolena nuptiæ, ex quibus nata erat, & proles illegitima declarata; operæ pretium politica mulier exiſtimavit, hæreticum animum quem antea celaverat prodere, Romanæ Eccleſiæ jugum excutere, ac novam Eccleſiaſtici regiminis formam introducere. Pedetentim tamen hoc in negotio procedere voluit: ac primùm ſolam Religionis permittere libertatem; deindè Catholico ritu inaugurari ab Epiſcopo Carleolenſi 18. Kal. Februarii anno 1559.: inaugurationemque ſuam Romano Pontifici tunc Paulo IV. curavit ſignificari per Eduardum Carnum, qui Mariæ ſororis legatione functus, adhuc in Aula Romana verſabatur.

II. Pontifex, tum quia dignitatis & auctoritatis ſuæ erat retinentiſſimus, tum ut Henrico II. Galliarum Regi (qui timebat, ne Eliſabetha, aut Philippo Hiſpaniarum Regi, aut Ferdinando Cæſaris cognominis filio nuberet) rem gratam faceret, reſponſum dedit (ut multis viſum fuit) nutantis in Anglia Religionis ſtatui parùm opportunum, videlicet „ Regnum Angliæ Feudum eſſe „ Apoſtolicæ Sedis, nec potuiſſe ipſam, obſtante maximè nata-

„ lium vitio, administrationem Regni inconsultâ eâdem Sede assumere: illamque hortatus est, quo cuncta ritè fierent, ut se „ ejus arbitrio permitteret, paternum erga se animum in Pontifi- „ ce probatura „. At quamvis hoc Pauli responsum Juri fuerit innixum, quomodo enim feminam pro spuria Sedis Apostolicæ sententiâ habitam, quam corde hæresim alere non ignorabat, nullo super hoc habito consilio ad Regnum admittendam censere potuit? Hâc tamen occasione usa Elisabetha hæresim, quam animo conceperat, publicè profiteri, ac in Regno stabilire ac immani in Catholicos per annos 44 quibus regnavit persecutione, expandere decrevit.

III. Convocatis itaque Regni Comitiis, prævalente contra Episcoporum suffragia Nobilitate, obtinuit, ut Acta & Decreta omnia de Religione à Maria edita abolerentur, Eduardi autem fratris restituerentur. Latâ interim Lege, ne ullum Romano Pontifici obsequium præstaretur, ipsa Patris ac Fratris exemplo omnem Jurisdictionis non solùm temporalium, verùm & spiritualium & Ecclesiasticarum rerum atque causarum plenitudinem sibi assumsit, cum omni visitatione, correctione, reformatione Cleri, cum omni auctoritate Episcopos creandi, Synodos convocandi atque in iis præsidendi, Leges & Constitutiones condendi, cum omni cognitione ac punitione errorum, hæresum, schismatum, abusuum: denique cum omni facultate substituendi alios quoscumque vellet, etiam Laicos in eisdem negotiis; nullâ Episcoporum habitâ ratione, nisi quantum ipsa concederet: ita ut Jurisdictionem potestatemque Episcopalem non tenerent, aut exercerent, *nisi ad beneplacitum Reginæ, nec aliter nisi per ipsam, & à Regali Majestate derivatam auctoritatem*; Neque ista quidem tanquam recèns usurpata sibi attribuens, sed tanquam ad antiquum Jus Regale Anglicum pertinentia.

IV. Monstrum sanè hoc, quòd femina supremi Ecclesiæ Capitis, ac summam in his quæ sunt ad Deum, etiam super omnes Pontifices & Sacerdotes, potestatem sibi arrogare præsumserit, non ab alio quàm à Diabolo excitari potuit; qui sicut sanctum Dei Ordinem perturbaturus, mulierem primam in iis quæ Dei erant violandis ducem viro suo constituit, ac magistram ad totius humani generis pestem ac interitum fecit: ita ad totius Anglicani Regni perditionem Elisabetham Caput ac Præsidem, etiam in spiritualibus & Divinis collocavit. Hoc priùs in Henrico tentaverat; sed hic quamvis Minister Divini verbi non esset, per sexum tamen & ætatem poterat esse. Eduardum eidem substituit, qui nec fuit, nec per ætatem poterat esse minister Verbi, nec sacra mini-
stra-

ſtrare, per ſexum tamen potuiſſet. Sed ut rem ad exitium perduceret, Eliſabetham elegit, quæ nec ſexu poterat Eccleſiæ ac Divinis præeſſe, ut viris etiam ſublimioribus auctoritate emineret, & quæ ſub poteſtate viri fuerat conſtituta, viri Caput ſummam in eum poteſtatem habens in ſacris efficeretur: mulieres neque in Veteri Lege partem habuerunt in Sacro Miniſterio. In Nova Lege Paulus 1. Cor. 14. v. 34. *Mulieres*, inquit, *in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & Lex dicit.... turpe eſt enim mulierem loqui in Eccleſia*. Si ergo Paulus mulierem in Eccleſia loqui turpe exiſtimat, & ideò non permittit, quantò turpius judicaret, mulierem in Eccleſia ut Caput ſe gerere, ac leges, & ſtatuta, Epiſcopos & Sacerdotes obligantia, ſuâ auctoritate condere?

V. Hoc tamen in Eccleſia Anglicana ſupremi Capitis nomine Eliſabetha ſibi arrogavit. Nam præter dicta, in perpetuum primi anni cujuſcumque Beneficii integros fructus: omneſque Cœnobiorum poſſeſſiones ante ſacris uſibus à Maria Regina reſtitutas, partim Fiſco addixit, partim Nobilitati diſtribuit. Vicarios & Commiſſarios in ſpiritualibus conſtituit. Sigillum ad cauſas Eccleſiaſticas peculiare cudit. Imagines Sacras omnes à Templis aliiſque locis deturbari juſſit, exceptâ Chriſti Crucifixi, quam in domeſtico Sacello ſervavit, publicèque exponi permiſit. Miſſæ Sacrificium, cum reliquo omni ſacro ritu prædicandi, & Sacramenta miniſtrandi ſuſtulit: novaque ſacra, cæremonias, preceſque linguâ vulgari ad normam præſertim Lutheranorum præſcripſit, quamvis Calviniana dogmata maxima ex parte profiteretur, & ſecundùm quæ ſchiſmaticam ſuam Eccleſiam inſtitui voluit.

VI. Ad hæc, convocato Parlamento, Archiepiſcopos omnes, Epiſcopos, Prælatos, totumque Clerum novo Juramento obſtringere decrevit: qui recuſarent, primâ vice Beneficiis boniſque omnibus ſpoliari, & in carcerem detrudi, alterâ vice perduellionis damnari, & capite plecti edixit. Hæc eſt autem ſchiſmatici, quod Suprematiæ vocant, Juramenti formula: *Ego N. prorsùs teſtificor & declaro in conſcientia mea, Reginam eſſe ſolam & ſupremam Gubernatricem, & iſtius Regni Angliæ & aliorum omnium ſuæ Majeſtatis Dominiorum, & Regionum, non minùs in omnibus ſpiritualibus atque Eccleſiaſticis rebus, vel cauſis, quàm in temporalibus: & quòd nemo externus Princeps, Perſona, Prælatus, Status, vel Potentatus, aut facto, aut Jure habet aliquam Juriſdictionem, Poteſtatem, Superioritatem, Præeminentiam, vel Auctoritatem Eccleſiaſticam, aut ſpiritualem in hoc Regno. Ideòque planè renuntio & repudio omnes externas Juriſdictiones, Poteſtates, Superioritates, atque Auctoritates.*

 VII. Ju-

VII. Juramentum hoc, non obstantibus declarationibus à Parlamento appositis, & factam ab Elisabetha in Religione & Ecclesiæ regimine immutationem, cùm Episcopi omnes execrarentur, à Regina exauctorati & relegati, aut in varios carceres conjecti sunt. Melior etiam pars Cleri, variorum Ordinum Monachi, Catholici Doctores, Nobiles Laici utriusque sexus in Veteri & Catholica Religione constantes, vel in custodiam dati, vel in exilium amandati. Cruenta indè persecutio in Sacerdotes, Monachos, & Concionatores Catholicos, aliosque ferventiores Catholicæ fidei propugnatores excitata, persecutionibus Paganorum crudelitate non impar; in qua tamen sicut in illis Fidem plurimi confirmarunt, de quibus Sanderi Continuator Lib. 3. de Schismate Anglicano legi potest, ubi infra refert: *Diarium rerum pro Religione Catholica in Turri Londinensi gestarum ab anno* 1580. *ad annum* 1585. ab uno ex Catholicis ibidem captivis scriptum: ac à pag. 464. Edmundi Campiani Societatis Jesu, ac plurimorum gloriosos agones recenset, à quibus referendis, ne prolixior sim, abstinebo.

VIII. Huic persecutioni furorem adauxerat severa ac justa Pii V. Constitutio data 5. Kalendas Martii anno 1570., quâ Elisabetam Angliæ Regno, omnique alio Dominio, Dignitate, Privilegio privatam declaravit, omnesque ac singulos ejus subditos à Juramento fidelitatis absolvit, lato in eos, qui illius legibus ac mandatis parerent, anathemate. Quam Constitutionem Gregorius XIII. & Sixtus V. innovarunt, & confirmarunt. Et jure quidem merito. Nam ut docet S.Thomas 2. 2. *Ad Ecclesiam* quidem *non pertinet punire infidelitatem in illis, qui numquam fidem susceperunt, secundùm illud Apostoli* 1. *ad Cor.* 5. „ Quid mihi de his qui foris sunt, judicare? „ *Sed infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt, potest sententialiter punire*: *Et convenienter in hoc puniuntur, quòd subditis fidelibus dominari non possint*: *Hoc enim vergere posset in magnam fidei corruptionem; quia, ut dictum est* (art. præced. ad 2.) *homo apostata pravo corde machinatur malum, & jurgia seminat, intendens homines separare à fide. Et ideò quàm citò aliquis per sententiam denuntiatur excommunicatus propter apostasiam à fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti à dominio ejus, & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur*. Hæc S.Thomas. At hisce tribus sententiis quamvis æquissimis exacerbata magìs Elisabetha, crudeliori carnificinâ in Catholicos grassata est.

IX. Scotis perduellibus adversùs Mariam Stuartam Reginam favit, eam ad se confugientem in custodiam dedit, oppressit, ac demum capitis supplicio affecit, approbatâ, quam iniquissimi Judices in eam tulerant, sententiâ, solis fultâ calumniis, quas innocen-

centissima Regina diluerat. Sententiæ subscripsit Elisabetha Kal. Februarii anno 1587. Maria verò capite truncata est die 18. ejusdem mensis, ætatis suæ anno 45. captivitatis verò 19. Princeps in fide Catholica constantissima, in cujus odium oppressa & interfecta est, seu potiùs martyrio coronata: tanta in ea fuit pro Catholica fide constantia, tanta in Deum pietas, ut ejus laudes omnes Historici celebrent. Inter quos Floremundus Lib.6. cap.19. Camdenus in Vita Elisabethæ Reginæ, Romualdus Scotus in Summario de morte Mariæ Stuartæ, ubi calumnias, quibus impicta fuit, & earum dilutiones describit, & alii.

X. Philippo II. Regi Catholico infensissima fuit Elisabetha. Cum Belgis, ab ipso & à Catholica fide rebellibus, contra ipsum fœdus iniit, Guisios pecuniâ juvit & copiis Classem in Hispaniam immisit, non multò feliciori successu, quàm Philippus suam in Angliam immiserat. Nuptias ejus plures Principes ambierunt, Ferdinandus Cæsaris ejusdem nominis filius, Carolus Maximiliani Cæsaris frater, Franciscus Dux Andegavensis Henrici Regis Christianissimi frater, & ex Anglia Nortfolciæ Dux, & Arundeliæ Comes. At illa spes singulorum pro rerum suarum opportunitate fovit, omnes elusit, se virginem permansuram asserens, velleque, ut in marmore in quo sepulta jaceret, inscriberetur: *Hic jacet Elisabetha, quæ & tot annos Regina, & totâ ætate suâ virgo extitit*. Obiit anno millesimo sexcentesimo tertio, die quarto Aprilis, ætatis anno septuagesimo, Regni quadragesimo quinto. Moritura successorem & Regni hæredem Jacobum VI. Scotiæ Regem nominavit, qui postea Jacobus I. Angliæ Rex dictus fuit quatenus Anglia Scotiam comprehendit: unde Regis Magnæ Britanniæ ortum nomen fuit; felix Princeps, quia viginti duobus annis Regnum in pace administravit. Felix quia ex patre Catholico, & matre Maria Stuarta pro fide Catholica martyre natus: Sed infelix, quia hæresim suscepit, eamque ad mortem usque professus fuit.

XI. Hanc deplorabilem sortem Anglia sortita fuit & adhuc sortitur, cujus initium Henrici VIII. libido, progressum Eduardi VI. puerilis impotentia, complementum Elisabethæ ambitio dedit. Dum enim abjecto Capite, quod Christus in Petro universæ Ecclesiæ suæ præfecit, alia inferiora membra dignitatem Capitis sibi usurparunt, velut corpus sinè capite, huc illucque à membris distractum, ad sui exitium præceps irreparabiliter ruit. Hic fuit & adhuc est Anglicanæ Ecclesiæ tragicus casus. Quæ propter antiquissimam Sedi Apostolicæ obedientiam, & in Catholica fide constantiam, Ecclesiæ primogenita, & pura Christi Sponsa non immeri-

meritò vocabatur; modò rebellis, fornicaria, & adultera facta, cum omnibus se commiscet hæresibus: adeò ut quævis Secta quamvis invicem pugnans, solâ exclusa Catholicâ, quam per contemtum Papisticam vocat, ab ea peramanter admittatur. Hinc apud eam & Lutherani, & maximè Calvinistæ, eorumque propagines (de quibus supra cap. 112.) pacificam sedem habent. Insuper Sociniani, Deistæ, imo & Athei, aliaque in dies monstra ex ea prodeunt, ut verè dici possit, quòd ex tot pseudo-Religionibus nulla in ea Religio sit. Ut enim docet S. Augustinus Epist. 102. (aliàs 49.) contra Paganos qu. 2. & 3. Religio vera ab exordio generis humani una eademque semper fuit.

CAPUT CXV.

De Anti-Trinitariis & Socinianis.

§. I.

De Michaele Serveto.

I. RECENTIUM Anti-Trinitariorum agmen ducit Servetus natione Hispanus. De hujus erroribus, ac supplicio aliqua dixi Cap. 111. §. 3. n. 1. Illius blasphemias de Trinitate & aliis Calvinus ipse exhorruit, unde eas recensuit & confutavit, ut legere est Tom. 8. ejus Operum edit. Amstelod. pag. 523. &c. Errores ergo omnes, qui antea de Trinitate fuerunt, maximè Sabellii, Arii & aliorum excitans, imo adaugens, dicebat Servetus

II. Primò: *Omnes qui Trinitatem statuunt in Essentia Dei, esse Tritheitas, veros Atheos; nec Deum habere nisi tripartitum & aggregativum. Item habere connotativum Deum, non absolutum, imaginarios habere Deos, & illusiones Dæmoniorum* (L. 1. de Trinit. pag. 30.) Quibus respondet quod addit pag. sequenti: *Somnia ut voles, dirige oculos ad phantasmata, & tunc videbis, tuam Trinitatem non esse intelligibilem sinè tribus phantasmatibus.* Tandem concludit, *Omnes Trinitarios esse Atheos.*

Secundò: *Tot auctoritatibus fulciri Hebræos, ut tripartitum Deum à nostris introductum meritò admirentur* (L. 1. de Trin. pag. 34.) Tertiò: *Incorpoream Deitatem realiter distinctam Mahometo causam dedisse negandi Christum* (L. 1. pag. 36.) Quartò: *Tres illas res incorporeas distinctas in Dei unitate non posse stare, & esse Triadem imaginariam* (Lib. 1. pag. 29.)

III. Quin-

III. Quintò, ut fucum impiis suis dogmatibus inducat, fatetur quidem in Deo personalem fuisse distinctionem, sed personarum dumtaxat externam intelligit, quæ in Dei Essentia non verè subsistat: sicuti Lib. 3. de Trin. pag. 92. dicit: *Verbum fuisse idealem rationem ab initio, quæ jam hominem referebat; fuisse in Verbo apud Deum futuri hominis Jesu Christi exemplar, personam, effigiem, vultum, faciem, hominis in Deo repræsentationem*. Item Dialog. 1. pag. 229. *Non esse inter Verbum & Spiritum realem differentiam*. Item Lib. 5. de Trin. pag. 189. *Nullam fuisse in Deo realem generationem vel spirationem*.

IV. Sextò. Ut palàm appareat confundi ab eo personas Lib. 2. de Trin. pag. 66. sic loquitur: *Ipsa Sapientia simul olim erat Verbum, & Spiritus, quia non erat realis distinctio, ipsamet Sapientia erat Spiritus*. Et Lib. 5. de Trin. pag. 164. *Totum Verbi & Spiritus arcanum definit fuisse fulgentem Christi gloriam*.

Septimò. Quamquam autem neget distinctionem realem in tribus Divinis Personis ante Jesu Christi Incarnationem; dicit tamen, *tantâ gloriâ decoratum fuisse Christum, ut non solùm sit ipse Deus de Deo, sed & sit Deus, de quo alius Deus procedat* (L. 5. de Trin. pag. 185.

Octavò. *Ipsum Christum esse Filium Dei, quatenus genitus est à Deo in utero Virginis Mariæ. Idque non solùm virtute Spiritus Sancti, sed quia Deus ex sua substantia illum genuit*. L. 1. de Trin. pag. 11. Item Epist. ad Calvinum 1. & 2.

V. Nonò. *Verbum Dei de Cœlo descendens esse nunc carnem Christi: ita ut caro Christi de Cœlo sit*. L. 1. de Trin. pag. 17. & 18. Item L. 2. pag. 73. *Corpus ipsum Christi esse corpus Deitatis, carnem ejus Divinam: carnem Dei cœlestem: de substantia Dei genitam*. Item Dial. 1. pag. 231. *Animam Christi esse Deum: carnem Christi esse Deum: & tam Christi Animam, quàm carnem fuisse ab æterno in propria Deitatis substantia*.

Decimò. Lib. 2. de Trin. pag. 77. sic loquitur: *Essentia Corporis & Animæ Christi est Verbi & Spiritus Deitas*. Et *Christus ab initio est, tam ratione Corporis quàm ratione Animæ*. Item Lib. 2. pag. 87. *Non solùm in Anima, sed & in carne Christi est substantia Deitas*. Item Lib. 5. de Trin. pag. 164. *Deus erat Verbum, & Spiritus, Verbum & Spiritus dispensans in Corpus & Animam*.

VI. Undecimò. Ut exponat, sibi ludibrio esse Christi Divinitatem, dicit, *eum dici Sapientiam, & Virtutem Dei, & splendorem gloriæ ipsius, perindè ac si vocaretur excellens quædam Sapientia & Virtus*. Lib. 2. de Trin. pag. 87.

Duodecimò. *Jesum Christum hominem ab initio apud Deum fuisse*

fuisse in propria persona, & substantia. Lib. 2. de Trin. pag. 90. Alibi tamen *tribuit Christo duas personas* L. 4. de Trin. pag. 129.

Decimo tertiò. Postquam confessus est Verbum Dei factum fuisse hominem, dicit, *hoc Verbum fuisse semen Christi.* L. 4. de Trin. pag. 145. Item, *rem esse aliam à Filio*. Lib. 1. de Trin. pag. 23. Item *Verbum quo mundus est creatus productum fuisse ejus gratiâ: unde sequitur ipsum non esse illud Verbum* Lib. 2. de Trin. pag. 85. Item *Verbum Dei fuisse rorem naturalis genituræ Christi in utero Virginis, sicut semen generationis animalium*. Dialog. 2. de Trin. pag. 260. Præterea *Filium Dei naturaliter genitum fuisse per sermonem*. L. 1. de Regeneratione pag. 355.

VII. Decimo quartò. *Verbum ipsum Dei fuisse semen generationis Christi. Et sicut generantia omnia priùs in se ipsis semen concipiunt, quàm fœtum extra se mittant: ita fuisse in Deo semen Verbi priusquam in Maria Filius conciperetur*. Lib. 4. de Trin. pag. 146. Item *Paternum semen genituræ Christi, idipsum in eo effecisse, quod in unoquoque nostrum facit semen creatum patris*. Dialog. 2. de Trin. pag. 154.

Decimo quintò. *Per actionem Spiritus Dei extitisse ipsum Christi Corpus, quoniam Verbo Divino quasi rore genituræ Christi cum elementis his creatis simul se terræ miscuerit: & quatenus Divinus & humanus halitus ejus animæ insitus fuerit, & coaluerit, extitisse hypostasim unam Spiritus ejus, quæ est hypostasis Spiritus Sancti*. L. 5. de Trin. pag. 165. Et antea dixerat, *in Christo tria elementa esse de substantia Patris* L. 4. de Trinit. pag. 159.

Decimo sextò. Ut corrumpat dictum Apostoli 2. cap. ad Hebræos, *Christum scilicet non assumsisse naturam Angelorum, sed semen Abrahæ*, sic exponit, nempè, *quòd nos à morte liberavit*. L. 2. de Trin. pag. 90.

VIII. Decimo septimò. *Deum esse Patrem Spiritus Sancti.* Quod nihil aliud est, quàm Personas confundere, quales etiam ipse fingit L. 5. de Trin.

Decimo octavò. Ut ostendat se ludere in voce Personæ dicit, *unam solam fuisse personalem imaginem seu faciem, quæ erat Christi persona in Deo, etiam Angelis communicata* L. 3. de Trin. pag. 102.

Decimo nonò. L. 5. de Trin. pag. 194. dicit: *In nobis solùm esse elementa creata: in Christo esse creata & increata, & substantiam Spiritus Dei ipsi carni substantialiter communicatam*.

Vigesimò. *Rorem illum Cœlestem Virgini obumbrantem, & semini ejus, & sanguini se se immiscentem transformasse in Deum humanam materiam*. Dialog. 2. de Trinit. pag. 263.

IX. Vigesimo primò. Duas naturas confundens dicit, *Lucem crea-*

creatam & increatam fuisse in Christo unam lucem: *& ex Spiritu Divino & animâ humanâ constitisse in Christo unam substantialem animam* Dial. 2. de Trin. pag. 268. *Adeòque substantiam carnis & substantiam Verbi esse unam substantiam* (pag. sequenti) Tandem concludit, *Carnem Christi substantiam Verbi habere corporaliter substantialem ipsum vitalem Spiritum Divinum*, *atque ita esse verè cœlestem & de substantia Dei carnem Verbi*, *carnem Dei*, *quæ existentiam habet æternam*. Dial. 2. de Trin. pag. 271.

Vigesimo secundò. *Jesum Christum participationem Dei & hominis habentem non potuisse dici creaturam*, *sed participem creaturarum*. Dial. 2. de Trin. pag. 272.

X. Vigesimo tertiò. *Unam & eamdem Deitatem*, *quæ est in Patre*, *communicatam fuisse Filio Jesu Christo immediatè & corporaliter*. *Deindè eo Mediatore per ministerium Angeli Spiritus communicatam fuisse spiritualiter Apostolis*. *Ac Christo quidem soli à natura esse Deitatem insitam corporaliter & spiritualiter*: *verùm ab eo dari aliis sanctum & substantialem halitum*. L. 2. de Trin. pag. 22.

Vigesimo quartò. *Sicuti Verbum descendit in carnem Christi*, *ita Spiritum Sanctum descendisse in Apostolorum animas*. Dial. 2. de Trin. pag. 264.

XI. Vigesimo quintò. Personas confundens sic inquit: *Naturaliter & voluntariè erat* Logos *idealis ratio*, *& prolatio*, *relucentia Christi apud Deum*, *Lux ejus apud Deum*, *Spiritus Christi apud Deum*, *Lux ejus apud Deum*: *unde sequitur nullam fuisse substantiam*, *cùm figura tantùm esset illius rei quæ nondum erat*, *& interea à Spiritu non differat*. Dial. 1. de Trin. pag. 208.

Vigesimo sextò. *Nullam ante Christi adventum visam fuisse Spiritus hypostasim*. L. 5. de Trin. pag. 297. Ex quo sequitur, nullam tunc fuisse hypostasim, nec personam, cùm ipsi nulla sit persona nisi visibilis, quemadmodum in libris suis affirmat, & Responsis fatetur. Quibus respondet quod dicit Dial. 1. pag. 217. *Spiritum Dei umbram fuisse in creatione Mundi*.

Vigesimo septimò. Ut intelligatur, qualem æternitatem Christo tribuat: *Sicut*, inquit, *res omnes nunc sunt in Deo*: *ita eodem ordine ante creationem erant in eo*, *& primus omnium Christus*. Item: *Deus ratione suâ æternâ corporalem sibi & visibilem Filium æternaliter decernens*, *talis speciei substantiâ seipsum visibilem præbet per sermonem* (Dial. 1. de Trinitate pag. 205.)

XII. Vigesimo octavò. *Christum*, *quamdiù in carne mortali versatus est*, *nondum accepisse Spiritum novum quem à sua resurrectione accepturus erat*. L. 5. de Trin. pag. 185. Item L. 5. de Trin. pag. 195. *Christum ante resurrectionem nondum obtinuisse totam Dei gloriam*,

sed postea Spiritum novum accepisse. Totam ergo nunc Verbi & Spiritus gloriam hypostaticè solum Christum continere. Cui etiam respondet, quod Dial. 1. de Trin. pag. 231. scribit, *Deum spirantem spirasse in Christum, sicut in nos, Spiritum Sanctum supervenientem: atque ita totam denuò Deitatem dispensatione aliâ spirasse, ac ejus priorem Spiritum in resurrectione innovasse, dato novo Spiritu, quem datus in Jordane Spiritus adumbrabat.*

XIII. Vigesimo nonò. *In Dei substantia partes esse & participationes, non eo modo quo in creaturis, sed secundùm dispensationis distributionem, ita ut in Spiritus participatione cujusque portio sit Deus* (3. de Trin. pag. 121.) Præterea ubi affirmavit, *Spiritus nostros substantialiter ab æterno fuisse*, subjungit, *illos esse consubstantiales & coæternos* (Dial. 1. de Trin. pag. 226.) Et tamen alio loco fatetur, *Spiritum quo illuminati sumus extingui posse* (Lib. de Regeneratione 4. pag. 555.)

Trigesimò. *Omnibus insitum esse ab initio Spiritum Deitatis ex Dei habitu* (Dial. 1. pag. 138.)

Trigesimo primò. Si quando in Lege dicitur esse in aliquo Spiritus Dei, non sumi pro Spiritu regenerationis Sancto.

XIV. Trigesimo secundò. *Angelos olim ut Deos à Judæis fuisse adoratos* L. 5. de Trin. pag. 184.) Ita ut illos *ipsorum Deos* appellet (pag. sequenti) Cui etiam respondet quod dicit Dial. 1. pag. 216. *Nunquam fuisse in Lege Deum verè adoratum: sed Angelos adumbrantes Christum fuisse adoratos.* Item *Abraham credidisse illi qui Christum adumbrabat* (pag. sequenti)

Trigesimo tertiò. Etsi autem fatetur, Christum, vel Verbum non habuisse hypostasim realem ab initio, nihilominus affirmat, Angelos & Electos in Deo fuisse realiter ab initio (Lib. 1. de Trin. pag. 135.)

Trigesimo quartò. In omnibus creaturis Deitatem constituit etiam substantialem Dial. 1. pag. 213.

XV. Trigesimo quinto. Posteaquam verò multa deliria eaque perversa ac perniciosa de animarum substantia consarcinavit â pag. 220. usque ad pag. 225. 1. Dialogi, tandem concludit, *animam esse ex Deo, & ex ejus substantia.* Item *Inspirationem creatam in illam fuisse insitam unà cum Deitate: & iterum novâ spiratione in unam cum Deo Lucem substantialiter coire per Spiritum Sanctum.*

Trigesimo sextò. *Quamquam autem anima non est Deus, eam tamen effici Deum per Spiritum, qui quidem est & ipse Deus: adeò ut dubitare sit nefas, & animam nostram, & ipsum Christi Spiritum Sanctum sibi essentialiter junctam habere ejusmodi elementarem substantiam, sicut Verbum sibi junctam habet carnem. Atque res creatas & in-*

& increatas in unam animæ & spiritus substantiam coire (Lib. 5. de Trin. pag.181. & 182.)

XVI. Trigesimo septimò. Scripsit, adeòque vulgavit horrendas blasphemias contra Pædobaptismum, quemadmodum satis constat ex integris quatuor libris de Regeneratione, præsertim verò ex Conclusione pag. 576. Item *non committi peccatum mortale ante annos viginti*.

XVII. Trigesimo octavò. *Animam redditam esse mortalem per peccatum sicut caro mortalis est: non quòd in nihilum anima redeat, sicut nec caro. Sed mori quando cum dolore vitalibus actionibus privatur, & in inferno languens detinetur, quasi non ampliùs victura* (L.4. de Regenerat. pag.550.) Deindè concludit, *Regenitos alium habere animam quàm ante, propter substantiam innovatam, & novam Deitatem adjunctam* (pag. sequenti)

XVIII. Hæc sunt deliria blasphema, quæ ex scriptis Serveti Calvinus ipse excerpsit, quibus omnes hæreses contra Trinitatem Sabellii, Arii, Macedonii, contra Christum Nestorii, Eutychetis, Ebionitarum, & aliorum, aliasque contra Catholicam veritatem excitat & auget, ut supra dicta sigillatim consideranti constabit. Ad singulos præfatos Articulos addit Calvinus Serveti Responsiones, earumque refutationes, quas legere est Tomo 3. Oper. Calvini. Fertur etiam habitam fuisse Calvinum inter & Servetum acerrimam disputationem, in qua Servetus prævaluisse visus fuit. Quia tamen ejus propositiones nedum à Genevensibus, sed & ab omnibus Helvetiorum Sacramentariis,ut impiæ damnatæ fuerunt, ideò Servetus in eis defendendis pertinacior, promovente Calvino, ex Senatus Genevensis sententia vivus combustus est die 27. Octobris anni 1553. Servetus ambitione elatus videns Calvini Sectam in dies propagari, ut eam obscuraret, suam opponere statuit: sed infelix sibi fabricavit interitum.

§. II.

De Valentino Gentili, Georgio Blandrata, Alciato, Ochino, Francisco Davidis &c.

I. IGne, quo Servetus combustus fuit, Anti-Trinitariorum Secta extincta non fuit; Poloniam enim & Transilvaniam & Hungariam invasit, propagatoribus præcipuis Valentino Gentili Neapolitano, Georgio Blandrata Pedemontano, Joanne Paulo Alciato Mediolanensi, Bernardino Ochino Senensi, Francisco Davidis, & aliis.

Valentinus Gentilis non tantùm Serveti blasphemias suas fecit, sed turpissimos de suo errores addidit, dicens „ Tria concur-
„ rere in Trinitate, Essentiam quæ dicitur Pater, Filium, & Spi-
„ ritum Sanctum. Patrem esse unicum illum Deum Israel, Deum
„ Legis & Prophetarum, solum verum Deum, Essentiatorem;
„ Filium Essentiatum, & precariò Deum: Sophisticum esse com-
„ mentum attribuere Patri propriam Personam in Essentia Dei-
„ tatis: Qui id asserunt, Quaternitatem non Trinitatem agno-
„ scere. Nam (ajebat) unica illa Essentia absque ulla considera-
„ tione Personarum est ex semetipsa verus Deus: & quælibet
„ trium Personarum est item essentialiter Deus: sequitur ergo
„ Quaternitas, non Trinitas. „

II. Hæc à Valentino Gentili & nonnullis aliis agitari cum subolfecissent Italo-Calviniani cœtus Genevæ Seniores, nullum illis præsentius remedium visum est, quàm editâ Confessionis formulâ, cui omnes subscriberent, detegere, si quid occultum virus lateret. Edita est 18. Maii anni 1558. & in Conventu proposita, ut liberum singulis esset in medium contra proferre, si quid reprehensione dignum censerent. Itaque protervi homines tribus circiter horis linguas suas blaterando exercuerunt, inter quos princeps fuit Joannes quidam, Paulus Alciatus, homo non stolidi tantùm ac vesani ingenii, sed planè phreneticus ad rabiem usque. Sedatâ omni contentione, nulla fuit controversia vel mora, quin omnes subscriberent, sex duntaxat exceptis, quorum unus erat Valentinus: qui tamen vocati manu suâ testati sunt consensum.

Sed paulò post Valentinus, spreto jurejurando, suos susurros in obscuris angulis spargere ac tentare simplices ac imperitos non destitit, an aliquos irretire suis insidiis posset. Re ad Senatum delatâ, in judicium vocatus, & in carcerem trusus, ac statim multorum testimoniis perjurii convictus est. Auditus præsentibus Ministris, & à Calvino confutatus, uno effugio usus est, se disputandi artificium non tenere. Postea farraginem quam diù meditatus fuerat, scriptam obtulit Senatui. In ea varias suæ fidei exhibet *Confessiones*, ac motiva, quæ videri possunt apud Calvinum Tom. 8. *In explicatione perfidiæ Valentini Gentilis*. Quibus adjuncta legitur responsio Calvini postridiè scripta.

III. Hoc responso accepto, etsi in eadem quâ cœperat petulantia audacter per aliquot dies perstitit; ubi tamen secum propriùs expendit, sibi extremum supplicium imminere, nisi errores revocaret, simulatâ pœnitentiâ Epistolam ad Senatum Genevensem scripsit è carcere, in qua suas blasphemias se agnoscere ac detestari profitetur, & veniam deprecans, Abjurationem errorum sua

sua manu scriptam unà misit, cujus hic erat tenor (apud Calvinum citato loco pag. 577.)

Confiteor Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse unum Deum, idest, tres Personas distinctas in una Essentia. Pater non est Filius, nec Filius est Spiritus Sanctus, sed unaquæque illarum Personarum est integra illa Essentia. Item Filius & Spiritus Sanctus, quantum ad Divinam naturam, sunt unus Deus cum Patre, cui sunt coæquales & coæterni. Hoc illud est quod ego sentio, & corde simul ac ore profiteor, & confido fore per Dei gratiam, ut in hac Confessione vivam & moriar. Omnes autem hæreses huic sanctissimæ veritati contrarias damno & detestor, & quidem nominatim blasphemias illas, quas ipse meâ manu descripsi, quibus inter cæteros errores Quaternitatem asserebam, & Christum statuebam unius Israelitici Dei Filium, ita ut æternâ suâ Divinitate spoliaretur. Denique quoniam ex falsis istis fundamentis multæ falsissimæ consequutiones oriuntur, omnes illas damno & execror, & palam profiteor, me in omnibus & per omnia assentiri Sanctæ bujus Ecclesiæ doctrinæ, & quidem in primis ac disertè in hoc Sanctissimæ Trinitatis articulo: in quo agnosco, me tam graviter tantaque cum blasphemia peccasse, ut libenter velim jam olim interiisse, ne tantum scelus admitterem. Hoc illud est quod sentio in corde meo: & infinitam Dei misericordiam precor, ut impesterum me afficiat tanto istarum rerum sensu, ut aliqua ex parte possint veræ meæ pœnitentiæ fructus ab hominibus cognosci. 29. Augusti 1558.

Joannes Valentinus Gentilis manu propriâ.

IV. Porrò quamvis, subdit Calvinus, *minimè nos latebat, simul ac elapsus esset, fore iterum sui similem, nec quicquam sinceri ab homine fallacissimo expectandum esse, Judicum tamen clementiæ nos intercessimus*. Tali ergo sententiâ pœnam temperarunt Judices: *Habitâ ratione pœnitentiæ & conversionis tuæ, de qua apud nos protestatus es, simul ad misericordiam magis, quàm ad rigorem propensi, hâc nostra definitivâ sententiâ, quam ex scripto recitamus & edimus, te Valentinum Gentilem adjudicamus huic pœnæ, ut exutus usque ad camisiam, pedibus nudis, & capite discooperto, facem accensam manu tenens, genibus in terram flexis, veniam à nobis & Justitia depreceris, fatendo te impiè & sceleratè sparsisse falsam & hæreticam doctrinam, & scripta tua in ejus defensionem detesteris, eaque propriis manibus tuis in ignem hîc accensum conjicias, donec in cinerem redigantur, tanquam perniciosis mendaciis referta. Et quò amplior sit reputatio, ut ad clangorem tubæ ducaris per omnia urbis compita in hoc habitu cum prohibitione egrediendi eâ urbe*. Sententia executioni mandata fuit 2. Septembris anni 1558.

V. Aliquot post dies oblato libello supplici, à Senatu Genevensi

vensi impetravit, ut absque interposito vade, præstito tamen jurejurando de non discedendo ab urbe, è carcere dimitteretur. At contra fidem datam Genevâ clam aufugit ad hominem sui similem Matthæum Gribaldum, qui domo suâ profugus in quoddam latibulum se abdiderat, ubi petulantiùs quàm unquàm in Sacram Triadem debacchari cœpit, sed apud capras & boves, quia locus desertus erat. Indè à Gayensi Præfecto in carcerem conjectus, simulatâ rursùs probitate evasit. Mox Lugdunum se proripiens blasphemum libellum edidit adversùs Symbolum S. Athanasii nuncupatum. Ibi captus, sed odio in Calvinum dimissus, Bernam in Helvetia se transtulit, ubi comprehensus, & à Musculo accusatus anno 1566. tandem capitali supplicio affectus, vitam ut meruerat finivit, & quidem in errore pertinax, priusquam enim caput securi submitteret, publicè dixit, quòd ubi alii vitam dederunt pro Filio, ipse primus vitam dabat pro Patre.

VI. Ex Anti-Trinitariis fuit Georgius Blandrata natione Pedemontanus professione medicus, qui è Papiensi Inquisitione elapsus errores suos in Polonia spargere cœpit, quamvis terminis qui Orthodoxi videbantur eos tegere satageret. Indè in Transilvaniam migrans, suæ doctrinæ novitatem Joanni Sigismundo Principi insinuare studuit. Ad ejus quæstiones extat Calvini responsum Tomo 8. Operum pag. 585. editum. De eo & aliis similibus Beza Epist. de Unitate Essentiæ Divinæ & tribus in ea subsistentibus Personis: *Legimus*, inquit, *idque non sinè horrore, quæ Gregorius, Paulus Casanonius, & alii nonnulli à Blandrata & Gentile fascinati, tres personas sivè hypostases in tres numero* Usias *sivè essentias transformantes, variis libellis scripserunt: in quibus tam multa tum ambigua, tum etiam blasphema comperimus, ut de eorum dogmatibus & argumentis, ne nunc quidem penè nobis liqueat*. Quibus Beza confirmat quæ supra dicebam, nempè Blandratam & similes verborum involucris errores suos tegere studuisse. Miserrimè trucidatus fertur Blandrata in Transilvania ab uno cognatorum suorum, qui bonis ejus inhiabat.

VII. De Joanne Paulo Alciato Mediolanensi, nil aliud mihi occurrit dicendum, nisi quod Anti-Trinitariis se junxit & ad Mahometanos tandem defecit.

VIII. Bernardinus Ochinus patria Senensis, Ordinis FF. Capuccinorum professor fuit, cui præfuit ut Generalis, licèt autem aliqui velint, eum fuisse unum ex illius Ordinis Fundatoribus, eis tamen non assentior. Is ergo cùm regulari observantiâ ac vitæ asperitate novennio præfulsisset, & scientiâ, necnon loquendi facundiâ omnibus etiam Principibus in æstimatione, & honore esset, forte

fortè altiora, quæ ambiebat, consequendi spe destitutus, de Papa & Romana Sede malè loqui cœpit. Hoc cum Paulus III. tunc Pontifex rescivisset, Romam eum vocavit. Ochinus amicorum spretis consiliis, sibi timens, Bononiâ quò pervenerat fugam arripere decrevit. Florentiâ transiens à Petro Vermilio seductus, cucullo & fide abjectâ, Genevam Apostatarum confugium se contulit, eumque idem Petrus Vermilius paulò post secutus fuit. Priùs tamen quam Genevam appelleret, in signum pseudo-Reformationis, Ochinus quamvis sexagenarius, meretriculam quandam velut uxorem acceptam secum adduxit.

At initio quidem à Genevensibus honorificè receptus, sed postea quasi Lutheranæ Sectæ professor despectus, Genevam reliquit. Utque famam aucuparetur, novæ Sectæ se Auctorem facere meditatus fuit, sacrilegè contra Sanctissimam Trinitatem loquens, & pro Polygamia pugnans. Tigurum, Basileam, & tandem in Angliam unà cum Petro Vermilio perrexit. Sed indè ambobus à Maria Regina Catholica ejectis, Ochinus in Germaniam, deindè in Poloniam se recepit. Sed cum hinc etiam à Sigismundo Rege cum aliis hæreticis abire compulsus esset, decrepitâ jam ætate, à quodam antiquo amico domi susceptus, ibi peste obiit, relinquens duos filios & unam filiam, assertâ uxore ab aliquot annis jam mortuâ. Ante mortem errores omnes ejurasse, & peccatorum confessionem Catholico ritu edidisse, Capuccinorum Annales probant, quamvis alii ab omnibus derelictum velut Atheum obiisse velint. Mortuus est anno 1564. Reliquit scripta pestilentissima, quæ Anti-Trinitarii in sua Bibliotheca recensent, inter quæ sunt Dialogi *de Polygamia*, & libellus blasphemus *contra Sectam terrenorum Deorum*, quem Cardinalis Hosius in suo de adoranda Trinitate Judicio & Censurâ pro meritis exagitat.

IX. Franciscus Davidis omnium penè hæresum commenta cum Anti-Trinitaria permiscuit, ut scribit Theodorus Beza Ep. 81. ubi ait: *Incidit Blandrata in Transilvaniam rediens in quemdam Franciscum Davidis, paulò magis quàm superiores illi, ut ajunt, providum: qui cùm nimiùm crassam esse illam Tritheitarum blasphemiam simpliciter propositam animadvertisset, maluit omnia involvere permixtis omnium penè hac in re hæreseon commentis, quàm simpliciter suam sententiam profiteri. Certè in illis, quas initio scripsit, Thesibus, quæ illi tribuuntur, ausim dicere & profiteri, omnium hæreseon, quibus unquam Christi Personam Satan oppugnavit, semina contineri. Quæ verò postea evomuit adeò impudenter, ut apertè & sinè ambagibus, non pro hæreticis, sed pro veritatis assertoribus Origenem, Eutychen, Nestorium, Samosatenum, Arium, Donatum, Helvidium, Ne-*

Nepotem, Eunomium, Praxeam, Photinum, Cerdonem, Sabellium, Acephalos, habeat & nominet; hæc, inquam, ejusmodi sunt, ut unum hoc supereſſe videatur, ut Satanam ipſum in Deo & veritatis ſolio collocet. Hæc de Franciſco Davidis Beza.

§. III.

De Socinianis.

I. Apud Anti-Trinitarios Lælii & Fauſti *Socini* patrui & nepotis, à quibus etiam nunc Secta *Socinianorum* appellatur, celebrius nomen fuit. Uterque Senis in Hetruria ortus. Lælius Mariano Socino inſigni Juriſconſulto parente natus fuit anno 1525. Fauſtus verò Alexandro Socino & Agnete Petricia parentibus Senis itidem ortum habuit anno 1539. Lælius cùm rari ingenii ſpecimen daret curante Mariano Patre linguarum & ſcientiarum ſtudio talem operam dedit, ut omnes ſuæ ætatis juvenes ſuperaret, ſed familiari commercio cum quibuſdam doctis Proteſtantibus corruptus, ingenium ſuum in Catholicæ fidei detrimentum vertere cœpit. Porrò cùm ſe in Italia parùm tutum ob Inquiſitionis rigorem fore videret, anno 1547. ætatis ſuæ 21. patriâ relictâ Galliam, Britanniam, Belgium, Germaniam univerſam, ipſamque Poloniam primo quadriennio emenſus, apud Helvetios Tiguri ſedem fixit. Ipſi cum Calvino, Melancthone, Beza, Bullingero, Muſculo, Munſtero, Petro Martyre, aliiſque peſtibus Evangelicæ doctrinæ corruptoribus, familiaritatem intercesſiſſe, eorum ad ipſum literæ teſtantur. Specialiter tamen à Serveto doctrinam hauſerat, ſed peritus diſſimulandi artifex, combuſto Serveto, eam tegere ſtuduit. Annis 1558. & 1559. literis Poloniæ & Bohemiæ Regum munitus Venetias ſe contulit, ut cum amicis de patrimonio tranſigeret. Tigurum reverſus obiit tertio Idus Maii anno 1562. ætatis 37.

II. Auditâ ejus morte Fauſtus Socinus ejus nepos, qui tunc Lugduni morabatur, Tigurum feſtinus ſe contulit, ut defuncti patrui ſcriptis potiretur: erat enim & ipſe eâdem errorum labe infectus, cùm tunc annum vigeſimum tertium ageret; quos poſtea majori fidei pernicie verbis & ſcriptis publicavit. Interim lupi ſpeciem deponens, ſub ovina pelle in Italiam rediens, Magni Hetruriæ Ducis animum lucratus fuit, & honorificis muneribus ab eo per duodennium decoratus. Verùm liberum campum exoptans ſuos & patrui errores effundendi, Baſileam petiit, ubi Theologiæ ſedulam operam triennio dedit, ac indè Sectam ſuam pluri-

bus

bus scriptis, quæ duobus Tomis apud Bibliothecam Fratrum Polonorum continentur, evulgare cœpit: in eisque propagandis ad Ecclesiæ perniciem quousque vixit perseveravit; donec excitatâ Cracoviæ anno 1598. adversùs ipsum conjuratione, ut sibi imminens vitæ periculum effugeret, in pagum non procul Cracoviâ se recepit, libros sacrilegos continuò scribens, donec ad judicium coram Deo vocatus die 3.Martii anno 1604. ætatis 65. in domo Abrahami Blonki nobilis Poloni diem clausit extremum, unicâ ex uxore relicta filiâ. Nunc ad Socini utriusque errores procedamus.

III. De Religione dicebant: Dei & Religionis cognitionem ex naturæ fontibus hauriri non posse. De Sacra Scriptura: Christianis usum & lectionem Veteris Testamenti necessariam non esse, sed solis Novi Testamenti Libris, non aliis Christianam Religionem esse comprehensam: Scripturam Sacram ita esse, ut in verbis ad salutem necessariis, solâ rationis ope, salutariter sinè præcedente à Spiritu Sancto mentis illustratione, possit à quovis intelligi. Traditionem fidei regulam non esse.

IV. De Trinitate præcipui errores erant: Primò, in Essentia Divina unicam tantùm esse Personam: implicare enim contradictionem unum esse Deum, & plures in eo Personas: & distinctionem istam, Unus in Essentia & Trinus in Personis, nec extare in Sacris Literis, & rationi ac veritati repugnare. Quare Christianos adorantes Trinitatem Cerberi tricipitis adoratores per irrisionem appellabant.

Secundò: Filium Dei vocari Deum non propriè, sed metaphoricè, ob sublimem potestatem ab illo uno & vero Deo participatam: ajebat enim Faustus Socinus (in Examine de Trino & Uno Deo) quòd vox Deus dupliciter in Sacris Literis accipitur. Uno modo *ut significat illum, qui tum in Cœlo tum in terra ita aliis dominatur, ac præest, rerumque auctor est & origo, ut neminem superiorem ac principem habeat, nec ab ullo pendeat. Atque hoc priore modo dicitur Deus esse unus. Alter modus est cùm significat eum, qui summum aliquod imperium, aut vim, aut potestatem ab ipso uno Deo habet, vel aliquâ alia ratione Divinitatis illius unius Dei est particeps. Hoc autem altero modo in ipsis Sacris Literis vocatur nonnunquam Filius, seu Christus Deus.*

Tertiò: Spiritum Sanctum non esse Personam Divinam, *sed virtutem & efficaciam Dei*: ideòque in Scripturis non rarò ei tribui quæ Dei sunt propria, nunquam tamen disertè Deum dici, aut Personam Divinam; sicut nec Dei bonitas, aut justitia, aut misericordia unquam Personæ Divinæ dicuntur, sed Dei attributa virtutes ac proprietates.

V. De Christo blasphemant, secundùm personam esse hominem verum, non tamen esse purum hominem, sed Divinâ filiatione *ab ortu* insignitum, *quatenus Divini Spiritus vi sinè viri ope in Virginis utero conceptus & formatus fuit. Nam hujusce rei causâ eum Filium Dei vocatum iri, ipsius Dei Angelum ipsimet Virgini, ex qua natus est, prædixisse, Lucæ 1. & quidem consequenter Dei Filium proprium & unigenitum; cùm nemo alius hâc ratione, & ab ipso primo ortu Dei Filius unquam extiterit.*

Secundò: Christum ante Virginem non fuisse: & eâ dumtaxat ratione Primogenitum omnis creaturæ à S. Paulo appellari, quòd ut dignitate, sic tempore omnium novarum creaturarum prima sit. Nam & conceptio ex Spiritu Sancto, & ab omni peccati labe immunitas, eum novum hominem, & consequenter novam creaturam constituunt. Ita Socinus in *Christianæ Religionis Institutione*.

His blasphemiis accommodare conatur verba Evangelii S. Joannis cap. 1. *In principio erat Verbum* &c. quæ ita exponit: *In principio erat Verbum*, hoc est, *Christus Dei Filius metonymicè Verbum appellatus, quia ipsius operâ Evangelii verbum, quod priùs latebat, innotuit, & quia omnem Dei voluntatem nobis patefecit. In principio Evangelii, eo nimirùm tempore quo Joannes Baptista ad frugem Israelitarum populum revocare cœpit, & antequam ipsius Baptistæ prædicatione innotuisset, jam erat, & erat à Deo huic muneri voluntatem suam scilicet patefaciendi destinatus.* „ Et Verbum erat apud Deum „. *Hoc est Jesus, quatenus Dei Verbum, antequam Baptistæ prædicatione patefieret, soli Deo notus erat.* „ Deus erat Verbum „ *non ratione substantiæ vel Personæ, sed auctoritatis, potentiæ ac beneficentiæ, quia salutis nostræ vitæque æternæ dux & auctor, & consummator extitit, Divinâ, dum in terris ageret, potentiâ, & auctoritate præditus.* „ Omnia per ipsum facta sunt, & sinè ipso factum est nihil, quod factum est „. *Idest omnia ad spiritualis mundi structuram, seu ad negotium Evangelii pertinentia: omnia nova hæc spiritualia atque Divina, quæ apud nos & in toto terrarum Orbe facta conspiciuntur, non aliundè ortum habent, quàm à Jesu Christi Evangelii prædicatione, Christique operâ & potestate sunt facta.* „ Et sinè ipso factum est nihil „ *quod ad hanc factionem pertineret.* His in Cerinthi, Ebionis & sui patrocinium Evangelii Joannis verba Socinus impiè detorquet.

VI. De Incarnatione & Redemtione non minùs sacrilegè Sociniani loquuntur. Deum naturam humanam in unitatem Personæ assumsisse negant: unde illud Evangelii, *Et Verbum caro factum est*, ita Socinus interpretatur: *Et Verbum caro fuit*, idest, *homo ille*

ille qui ex Maria Virgine natus est, quem Joannes tot laudibus extulit, *fuit homo imbecillis, erumnosus, despectus, contemtus, & non secùs atque alii morti obnoxius*. Ita Socinus in cap.1. Joann.

Secundò: Christum Prophetam fuisse dicunt, quia priùs in Cœlum raptus ad Patrem, ibidem de omnibus quæ se ac nos spectarent instructus, deindè in mundum ut ea impleret missus fuit. Ita Socinus *in Christianæ Relig. Instit.* pag. 675.

Tertiò: Divinum honorem qui Christo exhibetur, ad Deum referri, Deum coli ut causam primam salutis nostræ, Christum verò ut secundam. Hæc pluribus in locis Socinus evomit.

Quartò: Christum Servatorem nostrum ideò dici, non quia salutem operatus sit pro nobis satisfaciendo, sed quia æternæ salutis viam nobis annuntiaverit. Hæc Socinus in Prælectionibus Theologicis à cap. 16. ad 30. in Libro de Christo Servatore contra Covetum: *Divinæ autem Justitiæ*, inquit, *per quam peccatores damnari mererentur, neque illum satisfecisse, neque ut satisfieret opus fuisse. Redemtionem nostram per Christum factam esse metaphoricam, idest in ea peragenda nullum verum pretium intervenisse, sivè nihil cuiquam pro nobis solutum fuisse. Christum non potuisse Divinæ Justitiæ pro nobis satisfacere. Non enim minùs illum pro se obtulisse quàm Legalem Pontificem*. Proh impietatem!

Quintò: Christum oblationem suam & Sacrificium non in Cruce, sed in Cœlo consummasse: *Dico igitur* (ait Socinus in Christ. Relig. Institutione) *Christi oblationem, quá expiata peccata nostra fuisse dicuntur, non in Cruce, & per ipsum ibidem Sanguinis sui fusionem peractam fuisse, quemadmodum vulgò existimant, sed in Cœlo, & per sui ipsius ibi coràm Deo pro nobis, ut sic dixerim, præsentationem*.

Sextò: Christum propriâ virtute à mortuis non surrexisse. In vero quidem Corpore, quo cum Discipulis conversatus fuerat, surrexisse, eisque apparuisse, ut suæ Resurrectionis faceret fidem: Hoc tamen post Ascensionem annihilatum est. Unde Christus jam carne & sanguine caret, & habet corpus quoad essentiam merè spirituale. Unde ait, etiam fidelium corpora post resurrectionem futura spiritualia, idest carne sanguine & ossibus caritura.

VII. De homine primò dicit, eum ante lapsum fuisse mortalem: *Nec mortalitatem quippè, neque mortem naturalem per peccatum intrasse, sed moriendi necessitatem & mortem æternam*. Ita Socinus in Respons. ad Defensionem Francisci Puccii cap. 8. & in Prælect. Theol. cap.1.

Secundò: Justitiam originalem in primo homine ante lapsum nullam fuisse. In Prælect. Theologicis cap.3.

Tertiò: Peccatum originis nullum esse. Ibidem cap. 4.

VIII. De Sacramentis. Baptismum aquæ dicunt à Christo non fuisse præceptum. Fieri quidem in Baptismo publicam Jesu nominis professionem, sine qua liberatio à peccatorum reatu haberi non potest: Hanc tamen Professionem externæ illi ablutioni alligatam non esse, quin alio modo, si Ecclesiæ placuerit, vel res ipsa necessariò tulerit, fieri possit.

Secundò: Eo ritu nec infantes, nec adultos regenerari.

Tertiò: Pædobaptismum, ceu Verbo Dei contrarium cum Anabaptistis rejiciunt.

IX. De Eucharistia dicunt „ In sumtione illa panis & vini, „ quæ fit in Cœna Domini, nihil præter ipsum panem & vinum, „ sivè à credentibus, sivè à non credentibus accipi. Cæremoniam „ esse dumtaxat, non Sacramentum, nec alium ejus finem esse, „ quàm mortis Domini recordationem. Abusum esse Cœnæ Do- „ mini credere, illam nobis aliquid conferre beneficii, vel gra- „ tiam Dei, vel nos ejusdem certiores facere. Nam quoad ex- „ terna, quæ nos confirmare possunt in veritate Divina, nulla esse „ alia, quàm *aquam*, hoc est innocentiam, *sanguinem*, hoc est „ mortem truculentam, & *spiritum*, hoc est, miracula Jesu „ Christi Apostolorum & aliorum credentium: Quoad interna, „ nihil nos confirmare posse in gratia Dei, quàm spiritum Dei „. Ita de more insanit Socinus in Lib. de Usu & fine Cœnæ Domini contra Niemiojevium.

X. Circa Legem dicunt, Justos Veteris Testamenti Fide in Christum non fuisse justificatos, nec vitæ æternæ promissionem ad eos pertinuisse. Ita Socinus in Lib. *Quod Regni Poloniæ* &c. & in Fragmentis de Justificatione.

Secundò: Præcepta moralia Novi Testamenti alia esse à Præceptis moralibus Veteris Fœderis. Ibidem.

XI. De Gratia & Justificatione cum Pelagio Socinus loquitur, nimirùm „ Voluntatem ad perficiendum ea quæ Deus jubet, in „ omnibus naturaliter esse posse, imo in plerisque esse, nisi assue- „ tudine peccandi factum sit, ut quis ipso peccato delectetur. Por- „ rò vires non esse ita exiguas, ut homo ope Dei accedente, si „ sibi ipsi vim facere velit, Legi Divinæ parere non possit. Au- „ xilium autem istud Divinum esse duplex, exterius, & interius. „ Exterius esse promissiones Legi adjunctas alicujus boni, cujus „ desiderio ac spe homines permoti, Legem servandi difficultatem „ superant, vel minas alicujus mali, cujus odio & metu perter- „ riti, à lege infirmanda sedulò sibi cavent. Interius autem au- „ xilium duplex est. Unum, cùm Deus id quod sibi obedientibus pro-

„ promisit, eorum etiam cordibus quodammodo inscribit. Alterum cùm ad ipsius voluntatem rectè percipiendam mentem „ erudit, eamque illustrat „. Ita Socinus in Prælectionibus Theologicis cap. 5.

Secundò „ Deum omnes, quibus Christi Evangelium annuntiatur, salvos facere velle, ac vitâ æternâ donare, si modò „ eidem Evangelio credant atque obediant: ut autem credere „ atque obedire possint (naturæ scilicet & liberi arbitrii viribus) „ omnibus *generatim concedere* „. Ita Socinus *in Thesibus de Justificatione*.

Tertiò: Nullam esse Dei Prædestinationem, quâ nominatim ab æterno de singulis hominibus decreverit, quis omninò salvandus, quis damnandus sit. Ita Socinus in Prælectionibus Theologicis cap. 6.

Quartò: Nullam esse in Deo futurorum, quæ ex hominis libertate pendent, certam & infallibilem prænotionem, seu præscientiam: nullum singulare decretum eorum, quæ ad salutem aut damnationem hominum attinent. Ibidem à cap. 8. ad 15. Et in cap. 9. Epist. ad Romanos.

XII. Quoad Animas & Resurrectionem dicunt, Animas à morte non superesse. Homines impios penitùs annihilari. Resurrectionem impiorum nullam futuram, sed eos tantùm impios judicandos, qui tunc vivi ultimo die deprehendentur; eosque unà cum Diabolo in ignem æternum detrusum iri. Qui ignis æternus ipsis dicetur, non propterea quòd in æternum affligat, & infideles omnes ardendo non comburantur, sed quòd in æternum non contingat ex eo liberatio. Igitur negant cruciatus impiorum & Dæmonum in æternum duraturos, (cùm absurdum sit Deum irasci in æternum, & peccata creaturarum finita pœnâ infinitâ mulctare) verùm esse omnes simul abolendos. Adeò ut mors & infernus dicantur conjiciendi in stagnum illud ardens. Hæc Socinus & sui pluribus in locis blasphemant.

XIII. De Ecclesia verò dicunt, Primò: Visibilem Ecclesiam perpetuò non extitisse, aut porrò extituram. Socinus *in Solutione Scrupulorum, ad septimum*.

Secundò: Nullas esse notas, quæ possint fidem facere veræ Ecclesiæ. Idem in *Excerptis de Ecclesia*.

Tertiò: Non esse quærendam ab Ecclesia Divinam veritatem: neminemque teneri quærere & investigare, quænam sit vera Christi Ecclesia. (Ibidem.)

Quartò: Ecclesiam plenè defecisse, & per Apostolica scripta instaurari posse. (Ibidem.)

Quin-

Quintò: Alios condemnare qui secum per omnia non sentiunt, & extra suos cœtus nullam salutem esse affirmare, hoc non esse Apostolicæ Ecclesiæ proprium, sed potiùs ab ea alienum. Apostolicam Ecclesiam eam non esse, quæ in nulla prorsùs suæ doctrinæ parte errat, sed eam quæ in iis non errat, quæ ad salutem sunt necessaria. Aliqua doctrinæ capita, sinè quibus nemini salus contingere queat, ex solo eoque aperto Dei Verbo constituenda. Quod si nihilominus in hac parte erratum fuerit, quatenus aliqua capita constituta fuerint, quæ ex isto numero re verâ non sint, non idcircò veram Christi Ecclesiam esse desinere, quæ hoc fecerit, dummodo nullum eorum prætermiserit, quæ ex isto sunt numero. (Ibidem.)

Sextò: Antichristum tunc extitisse, quando Romani Episcopi Primatus extitit. Nam tunc primùm Christi præcepta passim convelli cœpisse, & pro vero Dei cultu idololatriam aliquam induci. (Ibidem.)

Septimò: His verbis Christi: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, nihil S. Petro promissum fuisse, quod aliis Apostolis non fuerit datum. Ita Socinus in Tract. quo hunc locum explicat.

Octavò: Vanissimum esse eorum commentum, qui ex Christi verbis: *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, concludunt Christi Ecclesiam non posse diabolicis ullis viribus aut artibus subverti, aut in errores perniciosos induci. Sed sensum Christi verborum esse, ipsum Infernum, seu omnem vim ac potestatem Inferni non prævalituram Ecclesiæ suæ, idest eos qui verè Christiani fuerint, in mortuorum statu, & conditione non remansuros. (Ibidem.)

Nonò: Claves Petro à Christo traditas nihil aliud esse, quàm facultatem declarandi & pronuntiandi, quinam ad Regnum Cœlorum pertineant, vel non pertineant, idest ad statum & conditionem eorum, in quibus Deus per gratiam suam habitat & regnat, sivè in hoc, sivè in futuro seculo. (Ibidem.)

XIV. Doctrina moralis Socinianorum dogmaticæ dissimilis non est. Zuinglium, Lutherum, Œcolampadium, ceu salutaris Reformationis authores prædicant. Conciliis Œcumenicis, etiam quatuor prioribus ac præcipuè Nicæno I. fidem abrogant. S. Athanasio cæterisque Patribus (quia eorum erroribus resistunt) detrahunt. Vide Socinum in *Solutione Scrupulorum*.

Secundò: Non licere homini Christiano etiam Magistratus auctoritate bella gerere, & ejus opem, secundùm Leges, ad vindicandas quascumque injurias implorare. Ita Socinus in cap. 5.

& 6.

& 6. Matthæi ubi dicit Bellum gerere rem esse per se malam, & Christi præceptis contrariam.

Tertiò: Privata juramenta etiam pro rebus certissimis Christiano esse vetita, inquit Socinus; hâc tamen exceptione, *modò res sint leves, & voluntarium jusjurandum. Juramenta autem de rebus gravibus, nec indignis, in quibus Deus testis, & vindex etiam appelletur, à Christo non interdici.* Hoc observato, Socinus non errat.

Quartò: Magistratum cum potestate coactiva à Christianis exerceri non posse, nec populum Christianum id munus alicui deferre.

Quintò: Non licere Christianis vitam suam, aut suorum contra latrones & invasores vi opposità defendere, si possint: quia fieri non potest, ut Deus hominem verè pium, ipsique ex animo confidentem, tali involvi patiatur periculo, in quo quidem ipsum servatum velit, sed non aliter, quàm sanguinis humani effusione.

Sextò: Homicidium aggressoris pro graviori delicto habendum esse, quàm ipsam vindictam. Vindicando enim retribuo injuriam jam acceptam; at hic occido hominem, qui me forsan nondùm læserat, nec dum occiderat; sed qui voluntatem tantùm habuit me lædendi aut occidendi: imò de quo certò scire non possum, an me animo occidendi, & non potiùs terrendi tantùm, quò tutiùs me spoliare possit, aggrediatur. Hæc docet Wolzogenius ad 4. Quæstiones de Magistratu & Bello quæst.1. & 3.

Septimò: Docent demum, Ecclesiæ Ministris, Doctoribus, Prædicatoribus Missionem ac vocationem necessariam non esse: & Apostolum cum ait: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* non loqui de quavis prædicatione; sed de prædicatione dumtaxat novæ & inauditæ doctrinæ, qualis fuit prædicatio Apostolica. Hoc clypeo tueri se conantur Socinus & alii pseudo-Reformatores, qui nullum suæ missionis signum ostendere possunt. At secum pugnant. Nam si Apostolis, quia novam & inauditam doctrinam prædicabant, necessariam volunt fuisse Missionem: multò magis ipsis, qui doctrinam non solùm novam, sed Ecclesiæ omnium seculorum contrariam doctrinam evulgare cœperunt, necessaria fuisset & vocatio à Deo. Cujus cùm nullum vel leve signum hactenus ostenderint, non doctrinæ Christi prædicatores, sed corruptores à Satana missi, jure dicendi sunt.

XV. In prænarratis Socini erroribus, qui sedulò eos sigillatim inspexerit, omnium hæresum colluviem & abyssum inveniet. Nedum enim eas, quas novi pseudo-Reformatores excitarunt, confirmat, sed alias pejores, contra Trinitatem & Christum, quas illi

illi tangere ausi non fuerant, jamdiu sepultas ab inferis revocare non erubuit, à quibus specialiter confutandis supersedeo, cùm variis in locis contra singulas egerim. Secta hæc variis in regionibus, ut in Hollandia, & Anglia adhuc serpentis more latitat, cujus veneno infecti sunt ii qui *Deistæ* appellantur, & Libri qui in dies prodeunt apertè manifestant. De Fausto (veriùs Infausto) Socino ejus Asseclæ canere solent:

Tota licèt Babylon destruxit tecta Lutherus,
Muros Calvinus, sed fundamenta Socinus.

CAPUT CXVI.

De Michaele Bajo.

§. I.

Baji errorum initia & progressus.

I. Michael Bajus Lovaniensis Academiæ Doctor & Professor, & tandem Decanus, vir fuit doctrinâ & probitate celebris, ac unus ex Theologis Philippi II. Regis Catholici ad Concilium Tridentinum missis. Sed cùm in doctrina à Patribus accepta se non continens, novarum opinionum esset amator, ac eas in publicum spargere cupidus, aliquas earum, de Operibus, Libero Arbitrio, aliisque Articulis, in scriptis & disputationibus propugnare cœpit, quibus diversam famam sibi comparavit. Ab aliquibus enim, & præcipuè à Joanne Hassel ejusdem Academiæ Doctore, qui ejus condiscipulus fuerat sub disciplina celebris Ruardi Tapper, ut vir perdoctus & subtilis ingenii habebatur. Ab aliis verò tanquam Novator, & parum sanæ doctrinæ traducebatur. Hinc multis pro una parte, multis pro alia pugnantibus, in Academia scissio facta est.

II. Contentio etiam inter quosdam ex Ordine Minorum, qui olim Baji discipuli fuerant, exorta fuit, cùm hi Magistri sui novas opiniones tueri vellent, alii verò ejusdem sodalitii pro veteribus sententiis standum esse contenderent. Qui veteres sententias tuebantur, Facultatem Parisiensem consulendam existimarunt, ideòque novas Baji opiniones ad octodecim capita redactas ad eam transmiserunt. Facultas verò eas seriò perpensas acri censurâ dignas existimavit. At quod ad jurgia extinguenda fuerat cogitatum, ea ferventiùs excitavit. Nam Bajanæ doctrinæ defensores Magistros extimularunt, ut læsum decorem repararent. Edi-

Edita itaque fuit contra Theologorum Parisiensium Censuram Apologia, quam unà cum Censura ipsa in Seripandi Commentariis haberi observat Cardinalis Pallavicinus Lib. 15. c. 7. Semina hæc fuerunt zizaniorum, quæ ad turbandam Ecclesiæ pacem, & seducendos incautos Jansenii Yprensis gregales in messem collegerunt, & adhuc in dies colligunt, non adversùs Facultatis Parisiensis, sed & Apostolicæ Sedis iteratas Censuras blaterantes.

III. Modò ad Bajum redeo. Cardinalis Commendonus, qui occasione Concilii Tridentini Pii IV. Legatus in illis partibus aderat, omni dexteritate, etiam Pontificis mandato, Bajum ad suos revocandos errores, vel saltem ad silentium ab utraque parte servandum adhortari conatus fuit; sed frustra: maximè quia quidam Superior Franciscanus, cum inopportuno zelo adactus quosdam sui Ordinis Baji defensores tanquam hæreticos pœnâ mulctasset, comminatus insuper eos ut tales à Papa declarari se facturum, animos tum Magistrorum tum Sequacium magis accendit. Contigere hæc circa annum 1561. Operâ tamen Belgii Gubernatoris incendium hoc aliquandiù sopitum fuit.

IV. Post aliquod tempus Bajus unà cum Joanne Hesselio, & Cornelio Jansenio (postea Gandavensi Episcopo) ejusdem Academiæ Lovaniensis Theologis, nomine Philippi II. Hispaniarum Regis Tridentino Concilio interfuit. Verùm cùm in Concilio quæstiones ad propria eorum opinamenta spectantes tunc non agitarentur, data non est opportunitas Bajum à sententia dimovendi. Nam cùm regula prudentiæ sit, bellorum externorum tempore domesticos pacatos & contentos continere, Baji opiniones dissimulatæ sunt, donec Synodus absolveretur. Postea, cùm illæ in pluribus illius libris sparsæ essent, & errores, ut solet, ex erroribus pullulassent, ac dissidiorum tumultus ex eorum occasione in Belgio succrevissent, eis occurrere Apostolicæ Sedi visum est, ac de eis supremo judicio statuere.

§. II.

Baji errorum damnatio.

I. PRæerat tunc Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ vir, non solum nomine, sed pietate insignis ac propterea Sanctorum albo solemni ritu adscriptus Pius V. Hic pro veritate causæ Baji cognitione susceptâ, novisque ejus dogmatibus maturè ac seriò examinatis, septuaginta novem ejus Positiones edito diplomate damnavit. Hujus initium est.

Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco à Domino constituti tam luctuoso tempore sustinemus, ille animum nostrum præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Christiana, tantis jampridem turbinibus agitata, novis quotidiè propositis opinionibus conflictetur, Christianusque populus antiqui hostis suggestione dissectus, in alios inque alios errores passim & promiscuè deferatur. Quantum verò ad nos attinet, totis viribus conamur, ut illi simulatque prosiliunt penitùs opprimantur: magno etenim mœrore afficimur, quòd plerique spectatæ alioquin probitatis & doctrinæ viri in aliquas sententias, offensionis & periculi plenas, cum verbo tum scriptis prorumpunt, denique eis etiam in Scholis invicem controversantur. Ita S. Pontifex, quasi præscius eorum, quibus Jansenistæ & alii Ecclesiam conturbarunt, & conturbare non cessant.

II. Propositiones autem, quas damnavit his verbis recenset.

1. *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.*

2. *Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.*

3. *Et bonis Angelis & primo homini, si in statu illo permansissent usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.*

4. *Vita æterna homini integro & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum: & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.*

5. *In promissione facta Angelo & primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, quâ pro bonis operibus, sinè alio respectu, vita æterna justis promittitur.*

6. *Naturali Lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.*

7. *Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera: sed juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ, non rectè vocantur gratiæ; quo fit, ut tantùm merita, non etiam gratiæ debeant nuncupari.*

8. *In redemtis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratìs indigno collatum.*

9. *Dona concessa homini integro & Angelo, forsitan non improbandâ ratione possunt dici gratia: sed quia secundùm usum Scripturæ nomine gratiæ tantùm ea munera intelliguntur, quæ per Jesum malè merentibus & indignis conferuntur, ideò neque merita, nec merces quæ illis redditur, gratia dici debet.*

10. *Solutionem pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpè manet, & corporis resurrectionem, propriè nonnisi meritis Christi adscribendam esse.*

11. *Quod*

11. *Quòd piè & justè in hac vita mortali usque in finem conversati vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ, justo Dei judicio, deputandum est.*

12. *Nec in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantùm ad primam constitutionem generis humani, in qua Lege naturali institutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.*

13. *Pelagii sententia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum non esse Regni Cælestis meritorium.*

14. *Opera bona à filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo quòd fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei; sed tantùm ex eo quòd sunt conformia Legi, quòdque per ea præstatur obedientia Legi.*

15. *Opera bona justorum non accipient in die Judicii extremi ampliorem mercedem, quàm justo Dei judicio merentur accipere.*

16. *Ratio meriti non consistit in eo quòd qui benè operatur, habeat gratiam & inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solùm quòd obedit Divinæ Legi.*

17. *Non est vera Legis obedientia, quæ fit sinè caritate.*

18. *Sentiunt cum Pelagio qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.*

19. *Opera Catechumenorum, ut Fides & Pœnitentia, ante remissionem peccatorum facta sunt vitæ æternæ merita, quam ii non consequentur, nisi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur.*

20. *Opera justitiæ & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate Personæ operantis non traxerunt majorem valorem.*

21. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

22. *Humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in consortium Divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, ac proindè naturalis dicenda est, non supernaturalis.*

23. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos secundo,,* Gentes quæ Legem non habent, naturaliter quæ Legis sunt faciunt,, *intelligunt de Gentibus fidem non habentibus.*

24. *Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali & gratuito supra conditionem naturæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, caritate Deum supernaturaliter coleret.*

25. *A vanis & otiosis hominibus secundùm insipientiam Philoso-*

phorum excogitata est sententia, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus & in Dei filium adoptatus; & ad Pelagianismum rejicienda est illa sententia.

26. *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.*

27. *Integritas prima creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.*

28. *Liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet.*

29. *Pelagianus est error dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.*

30. *Non solùm fures ii sunt & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis & vitæ negant; sed etiam quicumque aliundè quàm per Christum in viam justitiæ, hoc est, ad aliquam justitiam conscendi posse dicunt: aut tentationi ulli sinè gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea superetur.*

31. *Caritas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis quàm in Pœnitentibus potest esse sinè remissione peccatorum.*

32. *Caritas illa, quæ est plenitudo Legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.*

33. *Catechumenus justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac Legem implet per caritatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.*

34. *Distinctio illa duplicis amoris; naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator; vana est & commentitia, & ad illudendum Sacris Literis & plurimis Veterum testimoniis excogitata.*

35. *Omne quod agit peccator vel servus peccati peccatum est.*

36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumtionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.*

37. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.*

38. *Omnis amor creaturæ naturalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa caritas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ, Deus amatur.*

39. *Quod voluntariè fit, etiamsi in necessitate fiat, liberè tamen fit.*

40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.*

41. *Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine*

mine non reperitur in Scripturis, sed solùm libertatis à peccato.

42. *Justitia, quâ justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, quâ adoptatur homo in filium Dei, & secundùm interiorem hominem renovatur, & Divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps benè vivere & Dei mandatis obedire possit.*

43. *In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum Absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum est vera justificatio, separata tamen à justificatione peccatorum.*

44. *Operibus plerisque, quæ à Fidelibus fiunt, ut mandatis Dei pareant, cujusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio à furto à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt Legis obedientiæ & veræ Legis justitiæ, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.*

45. *Sacrificium Missæ non aliâ ratione est Sacrificium, quàm generali illâ, quâ omne opus quod fit, ut sanctâ societate Deo homo inhæreat.*

46. *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.*

47. *Unde peccatum Originis verè habet rationem peccati sinè ulla relatione ad voluntatem, à qua originem habuit.*

48. *Peccatum Originis est habituati parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quòd non gerit contrarium voluntatis arbitrium.*

49. *Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sinè regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erat, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & Legi Dei repugnet.*

50. *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt probibita præcepto*,, Non concupisces.,,

51. *Concupiscentia, sivè lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera Legis inobedientia.*

50. *Omne scelus ejus est conditionis, ut suum authorem & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.*

53. *Quantum ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quàm qui cum majoribus.*

54. *Diffinitiva hæc sententia*,, Deum homini nihil impossibile præcepisse,, *falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagii sit.*

55. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.*

56. *In*

56. *In peccato duo sunt, actus & reatus: transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sivè obligatio ad pœnam.*

57. *Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solùm liberat à reatu.*

58. *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens & inspirans, vivificat eum & resuscitat: ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur.*

59. *Quando per eleemosynas, aliaque pietatis opera, Deo satisfacimus pro bonis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant: nam alioqui essemus saltem aliqua ex parte redemtores: sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur & communicatur.*

60. *Per Passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem caritatis nobis eorum Passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.*

61. *Celebris illa Doctorum distinctio, Divinæ Legis mandata bifariam impleri, altero modo quantùm ad præceptorum operum substantiam tantùm, altero quantùm ad certum quemdam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad Regnum æternum, hoc est, ad modum meritorum, commentitia est, & explodenda.*

62. *Illa quoquè distinctio, quâ opus dicitur bifariam bonum; vel quia ex objecto & omnibus circumstantiis rectum est & bonum, quod moraliter bonum appellari consuevit; vel quia est meritorium Regni æterni, eò quòd sit à vivo Christi membro per spiritum caritatis; rejicienda putatur.*

63. *Similiter & illa distinctio duplicis justitiæ; alterius, quæ fit per spiritum caritatis inhabitantem; alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum inhabitantis, & in eo caritatem diffundentis, quâ Divinæ Legis justificatio impleatur; rejicienda est.*

64. *Denique & illa distinctio duplicis vivificationis; alterius, quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia & vitæ novæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius quâ vivificatur qui verè justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur; commentitia est, & Scripturis minimè congruens.*

65. *Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sivè non malus; & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit & docet.*

66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

67. *Ho-*

67. *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessariò facit.*

68. *Infidelitas purè negativa, in iis quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

69. *Justificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere Legem.*

70. *Homo existens in peccato mortali, sivè in reatu æternæ damnationis, potest habere verum caritatem: & caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.*

71. *Per Contritionem, etiam cum caritate perfecta & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis vel martyrii, sinè actuali susceptione Sacramenti.*

72. *Omnes omninò justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum, unde Job & Martyres quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.*

73. *Nemo propter Christum est absque peccato originali: Hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum: omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.*

74. *Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi.*

75. *Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto* „ Non concupisces „. *Unde homo eos sentiens, & non consentiens transgreditur præceptum.*

76. *Quamdiù aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum* „ Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. „

77. *Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.*

78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.*

79. *Falsa est Doctorum sententia, Primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sinè justitia naturali.*

III. Hæ sunt Propositiones ex ipso Diplomate ad verbum transcriptæ, quas Pius V. in Bajo damnavit, quæ ad hæc principia compendio resolvi possunt, nempè statum hominis innocentis esse statum naturalem, nec in alio statu potuisse Deum illum condere. Ejus merita in eo statu non potuisse dici Gratiam, cùm per vires suæ naturæ vitam æternam mereri potuisset. Post peccatum verò omnia opera hominis sinè gratia facta, esse peccata, itemque omnia opera infidelium, imo ipsam infidelitatem negativam pec-

peccatum esse: Libertatem verò in Scripturæ sensu nil aliud esse, quàm liberationem à peccato; & compatibilem esse cum necessitate. Motus concupiscentiæ etsi involuntarios præcepto prohibitos esse, & in baptizatis esse peccatum, cùm in statum peccati relapsi fuerint. Caritatem dari posse in homine, qui peccatorum remissionem nondum obtinuerit. Per Contritionem perfectam, etsi cum voto suscipiendi Baptismi vel absolutionis Sacramentum conjunctam, non remitti peccatum, nisi illud actu suscipiat. Neminem (excepto Christo) nasci sinè peccato originali, ac pœnalitates quas B. Virgo aliique Sancti pertulerunt, fuisse punitiones peccati originalis, sivè actualis. Hominem, etiam priusquam justificetur, mereri posse vitam æternam. Dici demum non posse quòd homo per opera bona & pœnitentiæ satisfaciat, sed quòd intuitu talium operum satisfactio Christi ei applicetur. Hæc est summa errorum, qui in scriptis Baji censurâ notati fuerunt.

IV. Præfatas ergo omnes Propositiones Pius V. damnavit, nomini tamen Michaelis Baji pepercit mansuetissimus Pontifex; nec declaravit, quænam cuique censura conveniret; secutus in hoc exemplum, tum Concilii Constantiensis contra errores Wichleffi, tum Leonis X. contra Lutheri errores; & addidit, aliquas quidem ex proscriptis Propositionibus (nullam tamen adnotando) posse aliquo pacto sustineri, non tamen in rigore & sensu ab Assertoribus intento, & omnes damnat his verbis: *Quas quidem sententias stricto coràm nobis examine ponderatas (quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent) in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè, ac quæcumque super iis verbo scriptoque emissis, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus & abolemus* &c. Datum fuit hoc Diploma anno 1567. Kal. Octobris Pontificatus 2.

§. III.

Ea quæ post damnationem secuta sunt.

I. Diploma præfatum S. Pius locis publicis, ut moris est, affigi noluit, sed majoris lenitatis ergo illud tradidit Antonio Tituli S. Bartholomæi in Insula Cardinali Granvellano Archiepiscopo Mechliniensi tunc Romæ commoranti; injungens ei, ut illud notificari faceret tum Universitati Lovaniensi tum ipsi Bajo, & pro sui zelo & prudentia ad damnatorum errorum extirpationem, & unionem & pacem Catholicam disponeret, additâ facultate Refra-

fractarios censuris & pœnis mulctandi, ut ex verbis ipsius Diplomatis colligere licet. Pontificis mandato obsequens Cardinalis Granvellanus, Maximiliano Morillonio Vicario suo Literis præcepit, ut præcipuis Lovaniensis Facultatis Magistris Diploma notificaret, ageretque ut Bajus ipse Censuræ Sanctitatis Suæ se se submitteret. Quod ille executus fuit. Convocatâ enim Facultate, Bullam coràm ea legit, quæ licèt optaret sibi tradi Bullæ exemplum, ipse autem negaret, solùmque se Articulos damnatos traditurum promitteret, se tamen parituram spopondit, nec deinceps damnatos Articulos defensuram. Idem Bajus ipse promisit, solùm conquerens, quòd ipso inaudito damnatæ fuissent Positiones ut suæ, quæ suæ non essent. Nec tamen statim acquievit, sed in sui defensionem, tum ad Pontificem, tum ad Cardinalem Simonettam anno 1569. literas dedit.

II. Baji literis respondit Pontifex Brevi dato 3. Maji 1569., hisce strictis terminis, nempè, Causam fuisse sufficienter examinatam, ac proindè ipsum se adhortari, ut pro debito se se lato Judicio submitteret. Hoc Breve unà cum simili Cardinalis Simonettæ responso Morillonius die 20. Junii Bajo præsentavit, acriter eum objurgans, quòd post damnationem pro suarum Positionum defensione scribere ausus fuisset; ideòque in Irregularitatem incidisse. Bajus, sivè scrupulo, sivè humilitate permotus, in genua procumbens, absolutionem petiit. At respondente Morillonio, eam se indulgere non posse, nisi priùs errores abjuraret, petit Bajus, sibi tradi Bullam, ut ex ea sigillatim nosset errores, quos ejurare deberet. Sed licèt Morillonius reponeret, se eam apud se non habere, obtinuit tamen à Bajo, ut suis in manibus errores omnes damnatos ejuraret, quo præstito, absolutionem à censuris ei impartitus fuit. Nullum tamen de hoc actu documentum scripto exegit, sed totum quod inter Bajum & ipsum in hoc contigit, secretum permansit solo Parocho S. Gudulæ præsente, ut ex literis ad Cardinalem Granvellanum ab ipso Morillonio super hoc datis apparet. Hæc refert Du Pin. in Biblioth. Auct. Ecclesiastic. To. 16. verbo *Bajus* pag. 144.

III. An verò in afferta abjuratione constans & fidelis Bajus permanserit, non leve dubium est; ea enim quæ postea in sui defensionem docuisse ac scripsisse fertur, maximam de ejus sinceritate suspicionem reliquerunt. Hoc verum est, quòd haud deficientibus damnatarum opinionum defensoribus, nec illarum causâ discordiis, & interim Pio Pontifice vitâ functo, Diploma confirmatum, & solemniter promulgatum est Romæ à Gregorio XIII. ejus Successore anno 1579. insertum in Bulla incipiente; *Provisio-*

nis nostræ 4. Kal. Januarii. Quod ad Facultatem Lovaniensem & ipsum Bajum deferri jussit per Franciscum Toletum Societatis Jesu Theologum, tunc Pontificium Concionatorem, postea S. R. E. Cardinalem à Clemente VIII. creatum. Hic Bajum à pravis illis opinionibus removere studuit, cohortans, ut Sedis Apostolicæ judicio tandem acquiesceret, quod à viro pio æquè ac erudito facilè obtinuit; privatâ ejus scripto retractatione contentus, quam ad Pontificem transmisit.

IV. Forma autem Retractationis hæc est: *Ego Michael de Baji Cancellarius Universitatis Lovaniensis agnosco & profiteor, me ex variis colloquiis & communicationibus habitis cum R. P. D. Francisco Toledo Concionatore Suæ Sanctitatis, & ad hanc rem specialiter misso super diversis sententiis & propositionibus jam olim à S. D. Pio V. fel. record. sub data Kal. Octobris anno 1567. & nuper à Gregorio XIII. moderno Pont. Maximo sub data 4. Kal. Februarii anno 1597. iteratè damnatis & prohibitis, ita motum & eò perductum esse, ut planè mihi habeam persuasum, earum omnium sententiarum damnationem atque prohibitionem, jure meritòque, ac nonnisi maturo judicio, & diligentissimâ excussione præmissis, factam, atque decretam esse. Fateor insuper plurimas ex iisdem sententiis in nonnullis libellis à me olim, & ante emanatam Sedis Apostolicæ super iis censuram conscriptis, & in lucem editis contineri & defendi etiam in eo sensu, in quo reprobantur. Denique declaro, me in præsentiarum ab illis omnibus recedere, & damnationi à S. Sede factæ acquiescere, neque posthac illas docere, asserere aut defendere velle. Datum Lovanii die 24. Martii anno 1580.*

Michael de Baji.

V. Universitas ipsa Lovaniensis eâ quâ par erat veneratione & Diplomata & Decreta Pontificia suscepit, latâ insuper lege, ne quisquis in eam adscribi vellet admitteretur, nisi perpetuam priùs eorum observantiam jurejurando pacisceretur. Censuram ac Judicium contra Propositiones Baji confirmavit Urbanus VIII. in Constit. *In eminenti* pridiè Nonas Martii anno 1641. quam per ejus in Gallia tunc Apocrisiarium deindè Cardinalem Grimaldum transmissam, Facultas Parisiensis, quæ Baji errores antea damnaverat, unanimi consensu, & summâ veneratione anno 1644. Kal. Februarii suscepit.

VI. His non obstantibus, non defuere, qui etiam in Academia Lovaniensi super Propositionum Baji damnationis intelligentia, novas lites excitarent; dicentes, aliquas ex præfatis Propositionibus etiam in sensu ab earum Assertoribus intento sustineri posse, eo quia Bulla Pii V. sic loquitur: *Quamquam nonnullæ aliquo*

pacto

pacto sustineri possent (nullâ interjectâ virgulâ) *in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento*, *hæreticas* &c. Ideòque Bullam adulteratam esse ab eis, qui inter hæc verba *sustineri possent*, & ista sequentia *in rigore & proprio verborum sensum* virgulam interposuerunt. Nullam eo loco interjectam esse virgulam in originali Bulla Jacobus Jansenius Lovaniensis Doctor autographum manibus tenens ac legens testabatur. Idem sentit Jansenius Yprensis Episcopus Lib.4. *de Statu naturæ lapsæ* cap. ultimo, asserens se nullum virgulæ, seu distinctionis vestigium in autographo, quòd sæpè legerat, vidisse, & consultò distinctionis notam seu virgulam à Pontifice omissam contendit, ut quasdam ex illis Propositionibus in sensu ab Auctoribus intento sustineri posse significaret.

Verùm dato etiam quòd in Pii V. Diplomate eo loco & aliis scribæ incuriâ, virgula deesset, in Gregorii tamen XIII. originali Diplomate cum virgula hanc sententiam legere est, sicut in Constitutione Urbani VIII. quæ incipit: *In eminenti*. Accedit, quòd si absque virgula interjacente verba illa legenda essent, sibi contradiceret Pius Pontifex. Nam si aliquæ Baji Propositiones in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento sustineri possunt: ergo absolutè idest, in sensu proprio, seu in sensu quem reddunt, & in quo à Bajo asseruntur propugnari poterunt. Cur ergo eas unà cum aliis damnat? Cur insuper omnium retractationem à Michaele Bajo postulavit, & obtinuit Toletus, si aliquæ earum in rigore & proprio sensu ab Auctore intento sustineri potuissent? Verba ergo illa Pontificii Diplomatis non in sensu copulativo, sed adversativo accipienda sunt, idest quamquam nonnullæ in aliquo sensu sustineri possent, nempè in sanum sensum utcumque flecti; tamen in rigore & proprio sensu quem verba præ se ferunt, & in quo ab Auctoribus asseruntur, damnamus abolemus &c.

VII. Mortuus est Bajus circa annum 1590., cùmque anno 1513. natus fuerit, fit eum in senectute ætatis scilicet 77. è vivis decessisse. Errores tamen cum eo non decesserunt. Nam periculosiores seculo decimo septimo, novos addens, reviviscere fecit Cornelius Jansenius Yprensis Episcopus, eosque in Opere inscripto *Augustinus* velut S. Augustini doctrinam venditans multos incautos decepit, & adhuc decipit, non sinè magna Ecclesiæ Catholicæ turbatione. Sed de hoc infra sermo erit.



CAPUT XVII.

De Postello, & Spinosa.

§. I.

Postelli errores.

I. GUILLELMUS Postellus Barentoni Normanniæ vico natus fuit. Philosophiæ primùm deindè Matheseos studio vacavit, postea longissimis peregrinationibus perfectissimam linguarum exoticarum, & præcipuè Orientalium cognitionem adeptus, in plures errores incidit. Ei nonnulli tribuunt fanaticam & blasphemam opinionem de feminei sexus reparatione nondum consummata, & per *Matrem Joannam Virginem Venetam* adimplenda, quam & edito libro, cui titulus erat, *Virgo Veneta*, propugnaverit. Ipsum tamen ab hoc errore ac delirio vindicat Floremundus Remundus L. 2. de Origine Hæreseos c. 15. dum ipsum hunc Librum scripsisse tradit, non quòd ita sentiret, sed ut Joannæ suæ insignis benefactricis, à qua subsidia ad longinquas peregrinationes acceperat, nomen specialibus laudibus celebraret.

II. Venetiis Romam digressus, cùm non exigua pietatis documenta præberet, ad tyrocinium Societatis Jesu à S. Ignatio admissus est, sed non multò post ob ingenii petulantiam dimissus. Subindè variis de erroribus accusatus, ab Inquisitore Fidei perpetuo carcere damnatus est: ex quo tamen elapsus in Gallias rediit, ubi maximo in pretio à Carolo IX. Rege Christianissimo habitus est, & ab omni Eruditorum hominum natione, maximè ob multiplicem linguarum notitiam. Ibi multa scripsit deliriis & erroribus inspersa, nimirùm de Trinitate, Mundi Corporis & Animarum: De Christo intoxicato: De Matrice Mundi: De salvandis universis generis humani Sectis: De clave absconditorum à seculo, quæ nec Apostoli, nec ipsa Ecclesia portare potuisset: De mysteriis sibi per Angelum Raziel revelatis: De nativitate Mediatoris futura, & alia ejusdem furfuris.

III. Propter hæc à Theologis Parisiensibus sæpiùs reprehensus, & à Magistratu increpitus, nec resipiscens, demum in Monasterium S. Martini à Campis secedere jussus, ibi abdicatis erroribus; & omnibus, quæ unquam docuerat vel scripserat, Ecclesiæ judicio & correctioni submissis; per annos aliquot piè vixit, obiitque die

die 7. Septembris anno 1581. penè centenarius, prosperâ semper ad hanc usque ætatem valetudine usus, ad quam se pervenisse ajebat, quòd nullo unquam actu venereo se fœdasset. Librum utilem edidit *De Orbis concordia* inscriptum, quo Ethnici, Mahometani, Judæi, ac Hæretici omnes refelluntur, ac Religionis Christianæ & Catholicæ veritas adversùs illos vindicatur. Hæc ex Alexandre in Hist. Sec. 15. & 16. cap. 2. art. 15. excerpta sunt.

§. II.

Spinosæ errores.

I. Benedictus Spinosa à nativitate Judæus, postea nomine saltem Christianus, tandem professione Atheus, Amstelodami parentibus Judæis natus fuit anno 1632. Homo erat mediocris staturæ, faciei proportionatæ, subnigri coloris. Nec valdè melanconicus, nec valdè hilaris, nullâ se passione agi demonstrabat. Parentes ejus ex Judæis erant, qui ex Portugallia pulsi in Hollandiam confugerant. Mercatores erant non valdè divites, amicorum tamen ope Spinosa commodè vivebat. Apud quemdam medicum nomine Franciscum Van-den-ende linguarum Latinæ & Germanicæ studio operam dedit, qui cùm haberet filiam in eis valdè instructam, ab ista loco patris Spinosa persæpè erudiebatur. Contigit, ut medicus iste specie suæ artis in Galliam transiret, eo tempore quo inter Galliæ Regem & Hollandos bellum fervebat. Sed detectus, quòd apud Normannos pro Hollandis contra Regem conspirationes sereret, traditus Commissariis, & convictus, in patibulo ignominiosè vitam finivit. Ab isto prima Atheismi semina Spinosam accepisse, fama est.

II. Adhuc adolescens Theologiæ Judæorum aliquot annis Spinosa operam dedit, sed videns, Rabbinos solis inniti chimæris, tædio affectus tale studium abjecit, & Judæorum religione contemtâ, totum se Philosophiæ studio mancipavit. Ob spretum, quo de Judaismo loquebatur, scandalo commota Synagoga nihil omisit, quò eum ad se revocaret, oblatâ quoquè ei pensione, quam ille recusavit. Ut suæ Nationis honorem vindicaret Judæus quidam, ipsum dum è Theatro noctu exiret, proditoriè aggressus pugione transfigere tentavit, irrito tamen conatu; nam ictus vestes quidem penetravit, sed pellem vix tetigit. Ab eo tempore à Judæis prorsùs secessit, à quibus excommunicatus Apologiam Hispano idiomate conscripsit (quæ tamen non extat) sui secessus à Judaismo rationem reddens.

III. Tunc

III. Tunc Philosophiæ, seu veriùs Atheismi, cujus semina ante conceperat, studio totum se dedit: cui Systema Cartesii valdè opportunum judicans, ex hoc sua principia statuit, quæ in Libello anno 1564. edito Geometricè demonstrare conatus est; & anno sequenti alio Libello de Juribus Ecclesiasticorum, ostendere conatus fuit, eos aliam Religionem docere non debere, quàm illam, cui Magistratus adhærent, in hoc Thomam Hobbes in suo *Leviathan* secutus. Ut autem suis studiis liberiùs vacaret, Mundo quasi renuntians, relicto Amstelodamo, ruri se recepit. Cùmque adhuc Judæus artem conficiendi crystalla ad Microscopia & alia ad videndum instrumenta perfectè didicisset, ac insuper imagines calamo perpolitè delinearet, successivis post studium horis ad hæc divertebat, quibus amicis suis, quorum mensæ, sobrius tamen semper, assidebat, ne illis oneri esset, ex parte compensabat.

IV. Dum in hac velut solitudine moraretur, Librum evomuisse creditur, cui titulus *Tractatus Theologico-Politicus*, Amstelodami vel Amburgi impressum anno 1670. in quo veri Atheismi semina jecit. In eo enim magnificis quidem nominibus de Deo loquitur, vocans eum Æternum, Infinitum, Creatorem omnium; re verâ tamen Deum negat, & Divinitatem tollit. Contendit enim, Mundum purum esse effectum naturæ, quæ illum ab æterno, & necessariò produxit. Hunc quem Deum vocamus, nil aliud esse, quàm hujus naturæ virtutem in omnes creaturas diffusam: supponit quippè in omnium rerum natura unam solam substantiam esse, & hanc attributis infinitis præditam, & præcipuè extensione ac mente. Hoc supposito contendit, omnia corpora, quæ in universo sunt, hujus substantiæ, quatenus illa cogitat, modificationes esse: Ita ut Deus, ens necessarium, infinitè perfectum, sit quidem causa omnium quæ existant, sed ab ipsis rebus non sit diversum. Igitur juxta hanc insanissimam hypothesim unum est ens, una natura sola, & hæc actione immanenti producit in se ipsa quidquid vocamus creaturam. Ita ut idem Creator sit & creatura, idem Agens & Patiens, causa efficiens & subjectum, & quidquid producit ejus modificatio sit. Monstruosa sanè doctrina, & hactenus fortè inaudita.

V. Hæc aliaque de Spinosa Jo. Baptista Pacichellus Epist. Famil. Tom. 1. pag. 226. scribit: *Spinosa auctor est Tractatus Theologico-Politici, qui Hamburgi anno 1670. in lucem prodiit. Parentibus Judæis natus est, quorum Religionem nunquam ejuravit, nec Christianis Sacris hactenus initiatus est. Plurimæ memorantur hujus viri de Religione sententiæ. In Tractatu prædicto omnium Religionum, sed præcipuè Judaicæ & Christianæ, eversionem sibi proposuisse vi-*

videtur, ut Atheismo & Libertinismo aditus pateat: Religiones omnes inventas esse asserit propter bonum quod Reipublicæ evenit, cùm plurimum conferat, ut Cives inter se pacem colant, & Magistratibus obediant: Neque admittit, ob speciem præmii aut metum pœnarum in altera vita, homines virtutem amplecti, sed potiùs propter ipsius virtutis præstantiam, & commoda, quæ in hac vita ab ejus cultoribus excerpuntur. Qualem de Deo opinionem foveat, non satis apertè prodit. Videtur tamen innuere, Deum sibi non videri ens summè perfectum intelligentiâ præditum, & felicissimum qualem homines vulgò sibi suadent. Sed solam illam virtutem singulis rebus inditam, & per omnia diffusam, unicum esse Numen. Hagæ Comitis, ubi aliquandò hæsit, crebrò invisebatur ab omnibus novitatum paulò amantioribus, etiam à puellis melioris notæ, quæ sibi de ingenio blandiebantur, & supra sui sexus sortem sapere cupiebant. In Hollandia, ubi maximè serpit hæc pestis, Spinositæ non se audent in publicum proferre, nec rotundè animi sensus expromere, Magistratuum decretis coerciti. Multas novas & inauditas sententias, quaque à communibus hominum opinionibus abhorrent, in lucem prodidit Spinosa. Quas inter vel illa mirabilis est, quòd de Prophetiæ dono vulgavit, quod vi imaginativæ fortiori attribuit. Verbo ut absolvam, totus in eo est, ut Religionem ad normam suæ Philosophiæ, quæ in multis errat, effingat. Hæc de Spinosa Pacichellus.

VI. Præfatus Liber Tractatus Theologico-Politicus in varias linguas sub diversis tamen titulis translatus fuit, ab opposito autem à pluribus nedum Catholicis, sed & Protestantibus confutatus. Hollandiæ Status publico Edicto illum damnarunt, & ne venderetur vetuerunt. Tandem Hagæ Comitis die 23. Februarii anni 1677. Spinosa nec Judæus, nec unquam Christianus, diem clausit extremum. De qualitate mortis dicunt aliqui, quòd cùm ethico morbo laboraret, sentiens se jam moriturum, mandavit ne ullus ex Ministris ad se adduceretur, ne fortè evulgaretur eum timore mortis, & conscientia extimulante, alienis adhortationibus permotum sententiam retractasse, & in suo Atheismo non perseverasse. Alii, & fortè veriùs, volunt, quòd cùm domestici Dominicâ die post prandium ad Ecclesiam convenissent, domum reversi eum mortuum invenerint.



CA-

CAPUT CXVIII.

De Jansenistis.

§. I.

Jansenii Persona.

I. DUo sub Cornelii Jansenii nomine in Belgio eodem ferè tempore fuere, ac uterque Lovaniensis Academiæ Doctor & Professor. Unus Hulsti natus anno 1510. qui post emensa linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ studia, tanquam ad perfectam Sacræ Scripturæ, cui vacare cupiebat, intelligentiam necessaria, post Theologiæ cursum expletum, quam per duodennium Monachos Præmonstratenses docuit, quo tempore composuit celebre Opus Concordiæ Evangelicæ cum Commentariis, quæ præfatis Monachis pro lectione dicebat. Indè Lovanium reversus, & doctoratu laureatus S. Jacobi Decanatu potitus fuit. Ejus famâ permotus Philippus II. Hispaniarum Rex ad Concilium Tridentinum misit, quo in munere, ut dixi, socium habuit Bajum, ac indè reversum ad Episcopatum Gandavensem idem Philippus nominavit anno 1568. Quo in munere cùm per octo annos eam Ecclesiam dignè administrasset, tandem anno 1576. 11. Aprilis ætatis anno 66. mortuus est, relictis præter laudatum Concordiæ Evangelicæ Opus, aliis super Vetus Testamentum præclaris monumentis.

II. Alter Jansenius (de quo hic loquuturus sum) natus est anno 1585. Leerdami modico Bataviæ Oppido, parentibus cum tota familia pro fide Catholica ferventissimis. Ultrajecti puerilibus & humanioribus literis eruditus, Philosophiæ deindè Lovanii in Pædagogio Falconis operam dedit, & anno 1604. Licentiatus Artium primus inter quatuor renuntiatus fuit. Mox Theologiæ studio vacaturus, in Collegium Adriani VI. Pont. Maximi à moderatore ejus, Jacobo Jansonio viro pietate & doctrinâ illustri adscitus est. Post acre & assiduum aliquot annorum studium, in tabis & vitæ periculum incidit, unde medicorum consilio solum & aerem mutare, & in Galliam peregrinari constituit. Lutetiæ manens cum Joanne Vergerio nomine Abbatis *de S. Cyran* notissimo, familiaritatem iniit, qui eum in domo cujusdam Regii Consiliarii sub munere magistri filiorum ejus collocavit. Post aliquod tempus Bojanam se transtulit, quò ejus amicus beneficus se receperat, ibi-

ibique studio præcipuè SS. Patrum diuturno tempore unitim se dederunt.

III. Postea Jansenius Lovanium reversus, ibi Doctoratu in Theologia insignitus, & Professorum Ordinariorum numero aggregatus fuit anno 1617. Hoc in munere tantam apud omnes existimationem adeptus fuit, ut Universitas ipsa semel atque iterum ob negotia gravis momenti eum in Hispaniam delegarit, ubi Academicas difficultates ex adversariorum manibus feliciter extricavit. Lovanium regressus anno 1630. Professor Sacræ Scripturæ declaratus fuit, ac celebrem Librum adversùs Galliæ Regem pro Hispanis composuit, cui titulus *Mars Gallicus*. Propter hæc & alia ad Episcopatum Yprensem à Rege Hispaniæ nominatus & promotus fuit. Non diù tamen dictam Ecclesiam administravit. Nam vix biennio expleto, pestilentiali ac lethali morbo correptus, præmissis Christianæ pietatis ac pœnitentiæ signis vitam finivit 6. Maji 1638.

IV. Inter alia, quæ moriturus reliquit, fuit Testamentum, quod vix mediâ horâ ante mortem dictavit, in quo expressè suam Sanctæ Sedi obedientiam, & submissionem in omnibus quæ scripserat, præsertim in Opere quod inscripserat *Augustinus* profitetur. Hujus copia eidem Operi præfixa legitur his verbis:

Ego Cornelius Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Yprensis de meâ liberâ voluntate do & dono omnia mea scripta ad explicationem Sancti Augustini spectantia Capellano meo Reginaldo Lamæo, partìm quia magno labore ea scripsit vel dictavit, partìm quia sinè originali copia corrigi non potest. Hâc tamen mente hanc donationem facio, ut cum doctissimis viris Magnifico Domino Liberto Fromondo, & Reverendo Domino Henrico Caleno Canonico Mechliniensi conferat, & disponat de editione quàm fidelissimè. Sentio enim aliquid difficulter mutari posse. Si tamen Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, & illius Ecclesiæ, in qua semper vixi, usque ad hunc lectum mortis obediens sum. Ita mea postrema voluntas est. Actum sextâ Maji 1638. Infra autem scriptum erat *Ego Cornelius Episcopus Yprensis*, & appositum sigillum. Teste *Henrico Caleno*.

V. Hæc non prætereunda censui, ut Sectatores Jansenii videant, & discant, quàm longè distent à voluntate sui Magistri. Quòd si eum in obedientia Romanæ Sedi imitati fuissent, ejusque iteratis Decretis & Sanctionibus obsequi voluissent, tot dissidia in præjudicium Catholicæ veritatis & Fidei non excitassent, nec excitarent; nec ut hæretici meritò habiti essent nec haberentur Jansenistæ. Sciant etiam volo, Jansenium, pro quo adeò contumaciter pugnant, non metu mortis imminentis, sed toto vitæ suæ

tempore hanc suam Romanæ Ecclesiæ obedientiam protestatum fuisse. In Epilogo enim omnium, quæ de Gratia Christi scripserat, post Libri decimi finem ita loquitur: *Homo sum, humanorum lapsuum periculis obnoxius: quæ sicuti cavi quantùm potui, ita ignoscet Lector ubi non potui, ut & assidui laboris consideratio temeritatis labem auferat, & sinceritatis intuitus errandi simplicitati patrocinetur. Quod sicubi hallucinatus fuerim, hoc scio, me non in Catholica veritate, sed Augustini sententia asserenda cecidisse. Nec enim ego quid verum aut falsum, quid tenendum aut non tenendum in Catholicæ Ecclesiæ doctrina tradidi, sed quid Augustinus tenendum asseruerit, aut docuerit. Quòd si ejus obscuritas me fefellerit, maximi beneficii loco ducam, laborumque plurimorum compendium faciam, si quis aliud ex Augustini scriptis demonstraverit. Quod donec humiliter ac desideranter expecto, quidquid de rebus tam multiplicibus & arduis, non juxta meam, sed juxta S. Doctoris mentem pronuntiavi, ex Apostolicæ Sedis Ecclesiæque Romanæ Matris meæ judicio, sententiaque suspendo, ut illud jam nunc teneam si tenendum, revocem si revocandum, damnem & anathematizem, si damnandum & anathematizandum esse judicaverit. Nam quemadmodum illius Ecclesiæ ac Sedis mysteriis infantulus initiatus, & ejus fide cum lacte matris imbutus fui; & crevi, & adolevi, & senui, nec ab ea ad latum unguem, quod sciam, aut animo, aut facto, aut sermone deflexi: ita porrò ad extremum usque spiritum vivere, ac Deo adjuvante mori, Divinoque judicio sisti, mihi constitutum est; ut juxta sacratissimam ejus regulam, quæ à temporibus Apostolorum per successionem continuam Romanorum Pontificum per universum Orbem prædicata & credita est, referam à Dei misericordia aut justitia bonum aut malum.* Ita Jansenius animi sui in scribendo moderationem, & obedientiam Sedi Apostolicæ Romanæ usque ad mortem declarat. Quàm verò ab eo discordes ejus Sectarii fuerint & sint, infra apparebit.

§. II.

De Jansenii Scriptis Judicia, & Damnatio errorum.

I. VIx morte diem clauserat Jansenius, cùm ejus Scripto, cui titulus *Augustinus* Lovanii evulgato, hæretici, præcipuè Calvinistæ, triumphum canere cœperunt, quasi in eo eorum doctrina de Gratia & Libero arbitrio contineretur, & Jansenii Sequaces in ejus defensionem multa scribere aggressi sunt. Quæ cùm ad Urbanum VIII. Romanum Pontificem delata fuissent, pro sui muneris zelo Librum examini tradidit: cùmque in eo multæ Proposi-

positiones censurâ notatæ fuissent, jam à Pio V. in Bajo damnatæ, & insuper magis periculosæ in materia Gratiæ; Urbanus ne errores ulteriùs procederent, editâ Bullâ, quæ incipit *In eminenti* 4. Maji anno 1641. Librum, & alios in ejus defensionem editos damnavit.

II. Urbani VIII. Diploma Bonis pharmacum fuit salutis, Malis verò erroris incitamentum. Jansenii Sectarii evulgare cœperunt, præfatum Diploma falsum, apocryphum & subreptitium esse ac Jesuitarum fœtum; qui ut sui Molinæ doctrinam sartam tectam tuerentur, arte & fraudibus mentem Summi Pontificis & calamum circumvenerant, ideòque nullius esse roboris, donec maturiori & saniori judicio causa finiretur. At Urbanus omne subterfugium præcludere volens, sub die 24. Octobris 1643. fortes Literas dedit ad Belgii Gubernatorem, ad Archiepiscopos Mechlinensem, Cameracensem, ad Episcopum Antuerpiensem, & ad duas Lovanii & Duaci Universitates; declarans, se in dicta Constitutione Librum Jansenii *Augustinus*, tanquam errores jam damnatos verè continentem damnasse, ac velle ut contumaces, qui illam apocrypham esse spargebant, ad obedientiam omninò compellerentur. Cùmque eodem anno Romam adventassent Joannes Sinnichius & Cornelius Pape Lovanii Doctores, ac peterent, ut Constitutio, vel revocaretur, vel saltem mitigaretur, rejecti fuerunt: ac ut id notum fieret Internuntio, de omnimoda quam volebat præfatæ Constitutionis obedientia, per S. Congregationem Inquisitionis jussit Pontifex ad eum transmitti Formulam, cui omnes Lovanienses Doctores statim subscribere tenerentur, cui omnes summâ Universitatis laude subscripserunt. In fide tamen data saltem omnes non permansere.

III. Nam cùm Parisiensis Academia anno 1644. videns, quàm proximè Baji & Jansenii dogmata accederent ad errores Calvini, quibus tot annis Gallia discissa fuerat, severo Decreto omnibus Doctoribus & Bacalaureis prohibuisset, ne quisquam tenere ac docere auderet Propositiones in Bullis Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. damnatas, simulque affirmasset aliquas Baji Propositiones in Jansenii Libro *Augustinus* contineri: hâc Declaratione auditâ, Lovanienses, Formularii paulò ante à se subscripti fortè obliti, ad Universitatem Parisiensem transmiserunt acres querelas, quas exponit Berninus Tom. 4. Hist. Hæres. Sec. 17. cap. 3. pag. 620. Harum tamen nullam rationem habens Universitas Parisiensis, sed Pontificiis Constitutionibus, ut par erat, obsequens, ad Formalem septem Propositionum censuram processit, quarum quinque eædem sunt ac illæ, quas, ut infra, Innocentius X. damnavit. Aliæ duæ, quamvis in alia materia, sequentes sunt: *Sensit*

olim Ecclesia, privatam Sacramentalem Pœnitentiam pro peccatis occultis non sufficere. Et altera: *Naturalis attritio sufficit ad Sacramentum Pœnitentiæ*.

IV. Dum, his non obstantibus, Ecclesia dissidiis undique affligaretur, & Jansenistæ velut ex equo Trojano milites in dies majori numero prodirent, obiit 29. Julii 1644. Urbanus VIII., cui successit in Pontificatu Innocentius X. Hic Prædecessoris fortiter premens vestigia, rejectis precibus pro revocatione vel saltem novo examine Bullæ Urbani; pro omnimoda executione constans perstitit. Quia verò Jansenistarum factio in Belgio maximè fervebat, illuc ad diversos duodecim Brevia direxit, præcipuè ad Universitates Lovaniensem, & Parisiensem, quibus confirmabat, doctrinam damnatam verè in Libro Jansenii contineri, ideòque omnes teneri ad ea quæ in Bulla præscribebantur observanda. Ex hac geminata duorum Pontificum declaratione, quot Diabolus excitârit contentiones præsertim in Belgio & Gallia, vix exprimi potest, aliis pro Libri Jansenii justa damnatione, aliis pro ejus defensione certantibus. Multi Religiosi Ordines impositis pœnis ne Jansenii Libri defensionem è suis quisquam susciperet, præceperunt. Pari zelo Episcopi Antuerpiensis, Nemurcensis, & Archiepiscopi Suessionensis, & multò ante Parisiensis, quibus accessit Bisuntinus, publicatis Edictis idem præstitere.

V. Universitas Duacensis, quam pro se stare Jansenistæ dictitabant, Epistolâ ad Archiducem Leopoldum datâ 27. Julii 1648. calumniam depulit his verbis: *Hic protestati sumus, & obtestamur iterum iterumque, nos semper præstitisse obedientiam erga Sanctam Sedem Petri, imò semper doctrinam Jansenii proscriptam voluisse... Censuimus communibus suffragiis humillimè Celsitudinem tuam rogandam, ut pergat doctrinam illam Jansenianam seriò extirpare, in qua nequaquam docetur B. Augustini mens: & cùm hoc malum in pejus ita serpat, verendum magis est, ne petulantia ingenia incautos & minùs versatos in S. Augustini voluminibus hâc perniciosâ doctrinâ imbuant*. Quibus Archidux respondit: *Intelleximus nostro singulari gaudio ac voluptate, quantâ fortitudine animi, quantoque bonore nominis vestri steteritis contra perniciosam doctrinam Jansenii, sub pallio & nomine D. Augustini, veluti sub melle venenum simplicioribus atque incautis propinatum*.

VI. Universitas pariter Salmanticensis eisdem à Jansenistis calumniis onerata, quòd nimirùm pro Jansenio secum concorditer sentiret, promtum perennis suæ erga Sedem Petri obedientiæ dedit testimonium, duabus protestationibus ad Julium Rospiliosi eo in Regno Apostolicum Nuntium, quarum una à Secretario Scho-

la-

larum Universitatis subscripta erat 25. Febr. 1651., altera à præcipuis Universitatis Doctoribus & Magistris sub die 26. ejusdem mensis & anni, quibus æquè Jansenismum execrabantur & strictè ejus damnationem approbabant. Igitur Philippus IV. Rex Catholicus, tum Duacensis (de qua supra) tum Salmanticensis Universitatum, tum omnium sui Regni Ecclesiasticorum instantiis permotus; constito etiam sibi, majorem & saniorem Episcoporum Galliæ partem unà cum Parisiensi Facultate in eadem sententia pro damnatione Libri Jansenii *Augustinus* convenire, rejectis quorumdam ex Belgio supplicationibus pro impedienda vel differenda Bullæ publicatione, Regio Edicto sub die 26. Junii 1644. publicationem & exactam obedientiam Bullæ sub pœnis contra contumaces in ea impositis, in omnibus Regnorum suorum partibus, mandavit.

VII. Hoc jam ferè totius Ecclesiæ consensu pro observantia Bullæ, & Jansenii Libri *Augustinus* damnatione, nihil territi, sed audaciores facti ejus Defensores, ipsum Bullæ Auctorem, ejusque doctrinam proscindere temerario ausu cœperunt, artificiosis verborum involucris spargentes, *Propositiones Jansenii damnatas in se Sanctas & Catholicas esse*. Rebelles isti in Galliis augebantur numero & potentiâ, nec adeò facilè erat eos comprimere, cùm multos etiam ex Magistratu seu Parlamento patronos haberent. Hinc factum fuit, ut brevì tota Gallia libellis in Jansenii Libri defensionem repleretur, inter quos perniciosior ille fuit inscriptus *Catechismus Gratiæ*, in quo compendiosè claudebantur errores omnes, quos Jansenistæ per Orbem Christianum evulgare meditabantur. Qui Liber Romæ à S. Officii Congregatione severo Edicto anathematizatus fuit anno 1650.

VIII. Hisce malis in dies crescentibus, zelo excitata major & sanior Episcoporum Galliæ pars, in Comitiis habitis mense Maji anni 1650., videns se absque fortiori remedio huic plagæ mederi non posse, decrevit ad Romanum Pontificem literas dare, ut ipse auctoritate supremâ effrænatos homines compesceret. Harum exemplum ex Labbè Tom. 15. fol. 2723. tale est: *Beatissime Pater. Majores causas ad Sedem Apostolicam referre, solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat. Æquissimæ huic legi obsequentes, de gravissimo circa Religionem negotio Sanctitati tuæ scribendum esse censuimus. Decennium est, ex quo vehementissimis turbis Gallia magno nostro mœrore commovetur ob Librum posthumum & doctrinam R. Cornelii Jansenii Yprensis Episcopi. Tales quidem motus sedari oportebat, tum Concilii Tridentini auctoritate, tum Bullæ illius, quá Urbanus VIII, fel.*

fel. mem. adversùs Jansenii dogmata pronuntiavit, & Decreta Pii V. ac Gregorii XIII. in Bajum edita confirmavit. Atque hujus quidem Bullæ veritatem ac robur novo Diplomate vindicasti; sed quia nulli sigillatim Propositioni certa censuræ nota injusta fuit, locus etiamnum aliquis quorumdam cavillis & effugio relictus est. Intercludendum autem penitùs speramus, si, ut precamur, Sanctitas tua, quid hac in re sentiendum sit, clarè, distinctèque definiat. Obtestamur ergo, ut has præsertim Propositiones, de quibus disputatio periculosior, ac contentio ardentior est, Sanctitas tua expendat, ac perspicuam ac certam de unaquaque sententiam ferat. Deindè expositis quinque Jansenii Propositionibus, super quibus sententiam Pontificis exoptabant (quas §. sequenti referam) subjiciunt.

Experta est nuper, Beatitudo tua, quantum Apostolicæ Sedis in gemini Ecclesiæ Capitis errore profligando (qui ponebat S. Paulum æqualem S. Petro in Romano Pontificatu, de quo aliqua infra dicam) *valuerit auctoritas; continuò sedata est tempestas, atque ad Christi Crucem & imperium venti & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus, Beatissime Pater, ut clarâ firmâque de Propositionum istarum sensu prolatâ sententiâ, cui R. ipse Jansenius morti proximus Opus suum subjecit, caliginem omnem discutias* &c. Huic Epistolæ 85. Episcopi, quibus alii tres accessere, subscripserunt.

§. III.

Innocentii X. sententia.

I. ACceptâ Episcoporum Galliæ Epistolâ Innocentius Pontifex rei gravitatem considerans, maturo ac diligenti examini selectiorum tum Cardinalium, tum Theologorum, plus quàm per biennium præfatas quinque Propositiones tradidit. Jansenistæ de hoc Episcoporum Galliæ ad Papam pro sententia definitiva recursu, ac de rigoroso indicto super quinque Propositionibus examine certiores facti, voce tenùs ubique protestabantur, se judicium Sanctæ Sedis lubenter expectare: ne tamen inauditi judicarentur, sollicitè inter alios M. de S. Amore literis plurium Galliæ Episcoporum munitum Romam miserunt. Qui adeò benignè ac patienter, vel ab ipso Summo Pontifice auditi fuere, ut causæ victoriam reportaturos sibi adularentur.

II. Completo examine, & auditis partibus, Pontifex definitivam sententiam super 5. Propositionibus tandem tulit, editâ Constitutione 31. Maji anni 1653. quam de more promulgari ad valvas S. Petri 9. Junii & aliis in locis affigi & publicari mandavit. Ejus ini-

initium tale eſt : *Cùm occaſione impreſſionis Libri, cui titulus*, Auguſtinus Cornelii Janſenii Epiſcopi Yprenſis, *inter alias ejus opiniones, orta fuerit præſertim in Gallia, controverſia ſuper quinque ex illis, quamplures Galliarum Epiſcopi apud nos inſtiterunt, ut easdem Propoſitiones nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam ac perſpicuam ferremus ſententiam*. Deindè ſingulas quinque Propoſitiones refert, de maturo ſuper eis facto examine, & auxilio Dei per publicas preces ſæpius implorato docet. Tandem ſententiam ſuper ſingulis §.4. pronuntiat dicens.

Primam prædictarum Propoſitionum „ Aliqua Dei præcepta Hominibus Juſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia ; deeſt quoque illis Gratia quâ poſſibilia fiant „ *temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*.

Secundam „ Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur „ *Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*.

Quartam „ Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei ; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare „ *Falſam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*.

Quintam „ Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe „ *Falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit : Impiam, blaſphemam, contumelioſam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*.

His pronuntiatis cenſuris, mandat *omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, ne de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quàm in hac præſenti declaratione & definitione continetur, ſub cenſuris & pœnis contra Hæreticos & eorum fautores in Jure expreſſis*. Præcipit inſuper omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Locorum Ordinariis & Inquiſitoribus, *ut contradictores & rebelles quoſcumque per cenſuras & pœnas prædictas, cæteraque juris & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachio ſeculari, omninò coerceant, & compellant*.

Tandem concludit : *Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem ſuper prædictis quinque Propoſitionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones quæ continentur in prædicto Libro Cornelii Janſenii. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo tertio prid. Kal. Junii Pontificatus noſtri anno nono*.

III. Præ-

III. Præfatam Constitutionem illicò transmisit in Galliam Innocentius unà cum literis in forma Brevis, tum ad Ludovicum Regem Christianissimum, tum ad Episcopos, & Ecclesiasticos omnes Galliarum Regni. Ab omnibus cum gaudio, ac debita reverentia & submissione Constitutio suscepta est: ac è sepulchro Jansenii, Pontificis jussu erasum est Epitaphium, quo Liber *Augustinus* ei ad meritum computabatur. Rex humillimè gratiis actis Pontifici, die 4. Julii 1653. Edictum promulgavit pro omnimoda præfatæ Constitutioni obedientia: eodemque tempore ad Universitatem Parisiensem Rescriptum misit speciale, quo ei indicebat, ut in hoc negotio voluntati Pontificis ac suæ se conformaret. Præsentatum ab Episcopo Rhedonensi 1. Augusti 1653. unà cum Constitutione Rescriptum summâ reverentiâ utrumque susceptum, & illicò registratum fuit. Quin selecti viginti Doctores, qui nomine Universitatis Majestati suæ super honore distinctè impartito gratias agerent. Constitutio ab omnibus Regularium & Regni Universitatibus promtè suscepta fuit. Gallorum exemplum secuti fuere Hispani & Belgæ in Synodo Brabantiæ, & suis Universitatibus.

IV. Galliæ Episcopi in suæ venerationis testimonium literas ad Pontificem manu Cardinalis Mazarini & 30. Episcoporum, qui tunc Parisiis aderant, subscriptas dederunt 15. Julii 1653. In his literis præmissis gratiarum actionibus de Decreto ad ipsorum postulationem in præfata Constitutione contra Jansenium lato, addunt: *Quo in negotio illud observatione dignum accidit, ut quemadmodum ad Episcoporum Africæ relationem Innocentius I. Pelagianam hæresim damnavit olim: sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem hæresim ex adverso Pelagianæ oppositam Innocentius X. auctoritate suâ proscripserit. Enim verò vetustæ illius ætatis Ecclesia Catholica solâ Cathedræ Petri communione & auctoritate fulta, quæ in Decretali Epistola Innocentii ad Africanos data elucebat, quamque dein Zosimi altera ad universos Orbis Episcopos Epistola subsecuta est. Perspectum enim habebat, non solùm ex Christi Domini nostri pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismis adversùs Apollinarium & Macedonium, nondum ab ulla Synodo Œcumenica damnatos, à Damaso paulò antea jactis, judicia pro sancienda regula fidei à Summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione (sivè suam in actis Relationis sententiam ponant, sivè omittant, prout illis collibuerit) Divinâ æquè ac summâ per universam Ecclesiam auctoritate niti: cui Christiani omnes ex officio ipsius quoquè mentis obsequium præstare teneantur.*

Eâ nos quoquè sententiâ ac fide imbuti, Romanæ Ecclesiæ præsen-

sentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget, auctoritatem debitâ observantiâ colentes, Constitutionem Divini Numinis instinctu à Beatitudine vestra conditam, nobisque traditam ab Illustris. Athenarum Archiepiscopo Nuncio Apostolico, & promulgandam curabimus in Ecclesiis ac Diœcesibus nostris, & illius executionem apud fideles populos urgebimus. Et post multa Epistolam claudunt: *Porrò nos Innocentio X., cujus ore Petrus locutus est, ut Leoni I. acclamabat quarta Synodus, hanc Divinam lauream gratulati, sacros inter Ecclesiæ fastos, quod olim de Synodis Œcumenicis fieri solitum, Constitutionem istam ab eo editam, lubentes ex animo reponemus.* Ita à medio seculo decimoseptimo Galliarum Episcopi cum antiqua Ecclesia sentiebant, nempè Judicio Romani Pontificis tanquam ultimo, & à Divino Numine inspirato standum esse, non ab eo ad Concilium appellationem esse interponendam.

V. Hâc Innocentii Constitutione causa Jansenii finita quidem fuit, error tamen finitus non fuit. Imò dicere possumus quod de Pelagiana hæresi scribit S. Augustinus Serm. 131. (allàs 2. de Verb. Apost.) cap. 10. *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: indè etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error.* Constitutionem, quam totus Orbis Catholicus summo plausu susceperat, soli Jansenistæ subterfugiis & cavillis eludere cœperunt. Dicebant primò: Quinque illas Propositiones damnatas in Libro Jansenii non contineri. At hoc esse commentum, ostendi Tomo 3. in 1. p. Tract. de Voluntate Dei q. 2. Dub. 2. §. 2. ubi adduxi loca in quibus Jansenius eas expressè docet. Deindè si non sunt Jansenii, cur in iis defendendis tanquam Jansenii, & ut Catholicas eas defenderent, coràm Innocentio biennio laborarunt; cùm uno verbo negare potuissent, eas esse Jansenii?

VI. Quare videntes, hoc confugio se tueri non posse, dicebant secundò: Quòd si præfatæ Propositiones in Jansenio reperiuntur, damnatæ non fuerunt in sensu Auctoris. Jansenius enim non aliam Gratiæ per se ipsam efficaci vim tribuere intendit, nisi eam quam S. Thomæ Discipuli cum suo Magistro eidem tribuunt. Ideòque illarum quinque Propositionum damnatio damnat S. Thomæ & ejus Scholæ de Gratia per se efficaci doctrinam, & in throno collocat Molinæ solius de Gratia sententiam. Sed quantum à doctrina Jansenii hac in re differat doctrina Thomistarum, ferè ad oculum demonstravi loco nuper citato §. 3. & 4. quæ hic repetere non vacat. Hoc solùm dicam, quòd Romani Pontifices qui Jansenii doctrinam, ut doctrinæ S. Augustini in materia de Gratia contrariam tanquam hæreticam damnarunt, & damnant, doctrinam Scholæ S. Thomæ ut S. Augustini doctrinæ in præfata materia conformem

& Catholicam probarunt, & probant. De quo modernus Pontifex Clemens XII. suos Prædecessores secutus in suo Brevi dato Romæ 2. Octob. 1733. amplum facit testimonium.

VII. In sui patrocinium addebant Jansenistæ, hic agi *de re facti*, an scilicet Propositiones illæ damnatæ sint in sensu ab Auctore intento: in hoc autem Romanum Pontificem non esse adeò infallibilem, quin de ejus definitione dubitari prudenter possit; sed ad summum reverenti silentio obediendum, servatâ libertate aliter interiùs sentiendi; sed hoc ad rem præsentem non facit. Nam estò Romanus Pontifex ut persona particularis in causa puri facti deficere in judicando possit: dum tamen ut Pontifex, & ex Cathedra Petri loquitur toti Ecclesiæ,& pronunciat factum cum Jure ac Fide conjunctum, Divino Numine juxta Christi promissum inspirante loquitur, errare non potest, aliàs totam Ecclesiam traheret in errorem. Cùm ergo hoc modo locutus fuerit Innocentius in sua Constitutione, ut in prælaudata Epistola Gallicani Præsules testantur, non silentio tantùm, sed mente & corde ei est obediendum. De hoc fusè locutus sum Tomo 1. in 1. p. de Locis Theologicis Dub.6.

VIII. Silentium quod promiserant, editis libellis ipsi primi fregerunt, ac præcipuè M. Arnaldus Doctor Sorbonicus, qui consultus super quodam Confessario Parœciæ S. Sulpitii anno 1655. qui absolutionem Sacramentalem denegaverat cuidam Duci, eò quòd cum Jansenistis sentiret, anonymam Epistolam scripsit, ac typis edidit,quâ protestabatur,se suosque amicos quinque Propositiones, quocumque in Libro reperirentur, sincero corde damnare. Ut autem Auctor Epistolæ (qui putabatur ipse Arnaldus) se proderet, in defensionem præfati Confessarii multa scripta edita fuere, quibus Epistolæ Auctor provocabatur ad exprimendum, quid de Constitutione sentiret: an scilicet quinque Propositiones in sensu Jansenii, & ut ex ejus scripto extractas, juxta Episcoporum declarationem, damnaret. Tunc depositâ larvâ apertè prodiit Arnaldus prolixiori Epistolâ, quâ de materia Gratiæ, nedum contra Constitutionem,sed contra fidem Catholicam & FacultatisDecreta loquebatur. Denuntiatâ igitur præfatâ Epistola à Syndico Facultati, & serio examini subjectâ, decretum fuit, doctrinam in ea contentam, temerariam, impiam, blasphemam esse & hæreticam; ac subindè nihil omissum, ut Arnaldus eam retractaret. Tandem cùm ille pertinacior Acta à Facultate edita tanquam nulla contemneret, è Doctorum Facultatis numero 27. Januarii deletus est unà cum ejus fautoribus, qui in pertinacia persistere maluerunt.

IX. In-

IX. Innocentio X. circa hæc tempora defuncto, Alexander VII. qui ei in Pontificatu successit, celerem manum apposuit, ut tumultus, quibus in dies Gallia dissecabatur, compesceret. De his Episcopi Galliæ 2. Sept. 1656. eum certiorem fecere Epistolâ, cui 70. ex primo & secundo Clero subscripsere. Respondit Bullâ 16. Octobris datâ. In ea Jansenii fautores publicæ pacis perturbatores, & filios iniquitatis declarat; quidquid illi obstrepant, verum esse, quòd quinque illæ Propositiones è Libro Jansenii extractæ sunt, & in sensu ab Auctore intento damnatæ. Cùmque, Archiepiscopo Parisiensi absente, ejus Vicarii lato Decreto promulgassent, nullam esse obligationem credendi, præfatas Propositiones verè esse Jansenii; Pontifex à Facultate certior factus, ad prædictos Vicarios graviter scripsit, qui ad se reversi, Decretum priùs editum novo Decreto revocaverunt.

X. Videntes autem Galliæ Episcopi, ad reuniendos Catholicos & tutò detegendos Jansenistas, nullum aptius remedium fore, quàm (ut in similibus casibus aliis temporibus factum fuit) Formularium fidei edere, cui omnes subscribere generaliter tenerentur: & hoc majoris vis & auctoritatis futurum, si à Summo Pontifice, quàm si ab ipsis, editum præscriberetur: illud etiam petente Rege, ab Alexandro VII. postularunt. Lubens annuit Pontifex, ac Bullâ 15. Kal. Martii 1664. latâ, post præmissam debitam commendationem zeli, quo tam Rex, quàm Episcopi pro fide movebantur, insertum transmisit Formularium tenoris sequentis.

Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maji 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ die 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum me subjicio, & quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii Libro, cui nomen Augustinus, *excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

XI. Hâc Bullâ & Formulario in ea omnibus præscripto universa Jansenistarum factio turbata est, & maximè cùm Rex Bullam à Parlamento acceptari mandavit, quod 29. Aprilis ejusdem anni contigit. Sic junctis duabus Pontificiâ & Regiâ potestatibus sperabatur fore, ut hæresis extingueretur penitùs. Sed fefellit eventus. Omissis enim Monialibus Portus Realis, quæ Decreto Archiepiscopi Parisiensis super Formulario subscribere recusarunt, quamvis (indebitè tamen) declararet, se ab eis non exigere super quæstione facti fidem Divinam, sed humanam tantùm & Ecclesiasticam: cùm cæteri Archiepiscopi & Episcopi nullâ factâ distin-

 ctione

ctione dogmatis & facti, Formulario absolutè subscribendum suis Diœcesibus mandavissent; soli quatuor, nempè Alectanus, Bellovacensis, Andegavensis, & Apamiensis Formularium rejecerunt. Noviodunensis verò præmissâ distinctione dogmatis, & facti, illud suscepit.

XII. Rex Christianissimus hâc quatuor Episcoporum resistentiâ permotus, Mandamenta seu Decreta quæ super hoc in suis Diœcesibus promulgaverant, tanquam Pontificis intentioni, & suæ Declarationi contraria in suo Consilio Status rescidit 20. Julii ejusdem anni, quæ Romæ etiam Papæ mandato fuerunt prohibita. Contra præfatos Episcopos judicialiter procedi parabatur; sed ortâ contentione super numero Judicum, qui secundùm Galliæ jura in causis contra Episcopos requiritur, quæ triennio agitata fuit, ac interim Alexandro VII. vitâ functo, ad Clementem IX. qui ei successit, causa pertransiit; quæ plurium Mediatorum interventu pacificè terminata fuit, prædictis quatuor Episcopis Formulario se submittentibus. Unde certior factus Pontifex literis datis ad eos 19. Januarii 1669. eorum obedientiam laudavit. Moniales quoquè Portus Realis suam Constitutionibus Apostolicis obedientiam protestatæ, absolutæ fuerunt à censuris, quibus ob antecedentem inobedientiam innodatæ manebant. Ita sopitum, si non extinctum, pro eo tempore fuit apertum bellum super quinque Jansenii Propositiones, quod per 25. annos Ecclesiam præcipuè Gallicanam laceravit.

XIII. Dixi bellum sopitum, non extinctum, quia subscriptio Formularii facta à quatuor Episcopis & ab Arnaldo, aliquandiù dubia mansit, quasi non sincero animo, sed cum restrictione fraudulenter facta; cui accesserunt varii Libri de doctrina suspecti, qui tunc prodierunt, qui à præfatis Episcopis, si non editi, saltem approbati videbantur. Omnem tamen suspicionem diluit Regis testimonium, plurium Ecclesiasticorum attestationes, novæ declarationes præfatorum Episcoporum, ac eorum sinceræ fidei certa experimenta, quibus omnibus pacatus Pontifex eos benignè amplexus fuit. Huic operi sedulam navarat operam Cæsar d'Estrees Episcopus Laudunensis; de cujus felici exitu ad Clementem IX. anno 1668. inter cætera hæc scribit: *Absolvi tandem magnum illud opus, Beatissime Pater. Novâ necnon sincerâ subscriptione aliis Episcopis consentiunt Illustrissimi Alectensis, Apamiensis, Andegavensis, & Bellovacensis, à quibus in subscribenda fidei formula aliquatenus recesserant. Illud in communi non solùm ad Beatitudinem vestram epistolâ, sed & in privatis ad Illustrissimum Felicem Episcopum Catalaunensem literis, disertis verbis professi sunt*: *adeòque in præstan-*

da

da & exigenda Constitutionibus Apostolicis debita observantia diligentem operam navaturos se pollicentur, ut subditos sibi Clericos omnibus pœnis canonicis mulctandos esse crediderint, qui quolibet modo, vel obtentu, seu doctrinæ Librique Jansenii occasione quâvis, vel minimùm Constitutionum auctoritati detraxisse videbuntur. Ita de sincera 4. Episcoporum resipiscentia Laudunensis Episcopus testatur.

XIV. Siluerunt aliquo tempore Jansenistæ, erroris venenum identidem eructantes variis editis Libris qui successivè prohibiti fuere. Inter istos non modicum attulit negotium Libellus quidam, qui circa finem elapsi seculi Auctore anonymo prodiit sub titulo *Casus Conscientiæ*. In eo supponitur quidam Confessarius petens, an possit absolutionem impertiri Ecclesiastico pœnitenti, qui teneat opiniones in prædicto Casu expositas, & qui inter cæteras damnat quidem quinque Propositiones Jansenii purè & simpliciter absque restrictione & in toto eo sensu, quo Ecclesia illas damnavit, & etiam in sensu Jansenii, eo modo quo Innocentius XII. in suo Brevi ann. 1694. ad Episcopos Belgii dato præscripserat, & hoc modo Formulario subscripsit: sed quantùm ad factum, credit sibi sufficere submissionem reverentiæ & silentii ei quod Ecclesia super hoc facto decrevit.

Casu isto conscientiæ proposito pluribus Doctoribus Parisiensibus, quadraginta eorum resolutione factâ 20. Julii 1701. dixerunt, se in sententia esse, opinionem Ecclesiastici de quo agitur, nec novam, nec singularem, nec ab Ecclesia esse damnatam, nec talem proindè, ut Confessarius debeat ab eo exigere illius retractationem ad eum absolvendum.

XV. Decisio ista Casus Conscientiæ evulgata magnos tumultus excitavit: & multa scripta adversùs eam prodierunt. Doctores, qui ei subscripserant, commoti, quòd eam typis datam viderent, variis actis illius publicationem reprobarunt, in quibus exponebant, quid nomine silentii reverentialis in Casu intellexissent, omniaque Judicio Cardinalis de Noailles Archiepiscopi Parisiensis subjiciebant. Hic suo Edicto 22. Februarii 1703. Casus Conscientiæ resolutionem damnavit, quoad ea quæ circa Formularii subscriptionem asserebat, tanquam Innocentii X. Alexandri VII. Constitutionibus & Innocentii XII. datis Brevibus in generalibus Cleri Gallicani Comitiis anno 1700. àcceptatis: quin & suo mandato 20. Augusti 1696. apertè contraria, & tendentia ad innovandas quæstiones jam decisas, faventia usui æquivocationum, restrictionum mentalium, ac perjuriis, auctoritati Ecclesiæ derogantia, eique debitam obedientiam lædentia.

XVI. Ca-

XVI. Casus iste Conscientiæ vix Romam delatus fuit, cùm Clemens XI. 12. Februarii 1703. speciali Brevi illum prohibuit, datis etiam ad Regem literis, tum contra Casum Conscientiæ, tum contra Auctores ejusdem: qui tamen, uno solo excepto, Decreto Cardinalis de Noallies factâ subscriptione se submiserunt. Interim Christianissimus & Catholicus Reges ad finaliter sedandas controversias, quibus à tot annis super quinque Propositionibus eorum Regna distrahebantur, concordes à Clemente XI. finalem Constitutionem expostularunt. Lubens annuit Pontifex, editâ Constitutione quæ incipit *Vineam Domini*, quâ repetitis Innocentii X. Alexandri VII. & Innocentii XII. Bullis super hoc editis, damnat eos, qui dicebant, ad præstandam hisce Constitutionibus debitam obedientiam, necesse non esse internè damnare ut hæreticum sensum Libri Jansenii in quinque Propositionibus damnati; sed satis esse reverentiale super hoc silentium servare. Eos quoquè qui affirmabant, licitè posse Formulario Alexandrio VII. subscribi, etsi quis interiùs non credat, Librum Jansenii doctrinam hæreticam continere.

Quibus erroribus ut occurrat, declarat, *Obedientiæ, quæ præinsertis Constitutionibus Apostolicis debetur, obsequioso illo silentio minimè satisfieri; sed damnatum in quinque præfatis Propositionibus Janseniani Libri sensum, quem illarum verba præ se ferunt, ut præfertur, ab omnibus Christifidelibus, ut hæreticum, non ore solùm, sed & corde rejici, ac damnari debere: nec aliâ mente, animo, aut credulitate supradictæ Formulæ subscribi licitè posse: ita ut qui secus, aut contra quoad hæc omnia & singula senserint, tenuerint, prædicaverint, verbo vel scripto docuerint, aut asseruerint, tanquam præfatarum Apostolicarum Constitutionum transgressores, omnibus & singulis illarum censuris & pœnis omninò subjaceant, eâdem auctoritate Apostolicâ decernimus declaramus statuimus & ordinamus.* Data hæc Bulla est 17. Kal. Aug. 1705. Hæc Constitutio à Galliarum Rege Comitiis generalibus Cleri tradita, debitâ submissione suscepta fuit, ac subindè ab omnibus Regni Episcopis in suis Diœcesibus promulgata. Ita tandem causa hæc finita fuit. An verò finitus error fuerit, Deus novit.

XVII. Eodem Clemente XI. in Petri Cathedra sedente prodiit Liber Gallico idiomate postea in plures Tomos distributus, Quesnellium auctorem præferens sub titulo: *Abregè de la Morale del Evangile*. Vel aliter: *Le Nouveau Testament en François avec des reflexions morales* &c. ex quo, prævio diligenti examine, pluribusque consultationibus coràm se præmissis, 101. Propositiones excerptas, quarum aliquæ errores Baji & Jansenii pluries damnatos inno-

innovabant, editâ Constitutione quæ incipit *Unigenitus* anno 1713., meritò damnavit. Variam sortem hæc Constitutio apud Gallos ab initio experta fuit; quibusdam & quidem pro saniori parte, ei pro debito se submittentibus; quibusdam verò non paucis appellationem ad Concilium ab ea interponentibus. Res quia recens omnibus Eruditis nota est: ideòque ab iis, quæ in hac controversia usque ad præsens acciderunt recensendis abstinere decreveram; Verùm maturiùs cogitans, ea quæ in hac causa evenerunt, Lectori meo exhibere consultiùs existimavi infra Cap. sequenti.

§. IV.

Error de Duplici Ecclesiæ Capite.

I. Ne prætercam quod supra §. 2. num. 8. à Gallicanis Episcopis Innocentio X. indicatum dixi *de Gemino Ecclesiæ Capite*; sciendum, quòd eodem tempore, quo Gallia Jansenismo perturbabatur, Auctore anonymo (qui tamen creditus fuit Antonius Arnaldus celebris Jansenista) prodiit Liber, cui titulus: *De Magnitudine Romanæ Ecclesiæ, & SS. Petri & Pauli Pontificatu*; quo indirectè Monarchia Pontificatus Romani destrui cogitabatur. Liber iste, quem Theophilus Raynaudus meritò vocat *Lernæam Jansenismi excetram, cujus partus est portentissimum Ecclesiæ bicipitis somnium*, à Nuntio Apostolico in Galliis Romam delatus, ac ibi serio examini traditus, ab Innocentio X. publico Decreto tanquam hæreticam doctrinam continens damnatus fuit. Cùmque Auctor alio edito Libro errorem pertinaciter tueri ausus fuisset, Liber Regis mandato, laceratus, & manu carnificis publicè combustus fuit.

II. In erroris patrocinium afferebat Auctor, primò: Antiquam consuetudinem Ecclesiarum etiam Romæ, tum Pontificiorum Diplomatum, pingendi S. Paulum à dextris, & S. Petrum à sinistris, quod etiam in ipso Altari, in quo Pontifex celebrat, observatur. Secundò: Quòd SS. Patres, Episcopi, etiam Romani, paribus encomiis SS. Petrum & Paulum celebrare consueverint. Verùm hæc evincere non possunt, S. Paulum fuisse S. Petro parem in auctoritate Capitis & regiminis Ecclesiæ: eam supra solum Petrum Christus ædificavit, pro ipso solo rogavit, ut non deficeret fides sua, & ut in ea fratres suos confirmaret: & tandem ut vice sui agnos & oves suas pasceret: nihil autem horum Paulo, qui tunc non erat Apostolus, sed persecutor, dictum fuit, nec post ejus conversionem, sed solùm eum elegisse ut portaret nomen suum co-

coràm gentibus & Regibus & filiis Israel. Quæ verba solum Apostolatum designant. Unde S. Thomas in cap. 2. ad Galat. Ex quo Paulus restitit Petro, dicit, *quòd Apostolus fuit par Petro in executione authoritatis, non in authoritate regiminis.*

III. Nec obest, quòd in imaginibus antiquis, & in Bullis Pontificiis ponatur S. Paulus ad dexteram, & S. Petrus ad sinistram. Nam si hoc valeret, fieret, ut S. Paulus nedum æqualis, sed S. Petro superior dicendus esset. Dici ergo debet, præfatas antiquas imagines ad morem antiquum Romanorum, uti & nunc Orientalium, apud quos digniorem locum obtinet sinistra, pictas fuisse. Vel Petrum re verâ dextrum esse, quia obverso ad nos vultu pingitur, & sic sinistra ejus nostræ dexteræ respondet. Aliter exponit S. Thomas in cap. 1. ad Galat. Lectione 1. *Quòd quia præsens vita significatur per sinistram, futura verò per dexteram (in quantum ista est Cœlestis & spiritualis, illa verò temporalis) ideò Petrus, qui vocatus fuit à Christo adhuc in carne mortali posito, ponitur in Bulla Papæ in sinistra parte, Paulus verò qui vocatus fuit à Christo jam glorificato ponitur in parte dextera.* Rem hanc tractant Bellarminus Lib: 1. de Rom. Pont. cap. 27. Rocca Tomo 1. pag. 81.

IV. Patres verò summis quidem laudibus S. Paulum celebrant, quia cæteros Apostolos in multis excelluit, nempè in speciali electione, in secretorum Dei cognitione, in malorum perpessione, virginali integritate, ferè per universum Orbem prædicatione, manibus propriis laborando, doctrinam tot Epistolis exponendo, unde antonomasticè *Apostolus* appellatur, ut notat S. Th. in 2. Cor. 12. Lect. 3. & 1. ad Cor. 15. Lect. 1. In ratione tamen Ecclesiæ Capitis nemo eum Petro prætulit, aut æqualem fecit. Ecclesiam Romanam non fundavit Paulus, sed à Petro jam fundatam inveniens, in ea disponenda Petro jam Episcopo coadjutor fuit, ac indè factum, ut Cathedra Romana etiam Cathedra Pauli dicta fuerit, titulo tamen doctrinæ, non auctoritatis & regiminis. Et eò magìs, quòd cùm inter Ecclesias Gentium, ad quas specialiter Paulus missus fuerat, esset præcipua; oportebat, ut à Paulo prædicatione & doctrinâ instrueretur. Et quia Ecclesia Gentium Ecclesiæ Judæorum, cui specialiter Petrus destinatus fuerat, præstare debebat, hæc etiam potuit esse ratio, cur Paulus dexteram, Petrus sinistram in Diplomatibus & picturis obtinuerit. Cæterùm Primatum Capitis Ecclesiæ soli Petro à Christo concessum, omnium seculorum Patres unanimiter confessi sunt, de quo egi in Vera Ecclesia Tom. 2. p. 1. art. 1.

CA-

CAPUT CXIX.

De Quesnelli erroribus.

§. I.

Quesnelli Persona & gesta.

I. BAJI & Jansenii errores vix semisopitos evigilare fecit, non sine ingenti Ecclesiæ turbatione non adhuc extincta, Paschasius Quesnellus. Parisiis hic honestos natales habuit 14. Julii anno 1634.; sub pia educatione adolescentiam emensus in Parisiensi Universitate Artium studia confecit, ubi Artium Magisterio ornatus fuit 29. Novembris anni 1653. Completo deindè in Sorbonæ Universitate Theologico cursu Congregationem Presbyterorum Oratorii ingressus est anno 1657., Sacerdotio initiatus anno 1659. libris conscribendis totum se dedit, quorum prior fuit Liber *Reflexionum Moralium super Novum Testamentum*. Alter, editio Operum S. Leonis Papæ ex pluribus manuscriptis, ac præcipuè ex Codice Cardinalis Grimani ad Domum Oratorii Parisiensis dono translato extracta, cui nonnullas addidit Observationes. Post hanc editionem Superiorum mandato Conferentiis domesticis de dogmatibus, Morali & Ecclesiastica Disciplina se se applicuit.

II. Primam Reflexionum Moralium super Evangelia editionem absolvit Quesnellus anno 1671. cùm trigesimum septimum ætatis ageret annum. Postea Reflexionibus super reliquum Novi Testamenti ab eodem auctore aucta, iterum prodiit anno 1687., cui successit tertia editio diversis additionibus copiosior anno 1693., deindè quarta 1695. & tandem quinta anno 1699. Nec est quòd mirentur aliqui, quòd Liber toties impressus, qui omnium manibus per Gallias ferebatur, tot errores postea damnatos continens, nullo Episcoporum aut Theologorum reclamante annis plus quam viginti septem, tanquam sanam docens doctrinam, in pretio habitus fuerit, & summis laudibus celebratus. Non enim mirum aut novum est, quòd errores sub pietatis larva propinati non statim appareant, sed in eis latens virus apud pios nec abdita penetrantes aliquandiu delitescat. Hoc in non paucis hæresibus accidit, & nostris præsertim temporibus in Michaele de Molinos. Quis enim suspicatus fuisset, quòd homo, qui, ut infra dicam, per viginti quinque annos purioris doctrinæ famam apud omnes cujuique sta-

ftatus viros fuo Libro *Guida Spirituale* Romæ & alibi fibi comparaverat; ut infamis hæresiarcha declarandus, & à Romano Pontifice damnandus effet? Nullum ergo ex cenfuræ & damnationis mora Libris Quefnelli poffunt ejus patroni afferre præfidium. Quamvis omninò verum non fit, Librum Reflexionum Moralium toto illo tempore fub filentio quieviffe; cùm circa annum *1693.* ad S. Officii Inquifitionem jam delatus fuiffet, quod clarè indicat, antea ejus doctrinam multis in Gallia fufpectam evafiffe. Res tamen fecreta aliquandiu manfit etiam in Galliis, tum ut Sedis Apoftolicæ judicium expectaretur; tum quia, cùm Rex Ludovicus Magnus Calviniftas iis temporibus è Regno exturbaret, prudens confilium vifum fuit, pati ut zizania tritico mixta tunc permanerent, ne eradicando ante tempus zizania, fimul eradicaretur & triticum.

III. Nunc ad Quefnelli perfonam revertar. Manfit ille in Congregatione Oratorii Parifienfis ufque ad annum *1681.*, cùm D. de Harlay Archiepifcopo Parifienfi promovente, juffu etiam Regis, Parifiis abire coactus fuit. Expulfionis caufam fuiffe politicam, ejus patroni dicunt; qui tamen tacere non poffunt, hanc etiam fuiffe caufam quòd Archiepifcopo poftulante, ut opus quoddam confcriberet; recufarit, eò quòd, ut ipfe ait, doctrina ejus genio accommodata non foret; qualis autem effet hæc doctrina, filet, ex ejus tamen genio fufpicari licet. Aurelianum ergo P. Quefnellus translatus, ibi in Oratorio fuæ Congregationis, ut ipfe teftatur, ufque ad annum *1685.* moratus fuit. Sed cum nec ibi ab ira Archiepifcopi Parifienfis fe tutum exiftimaret, in Belgium fe recipere, ac Bruxellis fedem figere conftituit. Ibi ab anno *1685.* ufque ad annum *1703.* moratus, in eadem domo cum Mag. Arnaldo famofo Janfenifta familiariter ufque ad annum *1694.* (quo Arnaldus obiit) converfatus eft; malorum, quorum ifte pro defenfione veritatis (verè Janfenianæ hæreſis) caufa fuit, partem fufcipiens. Ex hoc tam diuturno familiari cum Arnaldo confortio, & parte quam pro ejus caufa fufcepit, difces mi Lector, cujus factionis & doctrinæ fuerit Quefnellus: ac ne de hoc dubites, fcias, me hæc hauffiffe ex Hiftoria Reflexionum in Quefnelli defenfionem edita Amftelodami *1723.*

IV. Semina tamen errorum, quæ Bruxellis & alibi, tum verbo, tum fcriptis Quefnellus unâ cum Sociis in dies fpargebat diù latere non potuerunt. Unde permotus D. Humbertus à Præcipiano Archiepifcopus Mechlinienfis, paternis præmiffis monitis, videns in deterius ruere, eum fequeftro detinere, ut ad refipifcentiam traheret, decrevit. Anno igitur *1703.* feria 4. poft feftum Pentecoftes

costes veniunt Ministri Justitiæ, tam ex parte Regis, quàm Archiepiscopi ad posteriorem & abditam partem Refugii Forestensis, in qua delituerat Quesnellus ultra annum. Aperit ostium Brigodæus ejus fidus Achates: sciscitantur Ministri, ubinam esset P. Quesnel? hic non tantùm illum indicare noluit, verùm etiam dum cogeretur cubicula pandere, tantos excitavit clamores, ut de eo quod peragebatur certior redditus Quesnellus, fugam arripuerit, ac sub favore vestis laicæ & insolitæ viæ fuerit elapsus. Hinc ratus Justitiæ administros abiisse, dum Brigodæus ad Palatium Archiepiscopale jam deducebatur, fisus etiam vesti laicæ, & anteriori latitationi, ob quam ignotus erat, revertitur ad prætati refugii asylum. At ibi præter expectationem suam incidit in manus Curiæ Ecclesiasticæ Ministrorum, qui ibi permanserant. His visis huc illucque cœpit discurrere ut se subduceret, tandemque in angulo quodam post dolium se abdidit; sed diligenter perquisitus & inventus, jussusque ut rhedam introiret, quâ ad Palatium Archiepiscopale duceretur, omnem in partem se vertere cœpit, ac interrogatus an ipse esset *Pater Quesnel*, respondit se vocari *M. Rebech*, & quamvis premeretur, ut verum suum patefaceret nomen, non aliud quàm fictum illud, sub quo delitescebat, obtineri potuit.

V. Ducitur tamen ad sequestrum. Sed indè statim fenestris plumbum abstraxit, & qui calamo toties ad suos errores in perniciem Ecclesiæ spargendos usus fuerat, calamo frustratus, stylum sibi ex plumbo illo confecit, quo inter alia Ernesto Canonico Ecclesiæ S. Gudulæ amico suo hæc scripsit „ Ne pro me anxius esto. „ Meum hospitium salubri aeri expositum fenestram habet super „ viridarium tabernæ, situm inter Archiepiscopatum & Domini- „ canos; non plura tibi dicere possum, cùm nec chartam nec ca- „ lamum habeam „. Schedula hæc à Ministris Curiæ Archiepiscopalis reperta, nec Ernesto tradita, in Palatio adhuc asservatur. Eodem plumbeo stylo amicos ad sibi parandam fugam creditur sollicitasse. Nam conducti aliqui viri nocte inter 11. & 12. Septembris 1703. in stabulo præfatæ tabernæ parietem Palatii Archiepiscopalis perforare cœperunt, sacrilegum hoc opus posterâ nocte ad effectum perducentes. Foramine autem ad tale spatium perducto, ut Quesnellus vir modicæ corporaturæ per illud pertrahi potuerit, se pertrahi sivit, ac ita erupit ac evasit circa horam 1. illius noctis, plurima literarum in minutissimas partes laceratarum, quas in carcere acceperat, fragmenta ibi relinquens. Hæc & alia referuntur in Causa Quesnelliana edita Bruxellis anno 1704.

 IV. Nec

VI. Nec audiendus est ipse Quesnellus, qui ut habetur in Hist. Reflexionum Moral. suæ detentionis causam conspirationi Jesuitarum, quibus Archiepiscopus Mechliniensis impensè favebat, attribuit; quapropter per tres menses, quibus carceri mancipatus fuit, ipsum canonicè audire noluit. Impudenter enim mentitum fuisse constat ex causis in sententia prætati Archiepiscopi, nimirùm quia licèt pluries citatus & monitus, pertinaciter recusaverit Constitutionibus Summorum Pontificum contra Bajum & Jansenium latis sincero & simplici animo subscribere, imò contra eas seditiosis scriptis obloqui, & à debita eis obedientia populum avertere ausus fuerit, & alia multa, quæ in Causa contra ipsum acta referuntur, effræni ac impudenti fronte peragere ausus fuit, ac demum quòd è carcere subdolè fugam arripuerit.

VII. Scio, eum scripsisse, speciali providentiâ Dei viâ sibi inopinatâ ad fugam ostium fuisse apertum velut alteri Petro, cui Act. 12. carceris ostium fuit apertum, aut Paulo qui ad Cor. 2. 12. se per fenestram in sporta dimissum per murum, è carcere Arethæ evasisse scribit; unde Sectarii, *Paulum nostri temporis* Quesnellum vocitabant. Sed quâ viâ, arte nimirùm & dolo Quesnellus evaserit, supra ostendi. Deindè quàm dissimilis, imò contraria causæ Petri & Pauli fuerit causa Quesnelli nemo non videt. Illorum causa fuit veritas fidei, quam prædicabant, istius erat pertinax errori adhæsio. Sed hic quem novum Paulum dictitant, cur spiritum Pauli imitatus non est? Non ita profectò Apostolus Paulus timidus lucis, aut detentionis erat. Imò dum Ephesi impetu facto in theatrum populus rapuit Gajum & Aristarchum Macedones comites ejus Act. 19. v. 29. Paulus; non ut Quesnellus, dum Gerberonius & Brigodæus ejus socii ad sequestrum ducebantur, se se abscondere aut nomen suum celare fategit; sed licèt sciret, se unum caputque suum peti, in theatrum tamen intrare volebat, & de facto intrasset, nisi à discipulis detentus, & à quibusdam Asiæ principibus, ne se daret in theatrum, rogatus fuisset. Rursùs licèt viri Spiritu Sancto pleni ab itinere Jerosolymam, quòd ibi vinciendus esset (Act. 21.) eum dehortarentur, alio certè tono vocis quàm Quesnellus respondit Paulus v. 13. *Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego enim non solùm alligari, sed & mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu.* Et ad Philippenses cap. 2. v. 17. non solùm Neronis vincula se non extimescere, sed & gaudere se declarat. *Sed etsi*, inquit, *immolor supra sacrificium & obsequium fidei vestræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis.*

VIII. Ne autem Quesnelli defensores opponant, Apostolum Paulum permisisse, à suis discipulis se è carcere, in quo detinebatur

tur Damasci, extrahi; sciant, aliam fuisse causam detentionis Pauli, aliam Quesnelli. Paulus insidiis Judæorum quærebatur ad necem, quia conversus fuerat ad Christi fidem; Quesnellus Archipræsulis Mechliniensis zelo in sequestro detinebatur, quia ad fidem, à qua recesserat, pertinax nolebat reverti. Paulus (Act. 9. v. 27.) è carcere dimissus fuit à Barnaba Jerusalem ad Apostolos, ut de mirabili sua conversione eos certiores redderet; imò, ut ipse scribit ad Galatas 2., post annos quatuordecim suæ prædicationis reversus fuit Jerusalem ad Apostolos, ut cum eis conferret Evangelium quod prædicaverat, ne fortè in vacuum curreret, aut cucurrisset. At Quesnellus è sequestro elapsus, quò ivit? Romam ad Summum Pontificem, aut ad alios Catholicæ Ecclesiæ Pastores, ut ab eis de sua doctrina correctus eam Ecclesiæ judicio sincerè submittens retractaret? Nequaquam; sed in suis erroribus pertinacior, metuens ne si in Belgio maneret, aut in Galliam reverteretur, iterum caperetur, Hollandiam ceù sibi unicè tutum asylum elegit. Ibi sexdecim annis manens, Calvinismum quidem non est professus; sed in suis ac Jansenii erroribus permanens, Catholicis qui ibi erant eos tum verbo tum novis scriptis insinuavit, adeò ut etiam modò in iis partibus jacta ab eo Jansenismi semina apud non paucos qui se Catholicos venditant, pullulare dicantur. Is est nostrorum temporum pseudo-Paulus.

§. II.

Constitutio Unigenitus *adversùs Quesnelli errores*.

I. DUm in Belgio contra Quesnellum transfugam & contumacem causa agebatur, Gallia in partes scindebatur. Major quidem & sanior pars Quesnellum ut Jansenismi innovatorem, & Librum *Reflexionum Moralium* damnandum esse censebat, aliqui tamen, & Auctorem, & Librum ab omni erroris labe purgatum esse contendebant. Hoc Quesnellus ipse post suam Mechlinensem fugam, etiam coràm Rege Christianissimo tentavit, eique aliqui ex Sectariis patrocinati sunt; quæ legere est apud D. Lafiteau Episcopum Sistericensem in Hist. Constit. *Unigenitus* Lib. 1.

Interea Clemens XI., qui Sedem Apostolicam tunc obtinebat, ad quam ab aliquot annis Liber *Reflexionum Moralium* delatus fuerat, illius examen resumi mandavit. Cardinales & Theologi ad hoc opus delegati maturâ consideratione præmissâ, declararunt, spiritum schismatis & hæresis opus magis perniciosum dicta-

dictare non potuisse. Scripturæ textum in eo pluriès adulteratum & corruptum, & à Vulgata discordem deprehenderunt, & Auctorem usum fuisse versione ab Ecclesia proscripta: necnon Reflexiones ipsas doctrinâ perniciosâ temerariâ seditiosâ, erroneâ, jam damnatâ & apertè Jansenianâ, ubique ferè resperfas esse. Horum votis permotus Summus Pontifex Brevi dato 13. Julii 1708. Librum prohibuit legi, & ampliùs imprimi sub pœna excommunicationis ipso facto vetuit, ac ne deinceps simplices deciperet flammis publicè tradi jussit. Hoc postremum Gallis displicuit, ideòque Breve publicatum ibi non fuit. Interea factio, ut Librum à censura justificaret, nihil omisit. Qui Librum antea approbarunt, dicebant, Librum repetitis vicibus, etiam apud hæreticos excussum, fuisse in multis partibus corruptum, & à sensu Auctoris detortum: quarum editionum exemplaria cùm Romam fuissent delata, non mirùm, si id quod ipsi probaverant, Romani Censores damnassent. Alii audaci temeritate rapti negabant *Reflexionum Moralium* Librum ullibi apud Protestantes fuisse impressum ac corruptum, sed purum ac legitimum qualis prodierat à Quesnello, asserentes, ejus damnationem privatis Romanorum Censorum passionibus tribuebant, Romanamque Curiam theatrum passionum appellabant.

Libri damnatione, Cardinalis de Noailles, qui illum tanquam Catholicam doctrinam continentem approbaverat, vehementer commotus fuit. Unde factum est, ut Gallia ferè tota in partes scinderetur, ut in præcitata Historia legi potest. Quare Christianissimus Rex, pacis ac Religionis zelo excitatus, non aliâ viâ, quàm supremo Apostolicæ Sedis Judicio causam finiri posse prudenter existimavit. Huic consilio Cardinalis de Noailles tandem se submisit, imò datis ad Episcopum Aginnensem literis, protestatus fuit, ad tollendam divisionem ab Ecclesia, si S. Pater Papa judicaret Librum consuetis formis censurâ notare, se paratum esse ejus Constitutionem ac censuras omni possibili veneratione suscipere, suoque exemplo submissione spiritus ac cordis omnibus præire. An verò Cardinalis de Noailles constans in hoc proposito semper præstiterit, inferiùs apparebit.

II. Itaque Rege instante, Clemens XI. Summus Pontifex Librum *Reflexionum Moralium*, ut de eo ultimam & Apostolicam ferret sententiam, ad severum examen iterum revocavit. Ad hoc tam grave opus benè inchoandum, & feliciter perficiendum præcipua Clementis cura fuit, seligere Cardinales & Theologos viros doctos ex omni Schola Theologica. Hi frequentes conferentias simul habuerunt, textum Quesnelli cum fidei dogmatibus, ac Propo-

positiones in eo repertas eis contrarias vel suspectas, ac damnatis erroribus præsertim Jansenii faventes adnotarunt: aliqua etiam de Doctrina morali & Disciplina sensui Ecclesiæ contraria detexerunt. Biennii spatio in hoc laboratum fuit. Ne autem huic operi quidquam deesset, Pontifex plures S. Officii Congregationes coràm se de hoc habere voluit, plurium Cardinalium, & Episcoporum vota etiam perquisivit. His humano studio ac diligentiâ peractis, ad Sancti Spiritus Divinum lumen implorandum se convertens, generalem ad Ecclesiam SS. Petri & Pauli supplicationem indixit, quò ipse sacra mysteria celebraturus se contulit.

III. Demùm omnibus præcautionibus adhibitis, ac suffragiis in unum conspirantibus, Sanctissimo Dei Nomine sæpiùs invocato, Bullam jam extensam, cujus initium *Unigenitus Dei Filius*, datam die 8. Septembris anni 1713. Clemens XI. publicavit, atque eâdem die ad valvas Principis Apostolorum, in acie Campi Floræ aliisque consuetis locis affigi mandavit. Hæc pro facti veritate dixi, quidquid ex adverso obstrepuerint Quesnelli fautores, asserentes Cardinales & Theologos ad hoc opus selectos fuisse vel in materia imperitos, ac proindè Quesnelli Propositionum verum sensum non assecutos, vel eorum aliquos studio partis addictos, in favorem Scholæ Molinisticæ Jesuitarum adversùs Scholam SS. Augustini & Thomæ conspirasse, frustrà aliquibus reclamantibus. Uno verbo totum opus non pro rei veritate sed humano artificio peractum fuisse. Ita inter alios Auctor anonymus in Libro, cui titulus: *Histoire du Livre des Reflexions Morales &c. & de la Constitution Unigenitus* impresso Amstelodami anno 1723. Ab isto tamen & similibus cavendum esse nos monet Apostolus Roman. 16. v. 17. *Rogo autem vos fratres ut observetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis.* Et 2. ad Timoth. 3. v. 5. *Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita.*

IV. Talem Librum *Reflexionum Moralium* ejusque doctrinam in præfata Constitutione proponit Clemens XI., & ideò illum proscribit ac vitandum præcipit, his verbis: *Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam providæ nostræ considerationis intuitum convertentes, perspicuè novimus summam hujusmodi Libri perniciem ideò potissimùm progredi, & invalescere, quòd eadem intùs lateat, & velut improba sanies nonnisi secto ulcere foràs erumpat; cùm Liber ipse primo aspectu legentes specie quâdam pietatis illiciat; molliti enim sunt sermones ejus super oleum, sed ipsi sunt jacula; & quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut sagittent in obscuro rectos corde. Nihil propterea opportunius aut salubrius præstari à nobis posse*

se arbitrati sumus, quàm si fallacem Libri doctrinam generatim solummodo à nobis hactenus indicatam (in Brevi anno 1708.) *pluribus singillatim ex eo excerptis Propositionibus distinctiùs & apertiùs explicaremus, atque universis Christifidelibus noxia zizaniorum semina è medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quasi in propatulo positis, non uno quidem, aut altero sed plurimis, gravissimisque; tum pridem damnatis, tum etiam novè adinventis erroribus, planè confidimus benedicente Domino, fore ut omnes tandem apertæ jam manifestæque veritati cedere compellantur.*

Ad hoc autem se fuisse excitatum præmiserat, non solùm fidei zelatorum querelis; sed & maximè complurium præsertim Galliæ Episcoporum literis, ac precibus: Imò, *Non modò*, inquit, *præfati Episcopi, sed ipse in primis Carissimus in Christo Filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, cujus eximium in tuenda Catholicæ Fidei puritate, extirpandisque erroribus zelum satìs laudare non possumus, sæpiùs nobis est contestatus, repetitis propterea verè piis & Christianissimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis à nobis efflagitans, ut instanti animarum necessitati prolatâ quantociùs Apostolici censurâ judicii consuleremus.* Ab ipso ergo Rege, & Galliæ Episcopis (sicut antea Innocentius X. ad Jansenii damnationem) excitatus Clemens XI., ad Quesnelli Propositiones editâ Constitutione *Unigenitus* proscribendas processit.

V. Centum & quinquaginta quinque Propositiones in Libro *Reflexionum Moralium* censurâ dignæ notatæ fuerunt; solas tamen centum & unam tanquam apertiùs erroneas in Constitutione expressit, his verbis: *Omnes & singulas Propositiones præinsertas, tanquam falsas, captiosas, malè sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ & ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solùm, sed etiam in Potestates seculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, necnon hæreticis & hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluriès damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses, & potissimùm illas, quæ in famosis Jansenii Propositionibus, & quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifestè innovantes, respectivè, hâc nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.* Et infra: *Cæterùm*, inquit, *per expressam præfatarum Propositionum reprobationem, alia in eodem Libro contenta nullatenus approbare intendimus, cùm præsertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus Propositiones, illis, quæ ut supra damnatæ fuerunt, consimiles & affines, iisdemque erroribus imbutas, nec*

sanè

sanè paucas &c. Tandemque Librum quomodocumque inscriptum, ubicumque, seu alio quovis idiomate, editione, aut versione impressum aut imprimendum, sub pœna excommunicationis ipso facto etiam retinentibus, nedum legentibus, inhibet. Data est hæc Bulla anno 1713. 8. Septemb. Pontificatus sui anno 13. Singulas hasce centum & unam Propositiones inter alios accuratè perstringit Auctor Anonymus in Opusculo Italico idiomate impresso Mediolani anno 1723.

VI. Primo editæ Constitutionis nuntio Cardinalis de Noailles commotus fuit. Cùm tamen antea declarasset, se ad Libri præfati damnationem paratum esse, ut honori suo consuleret, adventum Constitutionis in Gallias præveniens, edicto suo generalibus terminis concepto Librum *Reflexionum Moralium* damnavit. Edictum hoc Romam transmissum Pontifici acceptum fuit, tanquam præludium, quòd præfatus Cardinalis Constitutionem foret acceptaturus: ideòque per Cardinalem de Tremoille ei significari fecit, Edictum suum universali plausu Romæ fuisse susceptum.

VII. Interea Constitutio *Unigenitus* ad Regem transmissa fuit, qui, non obstantibus Quesnellistarum contra eam clamoribus, pro suo erga Religionem zelo eam omnibus acceptandam auctoritate suâ indixit. Multæ tamen ortæ sunt difficultates circa acceptationis formam, quibusdam postulantibus, ut Romana Sedes clariùs explicaret, in quo sensu illas centum & unam Propositiones damnasset. Cardinalis de Noailles, qui recèns Librum *Reflexionum* damnaverat, unà cum aliis Episcopis puræ ac simplici Bullæ acceptationi se se opponebat. Res aliquandiù jactata est. Tandem indicta sunt Comitia, quibus Cardinalis de Noailles & quadraginta octo Præsules interfuere: ibi non modicâ præmissâ contentione die 23. Januarii propositâ causâ super acceptatione Bullæ, & datis suffragiis, soli octo cum Cardinali de Noailles restiterunt, reliqui quadraginta Episcopi pro Bullæ acceptatione convenere. Votum hoc, frustra reclamantibus Cardinali de Noailles & suis, Bullam in re tam gravi majori explicatione indigere contendentibus, à Rege probatum fuit, literasque pro Bullæ observatione expediri jussit.

VIII. Itaque juxtà Comitiorum votum pro Bullæ acceptatione à Romano Pontifice approbatum, ad omnes Provinciarum Galliæ Episcopos literæ datæ sunt: unde tactum est, ut à plusquam centum duodecim Diœcesibus fuerit acceptata, à Facultate Theologica Parisiensi recepta, & in omnium Parlamentorum Regni Actis Constitutio registrata. His tamen Episcopi oppositores non quie-

vere, quin eorum aliqui Edicta contra Constitutionem suis in Diœcesibus promulgarunt. Cardinalis de Noailles varius, & inconstans multa promittit, sed promissa non implet. De eo Romam traducendo Rex cogitat, sed consilium mutat, & Concilium Nationale in Gallia indici judicat expedire. Sed dum hæc non sine contentione agitantur, Ludovicus XIV. Rex Galliarum fatali morbo corripitur, & paucos post dies 1. Septembris 1715. vitâ decedit. Rex nomine & re verè Christianissimus Fidei Catholicæ strenuus Defensor, ac hæresum Debellator acerrimus. Sub eo Calvinismus in Galliis succubuit. Ejus Templa destructa, Conventicula proscripta, Collegia eversa, Ministri exilio pulsi, omnesque ejus Sectarii mandatis tam Religiosi Monarchæ caput submittere fuere compulsi. Nec minori zelo in Jansenismum & Quesnellismum efferbuit, in hoc enim, ex dictis, extirpando ad finem usque vitæ operam impendit.

IX. Tanti Principis jacturam illicò sensit Ecclesia. Dux Aurelianensis, qui Regni assumsit regimen, Quesnellistas exules revocavit, & ut Cardinalem de Noailles emolliret, Consilio, quod appellant *Conscientiæ*, eum præfecit. Is se infra mensem Bullam acceptaturum promisit, sed promissis non stetit. Facultas Parisiensis Theologica falsum esse declarat, se Constitutionem acceptasse. Episcopi refractarii Bullæ explicationem postulant. Pontifex Brevia comminatoria ad Episcopos opponentes expedit, ac tribus viris de doctrina suspectis Bullas Episcopatus denegat. Cardinalem de Noailles Purpurâ privare cogitat: Cardinalium Collegium annuit, id tamen non exequitur. Multa ad concordiam proponuntur, sed Opponentes renuunt, aut illudentes fallunt. Tandem omnes de pace tractatus quatuor Episcopi interpositâ Appellatione ad futurum Concilium eludunt, quam tres Theologicæ Facultates, inter quas Parisiensis; necnon Privati quidam ex diversis Statibus adoptant. Hinc in Galliis orta sunt dissidia non adhuc penitùs extincta, quæ percurrere quisque poterit maximè apud Episcopum Sisteronensem Lib. 4. & 5. Hist. Constit. *Unigenitus*, & alios. Postquam tamen Romana Sedes adeò apertè locuta fuit, quievissent, si audire & sequi voluissent S. Augustini monitum Epist. 194. (aliàs 105.) ad Sixtum Presbyterum (postea Rom. Pontificem) adversùs Pelagianos Romano judicio jam proscriptos ita scribentis: *Nùnc verò cùm apertiùs & latiùs quid de illo dogmate contraque sentires in literis tuis, fides ipsa Romanæ Ecclesiæ nobiscum loqueretur, cui potissimùm Beatus Apostolus Paulus de gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum multa & multipliciter est loquutus, non solùm illud omne tristitiæ nubilum fugit*

de

de cordibus nostris; sed etiam tantum ibi lætitiæ lumen infulsit, ut nihil egisse in nobis videretur ille mæror & timor, nisi succesfurorum ampliorem flagrantiam gaudiorum. Oppositum tamen senserunt & adhuc sentiunt Quesnellistæ. Auditâ enim voce Romanæ fidei de Gratia Dei loquentis, nedum lætitiæ signa non dederunt sed contra eam turbas excitarunt, & adhuc excitare non desistunt.

§. III.

De Concilio Ebredunensi, & aliis.

I. INter Episcopos adversùs Bullam *Unigenitus* pertinaces emicuit D. de Soanen Præsul Senecensis. Hic omni mensurâ sepositâ, ad Ordines Sacros publicè admittebat quotquot à Jansenistis ex Hollandia ad eum dirigebantur, etiam absque dimissorialibus literis, solo Episcopi in Protestantium regionibus intrusi testimonio. Ut verò sui furoris contra Constitutionem ultimum ac perenne testimonium relinqueret, quasi testamentum ac suæ ultimæ voluntatis tesseram, ne successor suus (erat enim jam senior) in favorem Constitutionis subditos diœcesanos attraheret, Instructionem Pastoralem edidit 20. Augusti 1726., quâ vexillum schismatis, & rebellionis contra Ecclesiam, quæ Constitutionem ferè ubique tamquam Legem & fidei Judicium jam acceptaverat, extollebat.

II. Metropoliticæ Ebredunensi Ecclesiæ præerat D. Petrus de Guerin de Tencin, modò S. R. E. Cardinalis, vir scientiâ & pro Catholica fide zelo clarissimus. Hic, instante etiam Rege, ad Catholicam veritatem contra Quesnellianos stabiliendam, & ad avertendum scandalum & perniciem, quæ ex Episcopi Senecensis Instructione Pastorali oriri poterat, Concilium Provinciale Ebreduni habendum indixit, ad quod etiam Episcopus Senecensis vocatus fuit. Verùm etsi in Synodi Indictione causa illam convocandi non exprimeretur, gravis tamen inter Quesnellistas suspicio orta fuit, eam esse, ut super Episcopo Senecensi, ejusque edita Instructione quæstio haberetur. Quare divisa sunt inter suos consilia. Major pars tutius fore eum in sua Diœcesi manere (longæva ætate excusante) suadebat: altera verò ut accederet, hortabatur, suâ enim præsentiâ & doctrinâ Judices ipsos convincere poterat.

III. Aliquandiù Episcopus Senecensis anceps hæsit. Tandem Ebredunum se conferre decrevit. Amici ejus Parisiis existentes, misso nuntio, eum ab hoc consilio deterrere conati sunt. Sed frustra. Nuntius enim jam ingressum Diœcesim Ebredunensem ipsum

invenit. Unica Senecensi Episcopo Ebredunum adeundi ratio fuit, quòd cùm jam à Constitutione ad futurum Generale Concilium appellasset, nullum de ejus causa judicandi Concilio Provinciali jus superesset. Cùm tamen si advertisset ad Episcopos Pelagianos, eos etiam post appellationem è suis sedibus depositos vidisset. Accedit, quòd cùm post Appellationem Instructionem Pastoralem edidisset, hâc tanquam materiâ processus contra ipsum Concilio Provinciali judicandum se subjecerat.

IV. Episcopus Senecensis in quodam vicino pago moram trahens, præmisit protestationem ad Concilium, quâ declarabat, se, nec suæ personæ, nec suorum scriptorum Judicem illud recognoscere. Indè paucis elapsis horis, quasi ad locum triumphi stipatus circa viginti hominibus ab eo in sua Diœcesi seductis, obequitans Ebredunum ingressus est. Interim in limine Concilii cap. 2. obedientia Constitutionibus Apostolicis, & præcipuè *Unigenitus* statuta fuit, his verbis: *Constitutio* Unigenitus, *quâ centum & una Quesnelli Propositiones damnatæ sunt, cui suffragata est universalis Ecclesia, est dogmaticum, definitivum, & irretractabile judicium illius Ecclesiæ, de qua Divino ore dictum est* „ Portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam „ ; *si quis igitur eidem Constitutioni corde & animo non acquiescit, aut veram & sinceram obedientiam non præstat, inter eos habeatur, qui* „ circa fidem naufragaverunt „. *Quòd si nonnulli crescente contumaciâ, hæreticorum vestigiis insistentes, à præfato dogmatico judicio, quo non laudabiles Patrum sententiæ, non innoxiæ Catholicarum Scholarum opiniones, ut calumniantur Novatores, sed in primis Baji & Jansenii errores jamdudum damnati, iterum damnantur, ad futurum Generale Concilium provocare præsumserint, hujusmodi provocationem noverint esse ipso jure irritam, scandalosam, schismaticam, jam damnatis erroribus faventem, Sedi Apostolicæ, & Ecclesiæ injuriosam*. Deindè prosequitur Concilium damnans eos, qui formulæ præscriptæ ab Alexandro VII. reluctantur: utque vim illius eludant, contendunt, Ecclesiam non exigere, ut quisque illi formulæ subscribendo, profiteatur quinque Propositiones in Jansenio damnatas sensum hæreticum continere; vel saltem non exigere, ut sensum in dictis Propositionibus damnatum interiùs ut hæreticum damnet; sed satìs esse, si ea de re obsequiosum, ut vocant, silentium teneatur. His & aliis Concilium Catholicam fidem profitetur & obstruit ora Novatoribus.

V. Hisce præmissis, in secunda Congregatione Generali habita 18. Augusti 1727. ad causam Episcopi Senecensis, quæ erat præcipua materia Concilii, ventum est. Ibi, à pluribus Theologis præfati Episcopi Instructione Pastorali censorio examine jam discussâ,

sensâ, Promotor Concilii exposuit, in ea plurimm errorum antea damnatorum semina contineri. Nam primò: In ea damnatur Fidei Formula ab Alexandro VII. præscripta, atque jam indè à sexaginta annis in Regno Galliæ recepta, usuque firmata. Secundò: Constitutionem *Vineam Domini Sabaoth* à Clemente XI. traditam ita interpretatur in alienum sensum detorquens, ut ei turpiter illudere, & apertè contradicere voluisse videatur. Tertiò: Nec minùs injuriosè tractat Constitutionem *Unigenitus* ab eodem Summo Pontifice datam, ab Episcoporum Ordine receptam, Regis Ludovici XIV. Diplomate anno 1714. munitam; Regiâ demum Declaratione anni 1720. firmatam, atque pro certa utrinsque pariter tum Ecclesiæ tum Regni Lege habendam. Quartò: Demum in ea Instructione Pastorali summis ornatur laudibus Liber *Moralium Reflexionum* Quesnelli, & quem Ecclesiæ Judicium & Principis potestas damnatum omnibus ne quis legeret indictâ pœnâ interdixit, memoratæ Instructionis Auctor populo Senecensi ausu temerario legendum & offerre, & suadere non dubitat, his verbis: *Is Liber ille est, in quem non modò non cadit meritò censura ulla, verùm etiam qui dignissimus est, ut legatur: utpotè qui totus in Divinarum Literarum, Sanctorum Patrum sermone verbisque versatur, qui luce atque unctione plenus, alendæ fidelium pietati aptissimus est* &c. Hucusque processit cæca temeritas.

VI. Episcopus Senecensis petiit à Concilio pronuntiari super Acto suo exhibito, quo declarabat, Provinciali Synodo Ebredunensi non competere judicium sivè de se, sivè de scriptis suis: sed rogatus ab Archiepiscopo Ebredunensi, ut tantisper recedere vellet, dum de ipsius requisitione deliberaretur, abscessit. Eo absente decrevit Synodus, ut priùs interrogaretur, an Instructio Pastoralis à Promotore delata esset sua, & ut suam agnosceret. Iterùm vocatus, ac ab Archiepiscoqo requisitus, disertis respondit verbis, suam eam agnoscere & adoptare Instructionem Pastoralem, jussu suo promulgatam fuisse, ejusque defensionem se suscipere, donec convinceretur, errores in illa reperiri. Hoc responsum ipsemet dictavit, subscribens 18. Augusti 1727. Tum denuò postulavit à Synodo, ut super Acto suo de incompetentia tribunalis Concilii statueretur.

VII. Eo digresso deliberatum est à Concilio audire quæ postulaverat de Synodi incompetentia, & quibus argumentis eam probaret. Itaque publicè lectum est Autographum super incompetentiâ, quod Episcopus Senecensis ad Archiepiscopum Ebredunensem transmiserat, quòd in Actis Synodi legere est. Quo maturè perpenso, Synodus decreto pronuntiavit, quòd ponderatis rationum

num momentis de prætensa Synodi Provincialis incompetentia, & auditis etiam plurium Concilii Theologorum & Canonistarum sententiis, infirma sint rationum momenta, minimèque admittenda, & ideò ultra procedendum esse ad judicium de Instructione Pastorali. Decretum Episcopo Senecensi Synodum ingresso denuntiatum fuit: qui aliud confugium excogitans, declaravit, recusare se Judices Præsules qui Concilio intererant, generatim omnes, & specialiter singulos ob certas & distinctas causas quas ipse recitavit scriptas, scriptumque proprio chirographo munitum deposuit in consessu, quod inter Acta Concilii excriptum legitur. Interrogatus ab Archiepiscopo Ebredunensi Episcopus Senecensis, num paratas haberet factorum probationes, quibus nitebantur præfatæ recusationes, eas adducere palàm denegavit.

VIII. Nihilominùs ne quidquam omitteretur, quo Senecensis Episcopi durities emolliri posset, cùm ille Provinciæ Ebredunensis Episcopos omnes tanquam suspectos traduceret, decrevit Synodus (id etiam probante Rege, imò & mandante) ut ex quinque vicinis quoquè Provinciis Episcopi vocarentur: Decreto Senecensi Episcopo communicato, de nullo ex quinque vicinis Provinciis Episcopo suspicionem se habere confessus est. Itaque ex præfatis Provinciis tresdecim Episcopi ad Concilium invitati fuere. Sed cùm ex iis tres ob ægritudinem se excusassent, decem Concilio adfuere. His congregatis, omnia, quæ in Concilio à Provinciæ Ebredunensis Episcopis gesta fuerant, Archiepiscopus Ebredunensis communicat, novâ etiam Instructionis Pastoralis factâ relatione.

IX. Interea Promotor Concilii Episcopo Senecensi significat, advenisse jam ex vicinis Provinciis Episcopos, eorum nominibus ei expressis, ad cognitionem suæ causæ unà cum suis Comprovincialibus suscipiendam & judicialiter terminandum. Sciret ergo, vel suam Instructionem Pastoralem à se ex animo retractandam, vel contra se ultimum Judicium subeundum. Ad hæc Episcopus Senecensis pertinacior respondit, se Concilium quantocumque numero Episcoporum ex vicinis Provinciis auctum, tanquam suum Judicem nunquam agniturum, causas suæ recusationis, etsi jam reprobatas, repetens, ut sic prosecutionem Judicii de sua Instructione Pastorali impediret. Tribus septimanis ut eum ad saniorem frugem reducerent, Episcopi pietate moti laboraverunt; ei præcipuè ostendentes insanæ temeritatis esse, duos Episcopos, se nimirum ac Montepessulanum plus sapere velle, quàm universam Ecclesiam. Sed cùm nihil proficerent, trinam Canonicam Monitionem esse præmittendam, deindè ad sententiam deveniendum, declaravit Promotor.

X. Hæc

X. Hâc igitur præmissâ, cùm Episcopus Senecensis, nec adhortationibus flecti, nec monitionibus parere vellet, unanimi Patrum consensu sententia pronuntiata est die 20. Septembris anni 1727. Primò quidem Instructio Pastoralis condemnata est communi voce tanquam temeraria, scandalosa, Ecclesiæ, Episcopis, ac Regiæ Potestati injuriosa, schismatica, hæretico spiritu plena, errores ac hæreses fovens, præsertim in iis quæ continet contra subscriptionem Formulæ ab Alexandro VII. præscriptæ: tanquam in illusorium sensum detorquens Bullam *Vineam Domini Sabaoth*: injuriosa Constitutioni *Unigenitus* & Apostolicæ Sedi, à qua manavit. Damnatum etiam fuit quidquid in favorem *Reflexionum Moralium* in ea continetur, inflictâ pœnâ excommunicationis ipso facto, ne quis illius Provinciæ fidelis, cujuscumque sit status, aut conditionis, aut sexus, exemtus, vel non exemtus, eam legat, apud se retineat, aut disseminet: sed sub eadem pœna illius Instructionis exempla in tabulas Officialitatis suæ Diœcesis per se vel per alium statim referat.

Secundò, quoad ejusdem Episcopi Senecensis personam decretum fuit, ut sit & maneat suspensus & interdictus ab omni Episcopali functione, exercitioque Sanctorum Ordinum simul & ab omni jurisdictione & inspectione in dicta Senecensi Diœcesi, donec Acto authentico dictam Instructionem Pastoralem, scriptaque omnia in ejus defensionem à se edita retractaverit, & damnaverit, in iis præsertim, quæ super tribus memoratis capitibus reprehendenda docuit in prædicta Instructione Pastorali. Ut à Concilio ipso nominetur Vicarius Generalis Officialis in Diœcesi prædicta, cui à Rmo Archiepiscopo Ebredunensi Concilii nomine, &c. ut sibi videbitur, alii in locum ejus, vel aliorum Officialium substituantur. Hæc Concilium Ebredunense in Episcopum Senecensem, ut eum ad resipiscentiam & retractationem errorum revocet. Quod tamen (re verâ dolendum) hactenus non obtinuit: adeò enim induratum est cor ejus, ut annum ut fertur nonagesimum quartum jam agens, nulla suæ resipiscentiæ signa dederit.

XI. De actis in Concilio Epistolam Synodicam Concilii nomine dedit Archiepiscopus Ebredunensis ad Benedictum XIII. Ordinis Prædicatorum Romanum Pontificem, cujus initium: *Beatissime Pater. Antiquæ Traditionis exempla servantes & Ecclesiasticæ memores Disciplinæ, Concilii nostri Ebredunensis gesta ad Ecclesiarum Matrem & Magistram referenda esse censuimus, ut statutis nostris etiam Sedis Apostolicæ adhibeatur auctoritas*. Deindè quæ in Concilio gesta sunt referuntur. Epistolam grato animo Benedictus Pontifex accepit, & Brevi dato 17. Decembris 1727. post collauda-

datam Conciliorum Provincialium consuetudinem, omnia in Synodo statuta, etiam contra Episcopum Senecensem, approbavit confirmavitque. Imò etiam audito Decreto de Concilii Provincialis præfati convocatione suum gaudium testatus fuit, non solùm per Literas Secretariæ Status, sed etiam duplici Brevi epistolari propriâ manu scripto ad Archiepiscopum Ebredunensem, uno dato 26. Augusti 1727. altero 25. Octobris ejusdem anni, quorum exempla in Actis Concilii ejusdem leguntur; sicut & ejusdem Archiepiscopi responsa, & Regis Christianissimi gesta in Concilio suâ auctoritate probantis. Quæ omnia idem Summus Pontifex Benedictus, & maximè Regis Christianissimi pro fide zelum altero Brevi 6. Aprilis 1728. comprobavit, & varia scripta in favorem Episcopi Senecensis damnavit.

XII. Quantâ Concilium hoc Universæ Catholicæ Ecclesiæ acclamatione fuerit susceptum, fidem indubiam faciunt literæ sequentes. Ex Belgio Cardinalis de Alsatia Archiepiscopi Mechliniensis, Episcopi Brugensis, Episcopi Yprensis, Gandavensis & Antuerpien. Ex Italia præter Breve epistolare Clementis XII., extant literæ Archiepiscopi Florentini, Cardinalis Odescalchi Archiepiscopi Mediolanensis, Cardinalis Pignatelli Archiepiscopi Neapolitani, & Cardinalis Lambertini Archiepiscopi Bononiensis. Ex Hispania Episcopi Granatensis, Cardinalis Archiepiscopi Toletani, Archiepiscopi Burgensis, Archiepiscopi Cæsaraugustani, Archiepiscopi Tarraconensis, Archiepiscopi Valentini, Episcopi Salmanticensis, & Episcopi Inquisitoris Generalis Hispaniarum, unanimi consensu Ebredunense Concilium collaudantium & Archiepiscopo ejus Promotori gratulantium. Mitto Universitates ferè omnes debita reverentiâ eidem subscribentes.

XIII. Quid ergo agerent Quesnellistæ refractarii tanto fragore concussi ac prostrati? Non aliud quàm ad solitas subdolasque hæreticorum artes confugere. Atque ita fecere: Parisiensis Parlamenti implorarunt patrocinium, & consecuti sunt. Quinquaginta Advocati à Parlamento destinati sunt. Qui à Quesnelli fautoribus seducti Ebredunensis Synodi Acta infirmare, & omnes errores in eo damnatos calumniosè tueri conati sunt. Hæc Consultatio cùm delata esset ad Regem, ipse viginti sex Episcopos Parisiis tunc existentes, & aliquos viros doctos, ut super illam suam ferrent sententiam, convocavit. Qui declararunt, Advocatorum Consultationem erroribus prædamnatis favere, potestati Ecclesiæ injuriosam esse, de hæresi suspectam, imò & hæreticam. Quoad ea verò quæ contra Ebredunensem Synodum blaterat, temerariam ac injustam, Regalis auctoritatis læsivam, tot Prælatis qui ei adfuere,

fuere, ipsique Papæ qui eam confirmavit injuriosam esse pronuntiarunt; quare Rex suo Consilio Status 3. Julii 1728. Advocatorum Consultationem suppressit, quod & Episcopi suis Edictis peregerunt.

XIV. Factionis tamen patroni non deterriti, alios Episcopos Galliæ ad suas partes trahere conati sunt, ex quibus usque ad numerum duodecim adepti sunt, nec difficile eis fuit, cùm hi è numero eorum essent, qui adversùs Bullam *Unigenitus* jam appellaverant. Ab istis ergo supplex libellus Regi porrigitur, quo de injusto gravamine, quo Episcopus Senecensis oppressus fuerat, conquerebantur. Libellus, ut merebatur, à Rege rejectus est, quin & Concilii Patribus significavit Regiâ protectione se illis adfuturum. Quod & perfecit, dum quemdam, qui se in Vicarium Diœcesis Senecensis adversùs Delegatum à Concilio intruserat, amovit, eumque exilio mulctavit: ac indè Bulla per totam Diœcesim promulgata, & signatum Formularium fuit.

XV. Interea, disponente Deo, contigit eventus, qui Ecclesiam & Benedictum XIII. Summum Pastorem summo gaudio perfudit. Cardinalis de Noailles, qui *Reflexiones Morales* probaverat, qui Constitutionem *Unigenitus* non acceptaverat, & quamvis non semel ei se submittere visus fuisset, facto tamen numquam impleverat; tandem videns tres subsequentes Romanos Pontifices unanimiter pro ea stetisse, tot Clericorum Galliæ Comitia, tria Concilia, Lateranense, Avenionense, Ebredunense eam commendasse, & Ecclesiæ observandam proposuisse, & ferè omnes Regni Episcopos, paucis exceptis, eam acceptasse, ac nullum ex Episcopis extra Galliam contra eam reclamasse; dolens, se plusquam viginti annis ut schismaticum præbuisse, ac demum conscientiæ stimulis, & senio vicinam mortem ei minitante perterritus, de sua æterna salute seriò cogitare cœpit.

XVI. Itaque ad Benedictum XIII. Papam Epistolam 19. Julii 1728. scripsit, quâ præmittens gravi suâ ætate moneri, sibi de æterna ac mortali vita cogitandum esse, tandem S. Sedis obedientiæ totum se submittit, „ Testor, inquit, coràm Jesu Christo, Bul-
„ læ *Unigenitus* sincero corde me submittere, Librum *Reflexionum*
„ *Moralium* ac centum & unam Propositiones ex eo extractas in
„ eodem sensu, quo damnatæ sunt in præfata Constitutione, me
„ damnare. Insuper revocare meam *Instructionem Pastoralem* an-
„ ni 1719. contra præfatam Constitutionem, quamvis meo sub
„ nomine promulgatam. Ac proindè Sanctitati vestræ promitto
„ aliud Mandamentum me editurum, ac pro ejusdem observantia
„ Bullæ in tota mea Diœcesi publicaturum. Confiteor tibi, Bea-

 tissi-

„ tissime Pater, postquam Dei Gratiâ hanc deliberationem susce-
„ pi summâ consolatione animum meum esse perfusum, dies mihi
„ factos esse magis serenos, & animam meam eâ pace & tran-
„ quillitate frui, quam post diuturnum tempus nunquam exper-
„ tus fueram „.

XVII. His acceptis literis tanto perfusus fuit gaudio Benedictus Pontifex, quanto Pater Evangelicus ad reditum filii sui. Totâ ergo effusione cordis accurrens ei respondit 21. Augusti 1728. Primò ei gratulatur, quòd Deo auxiliante ad cor redierit, & quod adeò sanctas cogitationes animo conceperit: deindè nomine S. Sedis ei gratias agens, eum adhortatur ad tam dignum opus consummandum publicatione Edicti, de quo suis in literis locutus fuerat. Undecima Octobris dies fuit à Dei Providentia pro integra Cardinalis submissione præordinata. Res hæc secreto cum Pontifice commercio antea peracta fuerat, & ideò omnibus ignota. At postquam innotuit vix explicari potest, quàm sensibili & universali acclamatione à veris Fidelibus celebrata fuerit. Pontifex ipse convocato Consistorio, cui & ego interfui, disertâ Oratione, plaudente eique toto Sacro Cardinalium Collegio de recuperatione ovis adeò præclaræ gratulante, rem totam aperuit.

XVIII. Interea quod promiserat Cardinalis de Noailles fideliter implevit: Volens enim populum suum Instructionis loco exemplo suo docere, promulgavit Edictum, quo absque ullo restrictionis, aut relationis vestigio, protestabatur, Constitutionem omni submissione se acceptare. Librum *Reflexionum Moralium* & centum & unam Propositiones ex eo extractas eodem modo ac sub eisdem qualificationibus, sub quibus eas Papa proscripserat, damnabat, quidquid in contrarium ipse scripserat apertè revocabat. Et præcipuè suam Instructionem Pastoralem 14. Januarii 1719. Insuper præfatum Librum & alia quæcumque in ejus defensionem scripta legi aut detineri severè prohibuit, eique, qui quamcumque ex damnatis Propositionibus docere vel tenere ausus fuisset, eandem pœnam, quam Constitutio, nempè excommunicationis ipso facto, indixit; ac ne quisquam ignorare posset, suo Edicto Constitutionem ipsam inseri mandavit.

XIX. Edictum hoc ad Summum Pontificem in submissionis suæ complementum transmissum summo gaudio acceptum ab eo fuit, & major Episcoporum pars Cardinali de Noailles lætis gratulationibus felicitatem fuit apprecata. Et quidem meritò. In hoc enim opere gratia Dei singulari exemplo se manifestavit; vix enim aliquem reperire est, qui postquam alicujus factionis & erroris ducem se præbuit, & ab unitatis ac veritatis centro resiliit,

tan-

tandem sponte errore revocato, ad illud tantâ solemnitate reversus fuerit. Porrò Deus, cujus perfecta sunt opera, ab omni inconstantiæ periculo eum citò liberavit, nam sex elapsis mensibus, feliciter, ut piè creditur (quidquid aliqui in contrarium mussitarint) constans obiit.

XX. Cardinali de Noailles ad unitatem reverso Quesnellistæ rebelles tanto præsidio destituti; videntes insuper majorem & saniorem Episcoporum partem ac Regiam auctoritatem contra se stare, compressi, non tamen prorsùs contriti, variis artibus ac dolis se tueri meditati sunt. Aliqui in Gallia se parùm tutos videntes, Quesnellum Magistrum suum imitati, in Hollandiam se receperunt: ibi cum Calvinistis quàm cum Catholicis magis gratam & facilem communionem fore existimant, ac privato spiritu ducti, quidquid sibi placet sentiunt. Alii verò in Galliis sub ficto Catholicorum nomine, in dies se prodiderunt, & adhuc se produnt, aliquorum freti patrocinio, sed Episcoporum zelo ac vigilantiâ detecti comprimuntur.

XXI. Ut hæc omnia eluderent quid cogitarunt? Illud idem quod S. Irenæi Lib. 2. cap. 31. n. 2. & Tertulliani Lib. de Præscript. cap. 4. testimonio hæretici suorum temporum, & asserente S. Augustino Lib. de Unit. Eccl. cap. 19. Donatistæ, commenti fuere: nimirùm suam Sectam à Deo comprobari gratiis sanitatum, mortuorum suscitationibus per illius auctores vel insigniores professores patratis. Hoc & Quesnellistæ Appellantes vanâ præsumtione sibi arrogarunt. Itaque spargere cœperunt, hominem qui antea à Constitutione appellaverat, & in appellatione perstans obierat, ac sanctitatis famam reliquerat, operante Deo maximis coruscare prodigiis, præcipuè sanationibus, quas ad ejus sepulchrum precantes obtinebant. Prætensus iste Sanctus erat quidam Diaconus nomine *Paris* in cœmeterio S. Medardi Parisiis sepultus. Præcipuum evulgari cœpit prodigium de quadam puella, quæ post novendiales preces super cineres Domini Paris visum, & usum crurium, quibus antea destituta erat, recuperasse ferebatur. Factum hoc quâdam Dissertatione tot circumstantiis & prætensis certitudinibus munitum publicatum fuit, ut plurium credulitatem fefellerit.

XXII. Famâ hâc Parisiensis Archiepiscopus commotus, rem serio examini committi mandavit. Examinatis prævio jurejurando ingenti numero testibus, evidenter apparuit, totum hoc fuisse subdolum Appellantium & vanum artificium, ac puellam nunquam visu privatam, eamque etiam post novendialia, eâdem in ambulando pœnâ laborasse. Quare Archiepiscopus Parisiensis suo

Edicto 15. Julii 1731. declaravit, miraculum illud falsum fuisse ac suppositum, ac vetuit, ne in sua Dioecesi ullum novum miraculum absque sua auctoritate publicaretur, ac ne deinceps ullus cultus Domino *Paris* aut ejus sepulcro tribueretur, aut Missæ in ejus honorem celebrarentur. Damnavit insuper præfatam Dissertationem, tanquam imposturis ad seducendos Fideles refertam, Papæ & primorum Pastorum cœtui injuriosam, & erroribus jam ab Ecclesia damnatis apertè faventem.

XXIII. Pastoralibus hisce mandatis Factionarii nedum non cessere, sed audaciores facti, contra suum legitimum Pastorem brevì tria scripta evulgarunt titulo *Vita Domini Paris Diaconi*. His in schismatis & erroris patrocinium auctores repræsentabant, Ecclesiam à cœtu Pastorum proditam, Appellantes pro ea stantes persecutionem ex parte utriusque Potestatis injustè pati: ac propterea, se paratos esse debere ad subeundum pro veritate martyrium. Juxta horum libellorum Auctores, Sedes Apostolica & cœtus Pastorum, ad quam, vel ad quos pro regula nostræ fidei accipienda confugiendum esset, ampliùs non erat. Juxta horum insaniam, doctrina fidei non erat illa, quam Apostoli & eorum Successores toti Orbi tradiderunt, sed illa, quæ è sepulchro Domini Paris se se manifestabat, ita ut ad obtinendam à Deo veram intelligentiam, ad eum recurrere oporteret. Hæc est solita Hæreticorum superbia fidem suam in nullo alio, quàm in suorum errorum auctoribus collocare.

XXIV. Tria hæc scripta Archiepiscopus Parisiensis meritò damnavit, ac eorum lectionem sub anathematis pœna interdixit; sed Pastoris vox ab Appellantibus audita non fuit. Imò audaciores facti, ad sui prætensi Thaumaturgi tumulum frequentandum ex omni ætate ac sexu accendebant, dato etiam argento & auro, ut se aliqua gravi corporis ægritudine oppressos fingentes, ad *Paris* tumulum orantes, se ab ea liberatos mentirentur. Adeòque invaluit hæc deceptio, ut quibusdam Sectæ Presbyteris excitantibus, Psalmorum cantus ad Paris tumulum utriusque sexus vocibus successivè alternaretur: quo S. Medardi Ecclesia in quandam theatri speciem translata reperiebatur, in quo Religioni indignè illudebatur, & suorum miraculorum veritas in derisionem vertebatur. Tererem tempus, si quæ per Provincias de suo Paris quem novum Eliam dictitabant prodigia sparserunt, recensere vellem. Solùm dicam, quòd Quesnellistarum furor adeò crevit, ut quamvis Ecclesiasticæ Regia jungeretur auctoritas, ad eum frænandum multum laboratum sit, de quo legere est Historiam Episcopi de Sisteron Lib. 6. ab anno 1732. usque ad 1736. Tandem si non penitus

nitus extincta, compressa tamen hodierno tempore languet factio, utrâque Potestate in eam generaliter conspirante, cui Universitas Parisiensis accessit solemni Constitutionis *Unigenitus* acceptatione. Sicque torrens iste, qui magno impetu Ecclesiam inundare conatus est, modò in parvum redactus, Deo opitulante, brevi, ut spero, exsiccabitur, & prorsùs arescet.

XXV. Hoc in dies evenire videmus. Nam dum hæc prælo committerem advenerunt mihi Acta Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis, quæ D. Georgii Ludovici ex Comitibus de Bergues Episcopi & Principis zelum & exemplum secuta, improbat contenta in quodam supplici libello; deindè *Considerantes*, inquit, *è contra, quanto studio numquam sat laudando Celsissimus adlaboret, ne hæcce Leodiensis Diœcesis novorum Sectariorum, more luporum insidiantium, incursibus pateat, quantâque pastorali sollicitudine invigilet assiduè, ne oves sibi commissæ perniciosorum à Summis Pontificibus damnatorum dogmatum contagione inficiantur, proscriptis non ita pridem eapropter ac flammis addictis pestilentibus, qui jam per Civitatem Leodiensem volitabant, libellis, in quibus vesanus Factionis Jansenianæ fanatismus comprobatur, miracula falsa, Dæmonum præstigiæ, ac alia id genus Novatorum deliramenta in manifestam Orthodoxæ Fidei perniciem, summis prædicabantur encomiis; censuerunt deputandos & requirendos, prout deputant & requirunt Reverendos admodum Perillustres ac Generosos Dominos meos Comitem de Raigocourt Archidiaconum Brabantiæ, Comitem d'Ingelheim, de Chistelle, necnon Baronem de Glimes Archidiaconum Jamennæ, ut quàm maximas Celsissimo Perillustris hujus Capituli Cathedralis nomine gratiarum actiones rependere non graventur, pro zelo, quo fertur verè Apostolico conservandæ in Ecclesia Leodiensi Romanæ Ecclesiæ filia intemeratæ matris suæ fidei; eique humiliter supplicando, ut quemadmodum uti à S. Sede delegatus, jam contra nonnullos ab Episcopali Jurisdictione exemtos, de profanis novitatibus suspectos procedere cœpit: ita auctoritate suâ ordinariâ ut non exemtos, de quibus in rebus fidei suspicio habebitur, procedere etiam non dedignetur; ut quæ in agro Leodiensi inimicus homo superseminavit zizania, ex eo penitùs eradicentur. Insuper iidem Domini mei præfatos Dominos suos Confratres requisiverunt, ut Celsissimum etiam certiorem reddere velint, omnes & singulos Dominos Capitulares promtos esse atque paratos capitatim acceptare Constitutionem felicis recordationis Clementis Papæ XI. quæ incipit* Unigenitus, *tanquam regulam fidei, eamque juxta Sanctissimi mentem jurare, ac illam ab omnibus Perillustris hujus Ecclesiæ suppositis acceptandam ac jurandam demandare.*

XXVI. Hâc præmissâ declaratione, die 8. Januarii præsentis an-

anni 1740. actum acceptationis hisce terminis conceptum consummarunt: *Nos Decanus & Capitulum Perillustris Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis in loco Capitulari nostro solito congregati, continuante Capitulo Generali, ac etiam specialiter pridiè in vim juramenti indicto, ad per nos acceptandam & jurandam (in sequelam Resolutionis nostræ Capitularis 23. mensis Decembris proximè elapsi emanatæ) Constitutionem felicis recordationis Clementis Papæ XI. quæ incipit* Unigenitus*; declaramus nos prædictam Constitutionem, præsentibus tamquam testibus ad id specialiter adbibitis hujusce Perillustris Capituli Cathedralis Notario ac Secretario, necnon Claustrariis inferiùs signatis, capitatim acceptasse ac jurasse, juxta subinsertam verborum formulam, quam nostrum unusquisque in rei gestæ indubitatam fidem ac veritatem propriâ subscripsit manu.*

XXVII. Deindè tenor formulæ Acceptationis sequitur: *Ego accepto purè nudè & simpliciter absque ulla restrictione ne quidem mentali Constitutionem felicis recordationis Clementis Papæ XI. quæ incipit* Unigenitus, *tamquam Legem dogmaticam Ecclesiæ & Regulam Fidei, condemnoque centum & unam Propositiones ex Libro vulgò* Reflexions Morales *extractas in omnibus sensibus ac qualificationibus, sub quibus prædicta Constitutio illas condemnavit. Et ita juro, Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

De his omnibus in debitæ venerationis & obedientiæ testimonium Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis die 12. Januarii 1740. ad Clementem Papam XII. literas dedit, quæ tamen dum Romam pervenerunt, eum jam mortuum invenere. Hæc addenda existimavi, ut quisquis Catholicæ veritatis amator magis in ea confirmetur, Sectarii autem Gratiâ Dei, & tot exemplo virorum excitati, cordis oculos ad eam excipiendam aperiant.

CAPUT CXX.

De Quietistis, & Michaele Molinos,

§. I.

Quietistæ Veteres.

I. QUIETISTARUM nomine appellati olim fuerunt quidam Monachi Orientales, qui, ut contemplationi Divinorum liberiùs vacarent, cæterorum hominum societatem fugiebant. Græci eos vocant *Hesycastas*, idest in silentio & tranquillitate ab aliis separatos viventes. Hi nimio affecta-

fectatæ contemplationis ſtudio in varios errores inciderunt. Hos aliquatenus colligere poſſumus in Simone juniori Abbate Xerothercis, qui in Sermone de Oratione loquens de Heſycaſtis ſeu Quietiſtis ait. Oportet primùm tria vos peragere, ut quò cupitis perveniatis, videlicet contemnere creaturas omnes, ſivè rationales ſivè irrationales, vos mortificare & habere conſcientiam puram à quacumque paſſione, & affectione vacuam; indè in veſtra cella quietè quiſque veſtrum ſolus, & in angulo ſedens, quod dicam faciat. Clauſo oſtio, ſupra omnes vanitates, ideſt ſuper omnes res temporales & tranſitorias mentem elevet; indè caput ſuper ventrem inclinans, reſpirationem comprimat, & mente proprium cor inquirat: & initio quidem denſis tenebris offundetur, ſed in ſtatu diu noctuque perſeverans mirabilia deteget, ac ſe in gaudio infinito reperiet.

II. Simon iſte Abbas auctor errorum, quibus hi Heſycaſtæ tenebantur, fuiſſe creditur, quorum præcipuus erat, quòd crederent, inclinato ſuper ventrem capite ſe ſplendorem qui in Monte Thabor apparuit, intueri: & hunc lucem eſſe increatam ac Divinæ Majeſtatis, atque in ea contemplanda ſitam eſſe omnem felicitatem. Seculo ſexto Barlaam Monachus cùm è Calabria Conſtantinopolim ſe contuliſſet Andronico juniore Imperante, cujus gratiâ potiebatur; ſcrutatus horum Monachorum orandi & vivendi modum, ac multa quæ ſibi diſplicebant in eis reperiſſet; contra illos ſcripſit, & tanquam innovatores errorum Eutychetis, & Meſſalianorum accuſavit, novo nomine eos vocans *Omphalopſichas*, ideſt *Umbilicanos*: quia ut dixi unus ex horum Heſychaſtarum erroribus, erat oculos ſuper ventrem inclinatos tenere, tanquam locum ubi facultatum animæ ſedes eſſet, & in hoc actu ſe videre lucem prorsùs Divinam. Quare interrogati, quid eſſet iſta lux, eandem eſſe dicebant, lucem & Dei gloriam, quæ in Monte Thabor apparuit, quam volebant eſſe increatam, non tamen Dei eſſentiam. Hi Monachi ſæpè in Conciliis Conſtantinopoli habitis damnati fuerunt. Hæc de Quietiſtis antiquis. Plura de modernis occurrent dicenda.

§. II.

Moderni Quietiſtæ, & eorum Auctor.

I. LAbente ſeculo decimo ſeptimo Quietiſmus excitatus fuit in Italia Gallia & Hiſpania, turpiſſimis auctus erroribus, qui extremam perniciem bonis moribus attuliſſent, niſi promto & efficaci remedio Sedes Apoſtolica eos ſuffocaſſet. Molinoſiſtæ dicti ſunt

sunt à Michaele de Molinos auctore, Presbytero Hispano in pago dicto *Maniozzo* Diœcesis Cæsaraugustanæ in Aragonia orto, versutissimo hypocrita & callidissimo animarum deceptore. Ab anno 1665. Romam profectus usque ad annum 1685., quo ejus hypocrisis detecta fuit, in Urbe latens anguis iste sub sanctitatis specie venenum secretò instillavit, tum prædicatione, quâ illuminatus Doctor habebatur, tum evulgato Libro, cui titulus: *Guida Spirituale, che conduce l'anima per un camino interiore à conseguire la perfetta contemplazione, e'l ricco tesoro della pace interiore*. Liber iste primùm impressus Romæ anno 1675. deindè Matriti 1676. postea Cæsaraugustæ 1677. tandem Hispali 1685. facile fuit ut peste in eo contentâ eodem tempore Italiam, Hispaniam, Romam ipsam inficeret, & in Gallias eam transfunderet.

II. Hoc sinè mora contigit ob speciosam quam præferebat doctrinam, nempè annihilationem sui omniumque potentiarum, ut Deo se totum absque ullo distractivo unire posset. Ita Secta hæc, non sicut cæteræ, ab hominibus libertati ac sensui deditis, ac deceptioni voluntariè se exponentibus, exordia sumsit, sed à personis vitæ spirituali deditis, & à sensualibus alienis; à quibus postea in prævaricationem lapsis progressus monstruosos accepit. Eo in Libro perfidus Hæresiarcha aperiebat fontem omnibus illis erroribus, qui temporis decursu apparuerunt. Hinc factum fuit, ut qui illum legebant, quasi mortali contemplationis & quietis lethargo absorpti manerent, conventicula cum feminis ejusdem Sectæ secreta agerent; ac istæ hâc suâ annihilatione ab omni se sorde puras arbitrantes, ad Sacram Mensam nullâ præmissâ præparatione & Sacramentali Confessione accederent; stolidæ & quasi exstaticæ in Ecclesiis orarent; nec ad Sacramentum aut Sanctas Imagines oculos convertentes, metu, ne solo intuitu prætensam contemplationis quietem turbarent.

III. Hæc hujus Satanicæ Scholæ prima rudimenta fuere. Sed ut subsisteret, necesse erat ut Magister, qui eam aperuerat, distinctè explicaret dogmata, quæ in Libro indicabantur quidem, sed apertè non exprimebantur, sic ut viri ac mulieres, Sacerdotes, Laici, Ecclesiastici etiam insignis notæ, qui jam hunc fallacem ducem sequi decreverant, pleniùs edocerentur. Nefario Magister Molinos operi non defuit: requisitus à præsentibus & absentibus, illis voce, istis scripto taliter eis se explicabat, ut ex ejus responsis aliud deduci non posset, quàm liberam cujuscumque etiam enormis peccati permissionem, hâc ratione, quòd qui semel per Orationem Quietis animâ in Deo quievit, non potest ampliùs voluntate peccare: sed omnis actus etsi per se pravus, imputandus sit,

sive

fivè violentiæ tentationis, fivè corporali paffioni. Ad hoc impiè detorquebat dictum Job cap. 16. v.18. *Hæc paffus fum abfque iniquitate manus meæ, cùm haberem mundas ad Deum preces*: quod iniquus hifce terminis explicabat: *Job ex violentia Dæmonis fe propriis manibus polluebat, eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces* (quæ eft Propofitio 49. ex damnatis ab Innocentio XI. ut infra.)

IV. Ad hujus optatæ libertatis omnis culpæ vacuæ inftillationem, velut fitientes cervi ad fontem, Quietiftæ ex omni ftatu ac fexu feftinantes accurrerunt; & putantes rem gratam fe facere Deo, dum in actu fuarum contemplationum tales violentias paterentur, invicem certabant, ut quis eorum plus poffet jactâ in Deum animâ corpus fuum fenfus libertati tradere. Quare in Hifpania, Italia, & Romæ etiam renovati fuerunt antiqui & execrabiles Gnofticorum, Turlupinorum, & aliorum fimilium fecreti conventus. Molinos, qui Magifter, & in hac obfcena arte erat peritior, exemplo fuo cæteris præibat, adeò ut de illo adeò turpia narrentur, quæ ne pudorem lædant, filentio præterire expediat. Cæterum mira ars, quâ fraudem exteriùs feveritate & gravi modeftiâ occultabat, pluribus, & quidem diù, exitium peperit. Verbis parcus, Deum quafi femper in ore habebat, fpirans devotionem, folo afpectu videntes attrahebat, facies compofita & gravis, veftis talaris ac neglecta, lata barba, ætas ad fenium inclinans, motus gravis & majeftatem fpirans, virum omni æftimatione ac fide dignum apparenter demonftrabant. In hac fama viginti duorum annorum fpatio malitiosè fe cuftodivit, etiam apud Magnates, qui cum eo colloquia habere frequentia ambiebant, ut ab eo veri fpiritus doctrinam, & à mundanis alienationem edifcerent.

V. Verùm quia Lucæ 12. v.2. à fermento Pharifæorum, quod erat hypocrifis, monuit Apoftolos Chriftus, ut attenderent dicens: *Nihil autem opertum eft, quod non reveletur, neque abfconditum quod non fciatur*; hoc tandem huic hypocritæ, ac malitiofo impoftori, ut merebatur, omnium tamen admiratione, evenit; cùm latentes fub puritate fpiritus obfcenæ, quas ipfe tum docebat, tum exequebatur, impuritates ab Officio S. Inquifitionis detegi cœperunt. Huic primum lumen affulfit ab Innico S. Clementis Cardinali Caracciolo, Neapolitano Archiepifcopo, qui hâc pefte in fua Diœcefi detectâ, literis Pontificem certiorem fecit, ut fupremâ fuâ auctoritate tanti mali curfum frænaret. Idem fecerunt plures ex Italia Epifcopi, imò & ex Gallia hujus peftis, quæ ibi vagabatur, fuerunt tranfmiffæ notitiæ. Quibus acceptis, validæ quidem captæ à Pontifice refolutiones fuere, fed cum Auctor non detege-

retur, remedio inefficaces. Congregationis S. Officii fortes literas ad omnes Italiæ Episcopos misit, eos excitans ad omnem vigilem operam, si fortè hujus contagii fontem detegerent.

VI. Hisce diligentiis Jesu Christo, qui Ecclesiæ suæ omnibus diebus se adfuturum, & ab ea omnem maculam & rugam si irrepserit abstersurum promisit, patrocinante; factum est, ut paulatim secretis tum delationibus, tum monitis, non pauci extimulante conscientiâ secretum proderent, quibus cum Libro *Guida Spirituale* & aliis quæ deferebantur scripta collatis, in suspicionem primò, dein ad certam Auctoris notitiam ventum fuerit: nempè lupum sub pastoris specie gregem dispergentem Romæ esse, & hunc Michaelem de Molinos, quem plerique ex omni ordine, etiam sublimi, tanquam à Deo missum venerabantur. Secreto igitur formato processu, & atrocium criminum veritate compertâ, inopinatè detentus, ne suorum favore fugâ elaberetur, ad carceres traductus fuit; apud ipsum innumeræ literæ ab ejus errorum sequacibus & Patronis ex variis Orbis partibus scriptæ, & pecuniæ usque ad quatuor scutorum millia repertæ fuisse dicuntur. Cum eo detenti quoquè fuere duo germani fratres cognomine *Leones*: unus Simon nomine, & cujusdam Romæ Conservatorii Confessarius: alter Antonius Maria laicus, ambo ex Novocomensi Diœcesi, & primarii nequissimi præceptoris discipuli.

VII. Hujus Romani tonitrui fragore tota Europa velut à lethargo excitata fuit, & præcipuè Hispania, cujus vigiles Inquisitores eradicandæ pesti manum statim apponentes, 24. Novembris 1685. edito Decreto Librum *Guida Spirituale* proscripsere. Rigidiori Edicto contra eundem & quoscumque alios Molinos fraudem continentes, Inquisitio Romana processit, ex quibus 68. Propositiones, quas suas esse Molinos negare non ausus, confessus est, excerptas, suo Decreto damnavit 28. Augusti 1687. Ex quo singulas, ut omnes ab eis caveant, & eas detestentur, recensebo.

§. III.

Molinos Propositiones damnatæ.

I. Prima est: *Oportet hominem suas potentias annihilare: & hæc est via interna.* 2. *Velle operari activè est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens; & ideò opus est se ipsum in Deo totum & totaliter derelinquere, & postea permanere velut corpus exanime.* 3. *Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.* 4. *Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram*

ram perfectionem, quia Deus vult operari in nobis sinè nobis. 5. *Nihil operando anima se annihilat, & ad suum principium redit, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, in quem transformata remanet, ac divinizata, & Deus tunc in se ipso remanet; quia tunc non sunt ampliùs duæ res unitæ, sed una tantùm; & hác ratione Deus vivit & regnat in nobis, & Anima seipsam annihilat in esse operativo.* 6. *Via interna est illa, in qua non cognoscitur, nec lumen, nec amor, nec resignatio, & non oportet Deum cognoscere, & hoc modo rectè proceditur.* 7. *Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de Inferno, nec de Morte, nec de Æternitate.* 8. *Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat nec ne; nec opus est, ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere.* 9. *Non debet anima reminisci nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei, & in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, & ad proprios defectus.* 10. *Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodò non adsit voluntas scandalizandi; & ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.* 11. *Ad dubia quæ occurrunt, an rectè procedatur, nec nè, non opus est reflectere.* 12. *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiso, nec desiderium debet habere propriæ perfectionis, nec virtutis, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem purgare debet.* 13. *Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio & cura de omni re nostra, & relinquere ut faciat in nobis sinè nobis suam Divinam voluntatem.* 14. *Qui Divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut à Deo rem aliquam petat; quia petere est imperfectio, cùm sit actus propriæ voluntatis & electionis, & est velle quòd Divina voluntas nostræ conformetur, & non quòd nostra Divinæ. Illud autem Evangelii* ,, Petite, & accipietis ,, *non est dictum à Christo pro Animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Imò hujusmodi Animæ eò perveniunt, ut non possint à Deo rem aliquam petere.* 15. *Sicut non debent à Deo rem aliquam petere; ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque est actus propriæ voluntatis.* 16. *Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita, quia melius est Divinæ justitiæ satisfacere, quàm Divinam misericordiam quærere, quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & istud ab amore nostri interessato; nec est res Deo grata & meritoria, quia est velle Crucem fugere.* 17. *Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relictâ curâ & cognitione Animæ nostræ, non est ampliùs habenda ratio tentationum; nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nullâ adhibitâ indu-*

 indu-

industriâ: & si natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur, quia est natura. 18. Qui in Oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus & propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu & veritate. 19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum. 20. Asserere, quòd in Oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus Animam non alloquitur, ignorantia est. Deus numquam loquitur: ejus locutio est operatio, & semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus & operationibus eum non impedit. 21. In Oratione opus est manere in fide obscura, & universali, cum quiete & oblivione cujuscumque cogitationis particularis ac distinctæ, attributorum Dei & Trinitatis, & sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum & amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet. 22. Cognitio hæc per fidem non est actus à Creatura productus, sed est cognitio à Deo creaturæ tradita, quam creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit illam se habuisse, & idem dicitur de Amore. 23. Mystici cum S. Bernardo in scala Claustralium distinguunt quatuor Gradus: Lectionem, Meditationem, Orationem, & Contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, numquam ad secundum pertransit. Qui semper in secundo persistit, numquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus Animam non trahat, absque eo quòd ipsa id expectet, ad contemplationem infusam; & hâc cessante, Anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipso permanere, absque eo quòd ampliùs redeat ad secundum, aut primum. 24. Qualescumque cogitationes in Oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, si voluntariè non nutriantur, nec voluntariè expellantur, sed cum indifferentia & resignatione tolerentur, non impediunt Orationem Fidei, imò eam perfectiorem efficiunt: quia Anima tunc magis Divinæ voluntati resignata manet. 25. Etiamsi superveniat somnus, & dormiatur, nihilominus fit Oratio & Contemplatio actualis, quia Oratio & Resignatio, Resignatio & Oratio idem sunt; & dum Resignatio perdurat, & Oratio. 26. Tres illæ viæ, purgativa, illuminativa, & unitiva, sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in Mystica; cùm non sit nisi unica via, scilicet via interna. 27. Qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quærit Deum, sed se ipsum, & malè agit, cùm eam desiderat, & eam habere conatur qui per viam internam incedit, tam in locis sacris, quàm in diebus solemnibus. 28. Tædium rerum spiritualium bonum est, siquidem per illud purgatur amor proprius. 29. Dum Anima interna fastidit discur-

ſcurſus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in ſe ipſa ſentiens fervorem, bonum ſignum eſt. 30. Totum ſenſibile, quod experimur in vita ſpirituali, eſt abominabile, ſpurcum & immundum. 31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent à ſenſibus cognoſci. Opus eſt amittere virtutes. 32. Nec ante, nec poſt Communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro iſtis animabus internis) quàm permanentia in ſolita reſignatione paſſiva, quia modo perfectiore ſupplet omnes actus virtutum, qui fieri poſſunt, & fiunt in via ordinaria. Et ſi hác occaſione communionis inſurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi ſunt, quoties non dignoſcatur, eos eſſe ex impulſu ſpeciali Dei, aliàs ſunt impulſus naturæ nondum mortuæ. 33. Malè agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, ſi in diebus ſolemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in ſe devotum aliquem ſenſum; quoniam animæ internæ omnes dies ſunt æquales, omnes feſtivi. Et idem dicitur de locis ſacris; quia hujuſmodi animabus omnia loca æqualia ſunt. 34. Verbis & linguá gratias agere Deo, non eſt pro animabus internis, quæ in ſilentio manere debent, nullum Deo impedimentum opponendo, quod operetur in illis; & quò magìs Deo ſe reſignant, experiuntur ſe non poſſe Orationem Dominicam, ſeu Pater noſter *recitare. 35. Non convenit animabus hujus viæ internæ, quòd faciant operationes etiam virtuoſas, ex propria electione & activitate, aliàs non eſſent mortuæ: nec debent elicere actus amoris erga Beatam Virginem, Sanctos, aut Humanitatem Chriſti; quia cùm iſta objecta ſenſibilia ſint, talis eſt amor erga illa. 36. Nulla Creatura, nec Beata Virgo, nec Sancti ſedere debent in noſtro corde, quia ſolus Deus vult illud occupare, & poſſidere. 37. In occaſione tentationum etiam furioſarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppoſitarum; ſed debet in ſupradicto amore, & reſignatione permanere. 38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave eſt, & infructuoſum: ideòque dimittenda. 39. Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non ſufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæſionem. 40. Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus Sanctior: igitur ad Sanctitatem perveniri poteſt abſque opere exteriore.*

II. Hactenus Hæreſiarcha iſte Sectarios ſuos ab omni actu virtutis & omni opere bono tanquam inutili abſolvit. Infra, eundem ab omni peccato etiam turpiſſimo eos abſolventem audiemus. Dicit enim 41. *Deus permittit & vult ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quòd in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, Dæmon violentiam inferat earum corporibus, eaſque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, & ſinè*

& sinè mentis offuscatione, movendo physicè illarum manus, & alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata, quia in iis non adest consensus. 42. *Potest dari casus, quòd hujusmodi violentia ad actus carnales contingat eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris & feminæ, & ex parte utrinsque sequatur actus.* 43. *Deus præteritis seculis Sanctos efficiebat Tyrannorum ministerio, nunc verò eos efficit Sanctos ministerio Dæmonum, qui causando in eis prædictas violentias, faciat, ut illi se ipsos magis despiciant, atque annihilent, & se Deo resignent.* 44. *Job blasphemavit; & tamen*,, non peccavit labiis suis,, *quia fuit ex Dæmonis violentia.* 45. *Sanctus Paulus hujusmodi Dæmonis violentias in suo corpore passus est, unde scripsit*,, Non quod volo bonum hoc ago; sed quod nolo malum, hoc facio,,. 46. *Hujusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & eam ad veram transformationem & unionem perducendam; nec alia superest via. Et hæc est via facilior & tutior.* 47. *Cùm hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum; sed permanere debet homo in suo nihilo, & etiamsi sequantur pollutiones, & actus obsceni propriis manibus, & etiam pejora, non opus est seipsum inquietare, sed foràs emittendi sunt scrupuli, dubia, & timores; quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, & acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri, & sanctissimè fit non confitendo, quia hoc pacto superatur Dæmon, & acquiritur thesaurus pacis.* 48. *Satanas, qui hujusmodi violentias infert, suadet deindè, gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulteriùs progrediatur; unde ad ejus vires enervandas, meliùs est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.* 49. *Job ex violentia Dæmonis se propriis manibus polluebat eodem tempore*,, quo mundas habebat ad Deum preces (*sic interpretando locum ex cap.16. Job.*) 50. *David, Jeremias, & multi ex Sanctis Prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.* 51. *In Sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos; ut illud Samsonis, qui per violentiam se ipsum occidit cum Philistæis, conjugium iniit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus est, quæ aliàs erant prohibita, & peccata fuissent; de Elisæo, qui pueris maledixit: de Elia, qui combussit Duces cum turmis Regis Achab. An verò fuerit violentia immediatè à Deo peracta, vel Dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.* 52. *Cùm hujusmodi violentiæ, etiam impuræ, sinè mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, & de facto semi-*

semper magis unitur. 53. Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta; regula, quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quæ protestantur, se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse, quòd iis consenserint, & videre quòd sint Animæ, quæ proficiunt in via interna: sed Regulam sumere à lumine quodam actuali, cognitione humanâ ac Theologiâ superiore, quod me certò cognoscere facit cum interna certitudine, quòd talis operatio est violenta: & certus sum quòd lumen à Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine quòd à Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium, eo modo quo interdum contingit, quòd Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quòd ipse sit qui revelat, & anima in contrarium non potest dubitare. 54. Spirituales viæ ordinariæ in hora mortis se delusos invenient, & confusos cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis. 55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas & extinguendas omnes passiones, ita quòd nihil ampliùs sentitur, nihil: nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec Anima se ampliùs commoveri sinit. 56. Duæ leges, & duæ cupiditates, Animæ una, & Amoris proprii altera, tamdiù perdurant, quamdiù perdurat Amor proprius; unde quando hìc purgatus est & mortuus, uti fit per viam internam, non adsunt ampliùs illæ duæ Leges, & duæ Cupiditates, nec ulteriùs lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur ampliùs, ne quidem veniale peccatum. 57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi ampliùs peccata, nec mortalia nec venialia. 58. Ad hujusmodi statum pervenitur, non reflectendo ampliùs ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur. 59. Via interna sejuncta est à Confessione, à Confessariis, & à Casibus Conscientiæ, à Theologia, & à Philosophia. 60. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eò etiam perveniunt, ut sint mortuæ, Deus Confessionem aliquando efficit impossibilem, & supplet ipse tantâ gratiâ præservante, quantam in Sacramento reciperent: & ideò hujusmodi Animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id est illis impossibile. 61. Anima cùm ad mortem mysticam pervenit, non potest ampliùs aliud velle, quàm quod Deus vult, quia non habet ampliùs voluntatem, & Deus eam illi abstulit. 62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili. 63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum: quin immò signum, quòd quis in statu nihilitatis maneat, idest mortis mysticæ, est si sensus exteriores non repræsentent ampliùs res sensibiles, ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum quòd intellectus ad eas applicet. 64. Theologus minorem dispo-

dispositionem habet, quàm homo rudis, ad statum contemplativi. Primò, quia non habet fidem adeò puram. Secundò, quia non est adeò humilis. Tertiò, quia non adeò curat propriam salutem. Quartò, quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, & speculationibus, & non potest in illum ingredi verum lumen. 65. Præpositis obediendum est in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodò ad exterius pertingit. In interiore verò aliter res se habet, quò solus Deus & Director intrant. 66. Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesia Dei, quòd Anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo, quòd si Episcopus non sit capax, Anima ipsum cum suo Directore adeat: Novam dico doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt; quia Ecclesia non judicat de occultis, & Anima jus habet eligendi quemcumque sibi benè visum. 67. Dicere quòd internum manifestandum est exteriori Tribunali Præpositorum, & quòd peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio: quia Ecclesia non judicat de occultis, & propriis animabus præjudicant his deceptionibus & simulationibus. 68. In Mundo non est facultas, nec jurisdictio ad præcipiendum, ut manifestentur Epistolæ Directoris quoad internum Animæ: & ideò opus est animadvertere, quod hoc est insultus Satanæ.

III. Has Propositiones ut à Michaele Molinos, tum verbo tum scripto traditas, & ad praxim deductas, prævio rigoroso examine & Cardinalium Generalium Inquisitorum consilio, Innocentius XI. Constitutione lata 28. Augusti 1687., quæ incipit *Cælestis Pastor*, damnavit *tanquam hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ disciplinæ relaxativas & eversivas, & seditiosas respectivè; & quæcumque super iis verbo, scripto, vel typis emissa*: præcipiens, ne vel scripto exarata vel typis quocumque idiomate edita quisquis legere audeat, aut apud se retinere, sed statim Ordinariis locorum vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, illicò ab eis igni tradenda & comburenda.

IV. Damnatâ perniciosâ doctrinâ damnandus erat Michael Molinos perfidus illius Auctor. Hoc impletum fuit 3. Septembris 1687. in Ecclesia S. Mariæ super Minervam, quò post viginti duos carceris menses, coràm innumera multitudine omnis status & ordinis, Molinos ipse à ministris perductus & in locum eminentem collocatus fuit; ut suæ confusionis spectaculum simul esset & spectator. Exindè cœpto legi processu, ad omnem Propositionem hæreticam, & turpitudinem exprimentem, concussus & exhorrens, clamabat populus *Ignis Ignis*. Donec lectione Processus completâ,

ad

ad pedes Commiſſarii S.Officii reus proſtratus corâm ipſo, ſolemni actu, omnibus ejuratis erroribus abſolutionem accepit, & pœnitentis habitu indutus ad carceres reductus fuit; in quibus ferè decennio ſigna pœnitentiæ ac reſipiſcentiæ exhibuit uſque ad mortem, quæ contigit 28. Decembris *1696*. Eâdem pœnâ poſt abjurationem duo præfati germani fratres *Leones* mulctati fuere.

V. Hæreſis hæc huic Operi de Hæreſibus meritò finem imponit. Nam ſi quis ejus prænarratos errores conſideret; eam ferè ex omnibus turpe aliquid decerpſiſſe,ac in ſe claudere inveniet, ut in eam dici poſſit omnes hæreſes intraſſe, ſicut flumina in mare. Poſitâ enim chimericâ animæ & propriæ voluntatis annihilatione, & perfectâ cum Deo unione, & totali ſui ipſius traditione, nil amplius curandum, imò omnia abjicienda eſſe dicebat, tum virtutum actus tum amoris Dei, gratiarum actiones, petitiones, Sacramentum Confeſſionis, Imaginum Sacrarum & omnium ſenſibilium vel ipſius Humanitatis Chriſti venerationem. Quo in ſtatu quidquid in corpore etſi turpe ac nefandum, etiam cum advertentia eveniret, animæ ac voluntati, quia Deo traditæ ac reſignatæ, in culpa non eſſe, nec ejus perfectioni ac ſanctitati officere, quod ex Scripturis ipſis ſe colligere effutiebat. In ſtatu merè paſſivo Animam collocans, eam libero arbitrio ac omni bonorum operum merito ſpoliabat, imò ſi quid boni agere conaretur, id ei in vitium vertebat: & alia verè blaſphema. Sed quod horribilius eſt, Gnoſticos aliosque ſimiles imitata, omnia ſub ſpecie Viæ ſpiritualis & veræ perfectionis proponebat.

§. IV.

De Archiepiſcopo Cameracenſi.

I. Quia verò nulla ferè hæreſis maximè ex inſanioribus extitit, quæ etiam feminas non habuerit magiſtras; huic non defuit in Gallia quædam Domina *de Guion* nuncupata, quæ hâc falsâ ſpiritualis viæ ideâ corrupta, varia ſuper his manuſcripta edidit, quæ cùm ad manus D. Du-Boſſuet Epiſcopi Meldenſis perveniſſent; ut mala quæ indè oriri poſſent, præveniret; & eos qui ejuſdem falſis illuſionibus decepti erant, illuminaret, egregiam navavit operam, Librumque edidit *De Statibus Orationis*. At è converſo non pauci, etiam ſublimis conditionis, ab ea ſeducti fuerant, inter quos Archiepiſcopus Cameracenſis,vir cæteroquin pietate & doctrinâ clarus, qui fortè in præfatæ mulieris defenſionem, cujus doctrinam nullo infectam veneno exiſtimabat,

Opus quoddam elucubravit, cui titulus: *Explication des Maximes de Saint sur la vie interieure par Messire François de Salignac Fenelon Archeveque Duc de Cambrai* &c. quod delatum Romam, doctrinâ in eo contentâ serio examini expositâ, damnatum fuit. Prælatus autem illius Auctor, Ecclesiæ Judicio se se submittens, sinceræ pœnitentiæ & humilitatis signa dedit, dum ipsemet damnationem suam suscipere non erubuit. Imò omnibus suæ Diœcesis publicè patefecit, ac debitam ei submissionem sinè ulla restrictione professus, cæteros ad suum exemplum imitandum obtestatus fuit edito Edicto, ne quisquam Librum suum legeret, aut reimprimi faceret. Edictum infra referam. Tandem ad malum eradicandum mulierem præfatam vanâ illusione deceptam recludere judicatum fuit. Quo ex tempore in Galliis Quietismus obmutuit. At utinam prorsùs extinctus fuisset ac sepultus.

II. Porrò Propositiones, quas in præfato Libro Archiepiscopi Cameracensis Innocentius XII. censurâ notavit numero viginti tres, fuerunt sequentes. 1. *Datur habitualis status amoris Dei, qui est caritas pura, & sinè ulla admixione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent ampliùs in eo partem. Non amatur ampliùs Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.* 2. *In statu vitæ contemplativæ, seu unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris & spei.* 3. *Id quod est essentiale in directione animæ, est, non aliud facere, quàm sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione & subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, & nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo; quod adeò durum est animabus adhuc sibimet affixis, & adeò potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.* 4. *In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet ampliùs desideria voluntaria, & deliberata propter suum interesse; exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.* 5. *In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti, & beati propter interesse proprium; sed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus, inquantum Deo placet efficere, ut velimus res istas, impressione suæ gratiæ.* 6. *In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus ampliùs salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum, sed eam volumus voluntate plenâ, ut gloriam & beneplacitum Dei; ut rem, quam ipse vult, & quam nos vult velle propter ipsum.* 7. *Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam Jesus Christus à nobis in Evan-*

Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio, non est, nisi quoad interesse proprium. Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, seu sui ipsius derelictio, exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem, quoad suum interesse proprium, etiam æternum. 8. *Omnia Sacrificia, quæ fieri solent ab animabus quàm maximè desinteressatis, circa earum æternam beatitudinem sunt conditionalia. Sed hoc Sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc Sacrificium fit aliquo modo absolutum.* 9. *In extremis probationibus potest anima invincibiliter persuasum esse, persuasione reflexâ, & quæ non est intimus conscientiæ fundus, se justè approbatam esse à Deo.* 10. *Tunc anima divisa à semetipsa expirat cum Christo in Cruce dicens* ,, Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ,, ? *In hac voluntaria impressione desperationis conficit Sacrificium absolutum sui interesse proprii, quoad æternitatem.* 11. *In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse: sed numquam amittit in parte superiori, idest, in suis actibus directis & intimis, spem perfectam, quæ est desiderium desinteressatum promissionum.* 11. *Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, & justæ condemnationi, quam sibi à Deo indictam credit.* 13. *Inferior Christi pars in Cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.* 14. *In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori. In ista separatione actus partis inferioris manant ex omninò cæca & involuntaria perturbatione: nam totum quod est voluntarium, & intellectuale, est partis superioris.* 15. *Meditatio constat discursivis actibus, qui à se invicem facilè distinguuntur. Ista compositio actuum discursivorum, & reflexorum, est propria exercitatio amoris interessati.* 16. *Datur status contemplationis adeò sublimis adeòque perfectæ, ut fiat habitualis: Itaut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non ampliùs indiget redire ad meditationem ejusque actus methodicos.* 17. *Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu Christi, duobus temporibus diversis, primò in fervore nascentis earum contemplationis; secundò anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis Probationibus.* 18. *In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando, quòd sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quàm facere id, quod Deus vult; & amor Zelotypus simul efficit, ne quis ampliùs sibi virtutem velit, nec unquam sit adeò virtute præditus, quàm cùm virtuti ampliùs affixus non est.* 19. *Potest dici in hoc sensu, quòd anima passiva, & desinteressata nec ipsum amo-*

amorem vult ampliùs, quatenus est sua perfectio, & sua felicitas; sed solùm quatenus est id, quod Deus à nobis vult. 20. *In confitendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, & condemnare se, & desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem, & liberationem, sed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter suam gloriam.* 21. *Sancti Mystici excluserunt à statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.* 22. *Quamvis hæc doctrina esset pura & simplex perfectio Evangelica in universa traditione designata, antiqui Pastores non proponebant passim multitudini Justorum, nisi exercitia amoris interessati eorum gratiæ proportionata.* 23. *Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati & meritorii sunt.*

III. Hæ sunt Propositiones, quas ex Libro Archiepiscopi Cameracensis excerptas Innocentius damnat, subdens hâc expressâ ejusmodi Propositionum damnatione se non intendere alia in eodem Libro contenta approbare. Ideò autem eas expressè censurâ inurit, quia jam damnatis in Michaele de Molinos valdè affines sunt. Sic enim damnationi præfati Libri præmittit: *Quippè ex cujus lectione & usu fideles sensim in errores ab Ecclesia Catholica jam damnatos induci possent, ac insuper tanquam continentem Propositiones, sivè in obvio earum verborum sensu, sivè attentâ sententiarum connexione, temerarias, scandalosas, malè sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respectivè* &c. Ita in Bulla, quæ incipit *Cùm ad Apostolatus nostri notitiam*. Dat. die 12. Martii anno *1699*.

IV. Apostolica hæc sententia cùm in Galliam pervenisset, ipsi Regi Christianissimo gratissima fuit: Videns enim post sedatos Jansenismi tumultus, novos ex hoc Libro in suo Regno excitari; quibusdam pro Cameracensi ejus Auctore, & pro doctrina in eo contenta acriter pugnantibus; quibusdam verò Librum & doctrinam detestantibus; literas zelo plenas manu propriâ exaratas 23. Decembris anni 1698. ad Innocentium XII. scripserat, quibus ne Primogeniti Ecclesiæ Filii debito deesset, ipsum humiliter enixè rogabat, ut suâ communis Patris celerrimâ decisione clarâ & expressâ, quæ nullum falsæ interpretationi locum relinquat, Catholicam veritatem pronuntiet, ac suo Regno pacem & tranquillitatem afferat.

V. Hoc de facto evenit. Nam Pontificio Diplomate in Gallia publicato, contentionibus omnibus ipsemet Archiepiscopus Cameracensis humili & promtâ obedientiâ finem imposuit, promulgato Edicto die 9. Aprilis *1699.*, cujus exemplum in tanti Præsulis immortale decus hîc subjicere placet.

Fran-

Franciscus miseratione Divinâ, & S. Sedis Apostolicæ gratiâ, Archiepiscopus Dux Cameracensis, Sacri Romani Imperii Princeps, Comes Cameracensis &c. Clero Seculari & Regulari nostræ Diœcesis salutem, & benedictionem in Domino.

Vobis, Fratres Carissimi, nos totos debemus, quippè non jam nostri, sed gregi credito devoti sumus: Servos autem vestros per Jesum. Sic affecti, quæ nos attinent super Libello, cui titulus „ Placita Sanctorum explicita „ *apertis præcordiis hìc exponendum esse arbitramur.*

Tandem Opusculum cum 23. Propositionibus excerptis damnatum est Brevi Pontificio Martii die 12. dato, quod jam vulgatum legistis.

Cui quidem Brevi Apostolico, tam de Libelli contextu, tam de 23. Propositionibus simpliciter, absolutè, & absque ulla restrictionis umbra adhærentes, Libellum cum 23. Propositionibus, eâdem præcisâ formâ, iisdemque qualificationibus simpliciter, absolutè, & absque ulla restrictione condemnamus. Insuper & eâdem pœnâ probibemus, ne quis bujus Diœcesis Libellum, aut legat, aut domi servet.

Cæterùm, Fratres Carissimi, quamquam humiliatur Minister, haud deerit solatium, modò verbi ministerium, quod accepit à Domino ad sanctificationem vestram, non sordescat in illius ore, neque eò minùs grex apud Deum gratiâ crescat.

Porrò vos omnes ex animo adhortamur ad sinceram submissionem, & intimam docilitatem, ne sensim marcescat illa erga Sedem Apostolicam obedientiæ simplicitas, in qua præstanda, Deo misericorditer adjuvante, ad extremum usque spiritum vobis exemplo erimus.

Absit, ut unquam nostri mentio fiat, nisi fortè ut meminerint aliquando Fideles, Pastorem infimâ gregis ove se dociliorem præbendum duxisse, nullumque obedientiæ limitem fuisse positum.

Oro, Fratres Carissimi, ut gratia Domini nostri Jesu Christi, Caritas Dei, & communicatio Spiritus Sancti maneat cum omnibus vobis. Amen.

Franciscus Archiepiscopus Dux Cameracensis.

VI. Hoc tam incluti Archiepiscopi Sedi Apostolicæ Romanæ obedientiæ insigni testimonio, velut sigillo huic de Hæresibus Operi finem impono. Hujus exemplum, si quotquot contra Ecclesiæ fidem & Catholicam Veritatem errores excitarunt, & adhuc excitant, imitati fuissent & imitarentur, Ecclesiæ Matris pacem non turbassent, nec adhuc turbarent: *Neque enim* (inquit S. Cyprianus Epist. 55. ad Cornelium) *aliundè hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm indè, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex*

vice

vice Christi cogitatur. Cui si secundùm Magisteria Divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversùm Sacerdotum Collegium quidquam moveret; nemo post Divinum Judicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum, judicem se jam non Episcopi, sed Dei faceret; nemo discidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet; nemo sibi placens ac tumens seorsum foràs hæresim novam conderet: nisi si ita est aliquis sacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, ut putet sinè Dei judicio fieri Sacerdotem &c.

VII. His, quæ seculo tertio generaliter de omni Hæresi locutus fuit S. Cyprianus, specialiter prælusisse videtur modernis Hæresibus, quæ ut suos errores impunè tueantur, hanc impiam concorditer statuerunt basim, quòd unus ad tempus non sit in Ecclesia Sacerdos, nec ad tempus Judex vice Christi; propterea Romanum Pontificem blasphemis convitiis proscindunt, vocantes eum Antichristum & Ecclesiæ tyrannum, ut nimìs notum est. Sed, prosequitur S. Cyprianus: *Cùm talis* (idest Pontifex) *à quibusdam desperatis & perditis, & extra Ecclesiam constitutis impugnari videtur, apparet quis impugnet. Non scilicet Christus, qui Sacerdotes aut constituit, aut protegit, sed ille qui Christi adversarius, & Ecclesiæ ejus inimicus, ad hoc Ecclesiæ Præpositum suâ infestatione persequitur, ut Gubernatore sublato, atrociùs atque violentiùs circa Ecclesiæ naufragia grassetur.*

Nec quemquam fidelem, & Evangelii memorem, atque Apostoli præmonentis mandata retinentem, movere debet, Frater Carissime, si quidam in extremis temporibus superbi & contumaces, & Sacerdotum Dei hostes, aut de Ecclesia recedunt, aut contra Ecclesiam fæviunt, quando tales nunc futuros & Dominus, & Apostoli ejus ante predixerint. Nec Præpositum servum deseri à quibusdam miretur aliquis, quando ipsum Dominum magnalia & mirabilia summa facientem, & virtutes Dei Patris factorum suorum testimonio comprobantem, Discipuli sui reliquerint. Et tamen ille non increpuit recedentes, aut graviter comminatus est: sed magìs conversus ad Apostolos suos dixit; nunquid & vos vultis ire?....

Petrus tamen, super quem ædificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia, unus pro omnibus loquens, & Ecclesiæ voce respondens, ait (Jo. 6. v. 69.) „ Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ habes, & nos credimus & cognovimus, quoniam tu es Filius Dei vivi „; *significans scilicet, & ostendens, eos qui à Christo recesserint, culpâ suâ perire: Ecclesiam tamen quæ in Christum credat, & quæ semel id quod cognovit teneat, nunquam ab eo omninò discedere, & eos esse Ecclesiam qui in domo Dei permanent: Plantationem verò plantatam à Deo Patre non esse, quos videmus non frumenti stabilitate solidari,*

sed

sed tanquam paleas dissipantis inimici spiritu ventilari, de quibus & Joannes in Epistola sua (primâ cap. 2. v. 19.) *dicit*, „ Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum „. *Item Paulus monet nos, cùm mali de Ecclesia pereunt, non moveri, nec recedentibus perfidis fidem minui.* „ Quid enim, *inquit*, si exciderunt à fide quidam eorum, nunquid infidelitas illorum Fidem Dei evacuabit? Absit. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax „ (Rom. 3. v. 3.)

VIII. Non ergo moveatur Ecclesia Catholica Romana, si contra se suamque fidem tot Sectas hisce novissimis temporibus insurrexisse & insurgere in dies videt. Fidem, quam ab Apostolis suscepit & susceptam semper custodivit, teneat. Ipsa sola Domus Dei est. Qui ab ea exierunt, extra Arcam sunt, & in diluvio æterni ignis peribunt. *Quod ad nos attinet* (pergit Cyprianus) *conscientiæ nostræ convenit dare operam, ne quis culpâ nostrâ de Ecclesia pereat: si autem quis ultrò & crimine suo perierit, & pœnitentiam agere, atque ad Ecclesiam redire noluerit; nos in die Judicii inculpatos futuros, qui consulimus sanitati; illos solos in pœnis remansuros, qui noluerint consilii nostri salubritate sanari. Nec movere nos debent convitia perditorum, quo minùs à via recta & à certa regula non recedamus, quando & Apostolus instruat dicens* (Galat. 1. v. 10.), „ Si hominibus placerem, Christi servus non essem. „

Cæterùm dictum Christi Matth. 15. v. 13. stabit: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus Cœlestis, eradicabitur.* Plantaverunt hæreses suas quotquot ab exordio Ecclesiæ Hæresiarchas hoc in Opere recensui: sed quia Pater Cœlestis eas non plantaverat, eradicatæ sunt. Hæreses ut supra cap. 108. §. 1. n. 7. ex Augustino dixi, torrentes sunt; in eis decurrit aqua, ad tempus perstrepit, & quærit quem trahat, sed mox cessabit. Diù stare non possunt. Lutherana Calviniana & aliæ Sectæ hisce temporibus perstrepunt, & plures nationes errorum aquis inundant, sed torrentes sunt, diù non stabunt. Eveniet illis, quod accidit statuæ, quam Nabuchodonosor in somnio vidit. Hujus teste Daniele c. 2. v. 32. Caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò venter & femora ex ære. Tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea. Quis non putasset statuam hanc ex materiis adeò solidis constantem ad plura secula duraturam? At fefellit eventus. Cùm enim quædam pars pedum esset fictilis, *abscissus est lapis de monte sinè manibus, & percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento: nullusque locus inventus est*

est eis : lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram. Lapis iste abscissus de Monte sine manibus fuit Christus filius Dei, qui de Monte idest de Cœlis, & sine opera Viri in utero Virginis conceptus, Statuam hanc terrena Imperia figurantem in pedibus fictilibus percutiens, unà cum aliis suis partibus quamvis solidis penitùs extinxit, & Regnum suum quod in æternum non dissipabitur, sed in æternum stabit, constituit.

IX. Statua hæc tot metallorum pompam ostentans, sed pedes ex testa habens, infidelitatum & hæresum symbolum quoquè fuisse par est credere : istæ enim quamvis pretiosâ specie incautos alliciant, quia tamen terreos pedes habent, ideſt in terrenis fundantur, ictu lapidis è Monte abscissi facilè evanescunt. E' contra verò Regnum Christi, quod est Ecclesia, è parvo lapide Mons facta, & universam terram implens, infidelitatis & hæresum Statuas etsi insignes percussit & contrivit, ipsa autem stetit & in æternum stabit. Hæc utinam seriò perpenderent moderni Hæretici, & ad anteriorum hæresum ruinam oculos convertentes, similem sibi exitum seriò pertimescerent; & dum tempus est, ad Ecclesiam unde exierunt redirent.

X. Hæreticos inexcusabiles magis quàm Judæos pronuntiat S. Augustinus in Psal. 45. Audiant ergo illum: *Non est mirum si Judæi non agnoverunt, quem tanquam parvulum lapidem ante pedes suos jacentem contemserunt: illi mirandi sunt, qui adhuc tam magnum montem nolunt agnoscere. Judæi in lapidem parvum non videndo offenderunt, hæretici in montem offendunt. Jam enim crevit ille lapis: jam dicimus illis: Ecce impleta est prophetia Danielis: Lapis ille, qui erat parvus, factus est Mons magnus, & implevit universam terram. Quare in illum offenditis, & non in illum ascenditis? Quis tam cæcus est, ut offendat in Montem? Quasi ideò ad te venerit, ut habeas in quem offendas, & non habeas in quem ascendas. Venite ascendamus ad Montem Domini. Isaias hoc dixit; Venite ascendamus. Quid est, Venite ascendamus? Venite, est credite; ascendamus, est proficiamus: Isti autem nec venire volunt, nec ascendere, nec credere, nec proficere. Latrant contra Montem. Jam in illum toties offendendo quassati, & nolunt ascendere, semper eligentes offendere.*

Deindè transiens ad illa verba *Auferens bella usque ad fines terræ*, dicit: *Hoc nondum videmus esse completum: sunt adhuc bella: Sunt inter gentes pro Regno; inter Sectas, inter Judæos, Paganos, Christianos, Hæreticos sunt bella, crebrescunt bella, aliis pro veritate, aliis pro falsitate certantibus. Nondum ergo completum est:* „ Auferens bella usque ad fines terræ „; *sed fortè complebitur,*

Indè

Indè poſt multa ad Viros Apoſtolicos converſus, eos animat ad pugnam; ita tamen ut non in propriis armis ac viribus, ſed in armis & adjutorio Dei unicè ſpem reponant: *Quando autem*, inquit, *nos Dominus ſuſcipit, nunquid inermes dimittit? Armat nos, ſed aliis armis, evangelicis, veritatis, continentiæ, ſalutis, ſpei, fidei, caritatis. Hæc arma habebimus, ſed non à nobis. Arma autem quæ à nobis habuimus, arſerunt: Si tamen illo igne Spiritus Sancti accenſi ſumus, de quo dicitur*,, Et ſcuta comburet igni,,. *Qui potens in te eſſe cupiebas, infirmum te fecit Deus, ut fortem te faceret de ſe, quia infirmabaris de te*. Hoc S. Auguſtini Monito præſens hoc Opus claudo: in quo ſi quid utiliter laboravi, cum S. Paulo 1. Cor. 15. v. 10. meæ infirmitatis conſcius dicam: *Non ego, ſed Gratia Dei mecum*.





INDEX RERUM

Quæ in hujus feptimi Tomi Parte V. continentur.

A

D

Ebre-

E

F

Fi-

I

Je-

N

R

FINIS.



